
Di me

TITI LIVII PATAVINI

HISTORIARUM

ROMANARUM

TOMUS QUARTUS.



AUGUSTÆ TAURINORUM
MDCCXXXII.

Ex Typographia Fontana.

Cum Privilegio REGIS.

Lectori.

OCcupant principium hujusce partis quinque Decadis quintæ libri, qui mutilati circumferuntur, quorum fere tota materia bellum cum Macedoniæ rege Perseo. Cæterum quantam jacturam (jure exclamat Beroaldus) passi sunt omnes literarum studiosi ex centum, & decem voluminibus Livianis deperditis, qui omnia, quæ unquam Romani per septingentos annos gesserunt, præclara facinora, veluti in unum redacta corpus noscere potuissent! Quanto dispendio affectus est Romanus populus, cujus tot, ac tantarum rerum gestarum memoria cum libris Livii pariter interiit! Quantum veræ famæ clarissimi imperatores subierunt, quorum nomina fuissent sempiterna, & gesta memorarentur, si Liviana volumina non intercidissent! Utinam aliæ quoque Decades aliquando prodeant in lucem, nam eas alicubi delitescere ajunt, ut habeat literaria Respublica, quo se carere tantopere dolet.

REIMPRIMATUR.

Vicarius Generalis S. Officii.

V. non dissentio &c. Bertollinus P. & M. *pro D. Abbate Badia Philosophiæ & Artium liberalium Præside .*

PERMITTITUR.

Casellette de Graveris pro Excellentissimo D. *Marchione De-Zoppi Magno Cancellario.*

L. FLORI

DECADIS QVINTÆ

LIBRI PRIMI

EPITOME.

IGnis in æde Vestæ extinctus est. Tib. Sempronius Gracchus proconsul Celtiberos victos in deditionem accepit: monumentumque operum suorum Gracchurim oppidum in Hispania constituit. A Postumio Albino proconsule Vaccei ac Lusitani subacti sunt. de utrisque triumphavit. Antiochus Antiochi filius obses Romanis a patre datus, mortuo fratre Seleuco, qui patri defuncto successerat, in regnum Syriæ ab urbe dimissus. Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt civium capita CCLXXIII. millia, CC. & LIV. Q. Volumnius Saxa Trib. ple. legem tulit, ne quis hæredem mulierem instituerer. Suasit legem M. Cato. extat oratio ejus. Præterea res contra Ligures, Istros, Sardos, & Celtiberos a compluribus ducibus gestas continet, & initia belli Macedonici, quod Perseus Philippi filius moliebatur. miserat enim ad Carthaginienses legationem, & ab iis nocte audita erat. sed & alias Græciæ civitates solicitabat, qui præter religionem, quod quam multa templa magnifica multis locis erexit, Athenis Jovis Olympii, & Antiochiæ, vilissimum regem egit.

T. LIVII PATAVINI

Historiarum ab Urbe conditæ

DECADIS QUINTÆ

LIBER PRIMVS

ACEPHALUS.

Multa hoc loco desunt: nempe sortitio provinciarum & consularium, & prætoriarum. Consulibus A. Manlio Gallia, M. Junio Ligures: Prætoribus, M. Titinio Hispania citerior, T. Fontejo ulterior, Neroni Etruria, T. Abutio Sardinia obtigerunt. Præterea quæ de igne Vestæ extincto, de rebus a Ti. Graccho, L. Albino in Celtiberia, & Lusitania gestis, de Antiocho, de Lustro a censoribus condito, de lege Q. Voconii in L. Flori epitoma traduntur: postremo res a M. Junio consule in Liguribus gestæ desiderantur. Hoc autem principium est earum rerum, quas A. Manlius consul ex provincia sua Gallia in Istriam transgressus cum Istris gessit.

CAPUT I.

A. Manlius Cos. ab Aquileja contra Istros profectus, ad lacum Timavi castra movet: Istri, fugatis subito incursu Romanis stationibus, in castra quoque impetum faciunt: ea a militibus trepidantibus, atque ad mare fugientibus vacua relicta capiunt: Cos. revocatis militibus, amissa castra, oppressis ibi hostibus vino somnoque gravatis, recipit.

* * *

a Patre in pace habitam armasse, eoque juventuti 5 prædandi cupidæ pergratus esse dicebatur. Consilium de Istrico bello cum haberet consul, alii gerendum extemplo, antequam contrahere copias hostes possent, alii consulendum prius senatum censebant. Vicit sententia, quae diem non proferebat. Profectus ab Aquileja consul, castra ad lacum Timavi posuit. Imminet mari is lacus. Eodem decem navibus C. Furius duumvir navalis venit. Adversus Illyriorum classem creati duumviri navales erant, qui * tuendam viginti navibus mari superiore Anconam velut cardinem haberent: inde L. Cornelius dextra litora usque ad Tarentum, C. Furius læva usque ad Aquilejam tueretur. Eæ naves ad proximum portum in Istriæ fines cum onerariis & magno commeatu missae. secutusque cum legionibus consul, quinque ferme millia a mari posuit castra. In portu emporium brevi perfrequens factum; omniaque hinc in castra supportabantur: & quo id tutius fieret, stationes ab omnibus castrorum partibus circundatæ sunt: in * istriamque suum praesidium stativum, repentina cohors Placentina opposita inter mare & castra: & ut idem aquatoribus ad fluvium esset præsidium, M. Æbutius tribunus militum secundae legionis duos manipulos militum adjicere jussus est. T. & C. Ælii Tribuni militum legionem tertiam, quæ pabulatores & lignatores tueretur, via, quae Aquilejam fert, duxerant. Ab eadem regione mille ferme passuum castra erant Gallorum. Carmelus pro 6 regulo erat tribus aut amplius millibus armatorum. Istri, ut primum ad lacum Timavi castra sunt Romana mota, ipsi post collem occulto loco consederunt: & inde obliquis itineribus agmen sequebantur, in omnem occasionem intenti nec

* al. tuẽdae maris superi orae.

* al. Istriam versum.

nec quicquam eos quæ terra marique agerentur, fallebat. Postquam stationes invalidas esse pro castris, * eorum turba inermis frequens inter castra & mare mercantium, sine ullo terrestri aut maritimo munimento viderunt: duo simul præsidia, Placentinæ cohortis, & manipulorum secundæ legionis aggrediuntur. Nebula matutina texerat incœptum: qua dilabente ad primum teporem solis, perlucens jam aliquid, incerta tamen, ut solet, lux speciem omnium multiplicem intuenti reddens, tum quoque frustrata Romanos, multo majorem iis, quam erat, hostium aciem ostendit: qua territi utriusque stationis milites ingenti tumultu cum in castra confugissent, haud paullo ibi plus, quam quod secum ipsi attulerant, terroris fecerunt. Nam neque dicere quid fugissent, nec percontantibus reddere responsum poterant: & clamor in portis, ut ubi nulla esset statio quæ sustineret impetum, audiebatur: & concursatio in obscuro incidentium aliorum in alios, incertum fecerat, an hostis intra vallum esset. Una vox audiebatur ad mare vocantium. Id forte temere ab uno exclamatum, totis passim personabat castris. Itaque primo velut jussi id facere, pauci armati, major pars inermes, ad mare decurrunt, dein plures, postremo prope omnes, & ipse consul, cum frustra revocare fugientes conatus, nec imperio, nec auctoritate, nec precibus ad extremum valuisset. unus remansit M. Licinius Strabo, tribunus militum tertiæ legionis, cum tribus signis ab legione sua relictus. Hunc, in vacua castra impetu facto, Istri, cum alius armatus iis nemo obviam isset, in prætorio instruentem atque adhortantem suos oppresserunt. Prælium atrocius, quam pro paucitate resistentium fuit: nec ante finitum est, quam tribunus militum, quique circa eum constiterant, interfecti sunt. Prætorio dejecto, direptis quæ ibi fuerunt, ad quæstorium forum, quintanamque hostes pervenerunt. Ibi cum omnium rerum paratam expositamque copiam, & stratos lectos in quæstorio invenissent, regulus accubans epulari cœpit: mox idem cæteri omnes armorum hostiumque obliti faciunt: &, ut quibus insuetus liberalior victus esset, avidius vino ciboque corpora onerant. Nequaquam eadem est tum rei forma apud Romanos. terra mari trepidatur. nautici tabernacula detendunt, commeatumque in litore expositum in naves rapiunt. milites in scaphas &

* al. forum turba inermi.

7

& mare territi ruunt. nautæ, metu ne compleantur navigia, alii turbæ obsistunt, alii ab litore naves in altum expellunt: inde certamen, mox etiam pugna cum vulneribus & cæde invicem militum nautarumque oritur: donec jussu consulis procul a terra classis submota est. Secernere inde inermes ab armatis cœpit. vix MCC. ex tanta multitudine qui arma haberent, perpauci equites qui equos secum eduxissent, inventi sunt: cætera deformis turba, velut lixarum calonumque, præda vere futura, si belli hostes meminissent. Tunc demum nuntius ad tertiam legionem revocandam, & Gallorum præsidium * opprimendum venit: & simul ex omnibus locis ad castra recipienda, demendamque ignominiam rediri cœptum est. Tribuni militum tertiæ legionis pabulum lignaque projicere jubent. centurionibus imperant, ut graviores ætate milites binos in ea jumenta, ex quibus onera dejecta erant, imponant: equites ut singulos e juvenibus pedites secum in equos tollant. *egregiam gloriam legionis fore, si castra metu secundanorum amissa, sua virtute recipiant: & recipi facile esse, si in præda occupati barbari subito opprimantur: sicut ceperint, posse capi.* Summa militum alacritate adhortatio audita est. Ferunt citati signa, nec signiferos armati morantur. priores tamen consul copiæq; quæ a mari reducebantur, ad vallum accesserunt. L. Atius, tribunus primus secundæ legionis, non hortabatur modo milites, sed docebat etiam, *si victores Istri, quibus armis cepissent castra, iisdem capta retinere in animo haberent, primum exutum castris hostem ad mare persecuturos fuisse: deinde stationes certe pro vallo habituros. vino somnoque verisimile esse mersos jacere.* 8 Sub hæc A. Bæculonium, signiferum suum, notæ fortitudinis virum, inferre signum jussit. Ille, si unum se sequerentur, quo celerius fieret, * facturum dixit: connixusque cum trans vallum signum trajecisset, primus omnium portam intravit. Et parte alia T. & C. Ælii tribuni militum tertiæ legionis cum equitatu adveniunt: confestim & quos binos oneraria in jumenta imposuerant, secuti, & consul cum toto agmine. At Istrorum pauci, qui modice vinosi erant, memores fuerant fugæ: aliis somno mors continuata est. integraque sua omnia Romani, præterquam quod vini cibique absumtum erat, receperunt. Ægri quoque milites, qui in castris relicti fuerant, postquam intra vallum suos sensere, armis arreptis, cædem

* al. expungũt hæc duo verba.

* al. jactu rum

dem ingentem fecerunt. Ante omnes insignis opera fuit C. Popillii equitis, Sabello cognomen erat: is pede saucio relictus, longe plurimos hostium occidit. Ad octo millia Istrorum sunt cæsa, captus nemo, quia ira & indignatio immemores prædæ fecit. Rex tamen Istrorum temulentus ex convivio raptim a suis in equum impositus fugit. Ex victoribus CCC. & XXXVII. milites perierunt: plures in matutina fuga, quam in recipiendis castris.

CAPUT II.

Tumultus Romæ excitatus propter falsos rumores de deleto ab Istris Manliano exercitu, allatis de ejusdem incolumitate literis M. Junii Cos. Galliam transgressi, sedatur.

9 FOrte ita evenit, ut Cn. & L. Gavillii, novelli Aquilejenses cum commeatu venientes, ignari prope in capta castra ab Istris inciderent. Ii cum Aquilejam relictis impedimentis refugissent, omnia terrore ac tumultu, non Aquilejæ modo, sed Romae quoque post paucos dies impleverunt. quo non capta tantum castra ab hostibus, nec fuga quæ vera erat, sed perditas res, deletumque exercitum omnem allatum est. Itaque, quod in tumultu fieri solet, delectus extra ordinem non in urbe tantum, sed tota Italia indicti. Duæ legiones civium Romanorum conscriptæ, & X. millia peditum cum equitibus D. sociis nominis Latini imperata. M. Junius consul transire in Galliam, & ab civitatibus provinciæ ejus, quantum quæque posset, militum exigere jussus. Simul decretum, ut *T. Claudius Prætor militibus legionis quartæ, & socium Latini nominis V. millibus, equitum CCL. Pisas ut convenirent ediceret: eamque provinciam, dum consul inde abesset, tutaretur. M. Titinius Pr. legionem primam, parem numerum sociorum peditum equitumque Ariminum convenire juberet.* Nero paludatus Pisas in provinciam est profectus. Titinius C. Cassio tribuno militum Ariminum, qui praeesset legioni, misso, delectum Romae habuit. M. Junius COS. ex Liguribus in provinciam Galliam transgressus, auxilii protinus per civitates Galliae, militibusque colonis imperatis, Aquilejam pervenit. Ibi certior factus exercitum incolumem esse, scriptis literis Romam, ne tumultuarentur, ipse, remissis auxiliis quae Gallis imperaverat, ad collegam est profectus. Romae magna ex nec opinato laetitia fuit. delectus omissus est, exauctorati qui sacramento dixerant, & exercitus, qui Arimini pestilentia affectus erat, domum dimissus. Istri ma-

magnis copiis cum castra haud procul consulis castris haberent, postquam alterum consulem cum exercitu novo advenisse audierunt, passim in civitates dilapsi sunt. consules Aquilejam in hiberna legiones reduxerunt.

CAPUT III.

Promulgata a Papirio, & Licinio tribunis rogatio de abrogando imperio Consuli Manlio prorogato, intercessione Ælii tollitur: Romam revertuntur ex Hispania Sempronius Gracchus, & Postumius Albinus, ac paullo post triumphant: Senatus, allato nuntio de tumultu in Sardinia, rem totam ad novos magistratus rejicit: Lyciorum vero legatos, de Rhodiorum crudelitate querentes, cum literis ad Rhodios dimittit.

10. SEdato tandem Istrico tumultu S. C. factum est, ut consules inter se compararent uter eorum ad comitia habenda Romam rediret. Cum absentem Manlium tribuni plebis A. Licinius Nerva, & C. Papirius Turdus in concionibus lacerarent, rogationemque promulgarent, ne Manlius post Idus Martias (prorogatae namque consulibus jam in annum provinciae erant) imperium retineret, uti caussam extemplo dicere, cum abisset magistratu, posset: huic rogationi Q. Ælius collega intercessit, magnisque contentionibus obtinuit ne perferretur. Per eos dies Tib. Sempronius Gracchus, & L. Postumius Albinus ex Hispania Romam cum revertissent, senatus iis a M. Titinio Pr. datus in aede Bellonae ad disserendas res quas gessissent, postulandosque honores meritos, ut diis immortalibus haberetur honos. Eodem tempore & in Sardinia magnum tumultum esse, literis T. Æbutii Pr. cognitum est, quas filius ejus ad senatum attulerat. Ilienses adjunctis Balarorum auxiliis pacatam provinciam invaserant: nec eis invalido exercitu, & magna parte pestilentia absumto, resisti poterat. Eadem & Sardorum legati nuntiabant, orantes ut urbibus saltem (jam enim agros deploratos esse) opem senatus ferret. Haec legatio, totumque quod ad Sardiniam pertinebat, ad novos magistratus rejectum est. Æque miserabilis legatio Lyciorum, qui crudelitatem Rhodiorum, quibus ab L. Cornelio Scipione attributi erant, querebantur. *fuisse sub ditione Antiochi: eam regiam servitutem collatam cum praesenti statu, praeclaram libertatem visam. Non publico tantum se premi imperio, sed singulos justum pati servitium: juxta se conjuges liberosque vexari: in corpus, in ter-*

gum ſæviri: famam, quod indignum ſit, maculari dehoneſtarique; & palam res odioſas fieri, juris etiam uſurpandi cauſſa: ne pro dubio habeant, nihil inter ſe & argento parata mancipia intereſſe. Motus his ſenatus, literas Lyciis ad Rhodios dedit: *ne Lycios Rhodiis, nec ullos alicui quam qui nati liberi ſint, in ſervitutem dari placere: Lycios ita ſub Rhodiorum ſimul imperio & tutela eſſe, ut in ditione P. R. civitates ſociæ* 11 *ſint.* Triumphi deinde ex Hiſpania duo continui acti. Prior Sempronius Gracchus de Celtiberis ſociiſque eorum, poſtero die L. Poſtumius de Luſitanis aliiſque ejuſdem regionis Hiſpanis triumphavit. XL. millia pondo argenti Tiberius Gracchus tranſtulit, XX. millia Albinus. Militibus denarios quinos vicenos, duplex centurioni, triplex equiti, ambo diviſerunt, ſociis tantundem quantum Romanis.

CAPUT IV.

T. Manlius cos. comitiorum cauſſa ex Iſtria reverſus, a tribunis plebis Papirio, & Licinio, exigentibus rationem de rebus in ea provincia actis, non conſulto Senatu vexatur.

PEr eoſdem forte dies M. Junius COS. ex Iſtria comitiorum cauſſa Romam venit. Eum cum in ſenatu fatigaſſent interrogationibus tribuni plebis Papirius & Licinius, de his quæ in Iſtria eſſent acta, in concionem quoque produxerunt. Ad quæ cum conſul, ſe dies non plus XI. in ea provincia fuiſſe, reſponderet: quæ ſe abſente acta eſſent, ſe quoque, ut illos, fama comperta habere: exequebantur deinde quærentes, *quid ita non potius A. Manlius Romam veniſſet, ut rationem redderet P. R. cur ex Gallia provincia, quam ſortitus eſſet, in Iſtriam tranſiſſet: quando id bellum ſenatus decreviſſet, quando id bellum P. R. juſſiſſet? At Hercule privato quidem conſilio bellum ſuſceptum eſſe, ſed geſtum prudenter fortiterque. Imo utrum ſuſceptum ſit nequius, an inconſultius geſtum, dici non poſſe. Stationes duas nec opinantes ab Iſtris oppreſſas, caſtra Romana capta, quod peditum, quod equitum in caſtris fuerit: cæteros inermes fuſoſque, ante omnes conſulem ipſum ad mare ac naves fugiſſe. privatum rationem redditurum earum rerum eſſe, quoniam conſul noluiſſet.*

CAPUT V.

Comitia consularia, & praetoria habentur; novi coss. sunt C. Claudius Pulcher, Tib. Sempronius Gracchus: fit a praetoribus provinciarum sortitio: de magnitudine belli in Istria & Sardinia, quas placet esse consulum provincias, Senatus cognoscit.

12 Comitia deinde habita: consules creati C. Claudius Pulcher, T. Sempronius Gracchus. & postero die praetores facti, P. Ælius Tubero iterum, C. Quintius Flamininus, C. Numisius, C. Mummius, C. Cornelius Scipio, C. Valerius Lævinus. Tuberoni urbana jurisdictio, Quintio peregrina evenit, Numisio Sicilia, Mummio Sardinia: sed ea propter belli magnitudinem provincia consularis facta. Gracchus eam sortitur, Istriam Claudius, Scipio & Lævinus Galliam in duas divisam provincias sortiti sunt. Idibus Martiis, quo die Sempronius Claudiusque consulatum inierunt, mentio tantum de provinciis Sardinia Istriaque, & utriusque hostibus fuit, qui in his provinciis bellum concivissent. Postero die legati Sardorum, qui ad novos magistratus * delati erant, L. Minutius Thermus, qui legatus Manlii consulis in Istria fuerat, in senatum venit. Ab his edoctus est senatus, quantum belli eæ provinciæ haberent.

* al. dilati.

CAPUT VI.

Socii Latini nominis querentes, cives suos Romam migrasse, ibique censos esse, petunt a senatu, ut eos in suas civitates redire jubeat; atque impetrant.

Moverunt senatum & legationes socium nominis Latini, quæ & censores, & priores consules fatigaverant, tandem in senatum introductæ. Summa querelarum erat, *cives suos Romæ censos plerosque Romam commigrasse. quod si permittatur, perpaucis lustris futurum, ut deserta oppida, deserti agri nullum militem dare possent; Fregellas quoque millia IV. familiarum transisse ab se, Samnites Pelignique querebantur: neque eo minus aut hos aut illos in delectum militum dare.* Genera autem fraudis duo mutandæ viritim civitatis inducta erant. Lex sociis ac nominis Latini, qui stirpem ex sese domi relinquerent, dabat, ut cives Romani fierent. Ea lege male utendo, alii sociis, alii populo Romano injuriam faciebant. Nam, & ne stirpem domi relinquerent, liberos suos quibusquibus Romanis in eam conditionem ut manumitterentur, mancipio dabant, libertinique cives essent: & quibus stirps deesset, quam relinquerent, cives Romani fiebant. Postea his quoque imaginibus juris spretis, promiscue sine lege, sine stirpe, in civitatem

Romanam per migrationem & cenſum tranſibant. *Haec ne poſtea fierent*, petebāt legati, *& ut redire in civitates juberent ſocios. deinde ut lege caverent, ne quis quem civitatis mutandae cauſſa ſuū faceret, neve alienaret: & ſi quis ita civis Romanus factus eſſet, civis non eſſet.* 13 Haec imperata ab ſenatu.

CAPUT VII.

In Iſtriam atque Sardiniam, decretas conſulares provincias, exercitus ſcribuntur: prodigia procurantur: facta a coſs. ſortitione, C. Claudio Iſtria, Ti. Sempronio Sardinia obvenit: Lex deinde, qua ſocii Latini nominis, qui Romae cenſi erant, in ſuas civitates redire coguntur, fertur.

PRovinciae deinde quae in bello erant, Sardinia atque Iſtria decretae. In Sardiniam duae legiones ſcribi juſſae: quina millia in ſingulas, & duceni pedites, treceni equites, & duodecim millia peditum ſociorum ac Latini nominis, & DC. equites, & X. quinqueremes naves, ſi deducere ex navalibus vellet. Tantundem peditum equitumque in Iſtriam, quantum in Sardiniam, decretum. Et legionem unam cum equitibus CCC. V. millia peditum ſociorum, & CCL. mittere equites in Hiſpaniam conſules ad M. Titinium juſſi. Priuſquam conſules provincias ſortirentur, prodigia nuntiata ſunt: lapidem in agro Cruſtumino in lacum Martis de coelo cecidiſſe: puerum trunci corporis in agro Romano natum, & quatrupedem anguem viſum: & Capuae multa in foro aedificia de caelo tacta: & Puteolis duas naves fulminis ictu concrematas eſſe. Inter haec quae nuntiabantur, lupus etiam Romae interdiu agitatus, cum Collina porta intraſſet, per Æſquilinam magno conſectantium tumultu evaſit. Eorum prodigiorum cauſſa conſules majores hoſtias immolarunt, & diem unum circa omnia pulvinaria ſupplicatio fuit. Sacrificiis rite perfectis, provincias ſortiti ſunt. Claudio Iſtria, Sempronio Sardinia obvenit. Legem deinde ſociis C. Claudius tulit S. C. & edixit, *qui ſocii ac nominis Latini ipſi majoreſque eorum M. Claudio T. Quintio cenſoribus, poſtque ea apud ſocios nominis Latini cenſi eſſent, ut omnes in ſuam quiſque civitatem ante Kal. Novembres redirent.* Quaeſtio, qui ita non rediſſent, L. Mummio Pr. decreta eſt. Ad legem, & edictum COS. S. C adjectum eſt, *ut dictator, COS. & interrex, cenſor, Pr. qui tunc eſſet apud forum,* * *darent operam, ut, qui manumitteretur, in libertatem vindicaretur, ut jusjurandum daret: qui eum manumitteret, civitatis mutandae cauſſa manu non mittere, qui id non juraret,*

* al. quis manumitteretur in libertatem vindicaret, ubi juſjurandum daret qui manumitteret.

raret, eum manumittendum non censuerunt. Hæc in posterum caussa jurisque dictio C. Claudio Cos. decreta est.

CAPUT VIII.

C. Claudius. Cos., metu ne provincia Istria propter res prospere gestas a procoss. M. Junio, & A. Manlio, sibi adimatur, propter celeritatem inauspicato ab Urbe profectus eo pervenit: ob hanc temeritatem, & inconsulte ibi acta adversus procoss. ludibrio ab exercitu habetur: reversus Romam ad capienda auspicia denuo in Istriam abit: excisis tribus oppidis, provinciam pacat.

14 DUm haec Romae geruntur, M. Junius, & A. Manlius, qui priore anno consules fuerant, cum Aquilejae hibernassent, principio veris in fines Istrorum exercitum introduxerunt: ubi cum effuse popularentur, dolor magis & indignatio diripi res suas cernentes Istros, quam certa spes satis sibi virium adversus duos exercitus excivit. concursu ex omnibus populis juventutis facto, repentinus & tumultuarius exercitus acrius primo impetu quam perseverantius pugnavit. Ad quatuor millia eorum in acie caesa. caeteri omisso bello in civitates passim diffugerunt. Inde legatos primum ad pacem petendam in castra Romana, deinde obsides imperatos miserunt. Haec cum Romae cognita literis proconsulum essent, C. Claudius consul veritus ne forte ea res provinciam exercitumque sibi adimeret, non votis nuncupatis,* non paludatis lictoribus, uno omnium certiore facto collega, nocte profectus praeceps in provinciam abiit, ubi inconsultius quam venerat, se gessit. Nam cum concione advocata fugam e castris A. Manlii adversis auribus militum, quippe qui primi ipsi fugissent, jactasset, ingessissetque probra M. Junio, quod se dedecoris socium collegae fecisset, ad extremum utrumque decedere provincia jussit. Quod cum milites consulis imperio dicto audientes futuros sese dicerent, cum is more majorum secundum vota in Capitolio nuncupata, lictoribus paludatis profectus ab urbe esset furens ira, vocatum qui pro quaestore Manlii erat, catenas poposcit, vinctos se Junium Manliumque minitans Romam missurum. Ab eo quoque spretum consulis imperium est, & circumfusus exercitus favens imperatorum caussae, & consuli infestus, animos ad non parendum addebat. Postremo fatigatus consul & contumeliis singulorum, & multitudinis (nam insuper irridebant) ludibriis, nave eadem qua venerat, Aquilejam

* al. non paludatis, sine lictoribus.

lejam rediit. Inde collegae scripsit, ut militum novorum ei parti, quae scripta in Istriam provinciam esset, ediceret, Aquilejam ut conveniret, ne quid se Romae teneret, quo minus votis nuncupatis paludatus ab urbe exiret. Haec collegae obsequenter facta, brevisque dies ad conveniendum edicta est. Claudius prope consecutus est literas suas. Concione adveniens de Manlio & Junio habita, non ultra triduum moratus Romae, * paludatis ictoribus, votisq; in Capitolio nuncupatis, in provinciam * aeque amplius praecipiti celeritate abit. Paucis ante diebus Junius Manliusq; oppidum Nesattium, quo se principes Istrorum & regulus ipse Æpulo receperat, summa vi oppugnant. Eo Claudius duabus legionibus novis adductis, vetere exercitu cum suis ducibus dimisso, ipse oppidum circumsedit, & vineis oppugnare intendit: amnemque praeterfluentem mœnia, qui & impedimento oppugnantibus erat, & aquationem Istris praebebat, multorum dierum opere exceptum novo alveo avertit. Ea res barbaros miraculo terruit abscissae aquae: & ne tum quidem memores pacis, in caedem conjugum ac liberorum versi, etiam ut spectaculo hostibus tam fœdum facinus esset, palam in muris trucidatos praecipitabant. Inter simul complorationem feminarum puerorumque, simul nefandam caedem, milites transgressi murum oppidum intrarunt. Cujus capti tumultum ut ex pavido clamore fugientium accepit rex, trajecit ferro pectus, ne vivus caperetur; caeteri capti aut occisi. Duo deinde oppida Mutila, & Faveria vi capta & deleta. Praeda, ut in gente inopi, spe major fuit, & omnis militibus concessa est. V. millia capitum DCXXXII. sub corona venierunt. Auctores belli virgis caesi, & securi percussit. Istria tota trium oppidorum excidio, & morte regis pacata est. omnesque undique populi obsidibus datis in ditionem venerunt.

* al. paludatus cum lictorib.

* al. æq; ac prius

15

CAPUT IX.

De motu Ligurum T. Claudius proc. ex Etruria senatum, senatus C. Claudium cos. habentem in Istria exercitum, certiorem facit.

Sub Istrici finem belli, apud Ligures concilia de bello haberi cœpta. T. Claudius proconsul, qui praetor priore anno fuerat, cum praesidio legionis unius Pisis praeerat. Cujus literis senatus certior factus, eas ipsas literas ad C. Claudium (nam alter consul jam in Sardiniam trajecerat) deferendas censet: & adjicit decretum, quo-

16

quoniam Istria provincia confecta esset, si ei videretur, exercitum traduceret in Ligures. Simul ex literis consulis, quas de rebus in Istria gestis scripserat, in biduum supplicatio decreta.

CAPUT X.

A. coss. Ti. Sempronio in Sardinia, & C. Claudio in Liguribus res bene geritur.

ET ab altero consule Tib. Sempronio in Sardinia prospere res gestae. Exercitum in agrum Sardorum Iliensium induxit. Balarorum magna auxilia Iliensibus venerant. Cum utraque gente signis collatis conflixit. Fusi fugatique hostes, castrisque exuti. XII. millia armatorum caesa. Postero die arma lecta conjici in acervum jussit consul, sacrumque id Vulcano cremavit. Victorem exercitum in Hiberna sociarum urbium reduxit. Et C. Claudius literis T. Claudii & S. C. accepto, ex Istria legiones in Ligures transduxit. Ad Scultennam flumen in campos progressi castra habebant hostes. Ibi cum his acie dimicatum. XV M. caesa: plus DCC. aut in praelio, aut in castris (nam ea quoque expugnata sunt) capti, & signa militaria unum & L. capta. Ligures reliquiae caedis in montes refugerunt passim: populantique campestres agros consuli nulla usquam apparuerunt arma. Claudius duarum gentium uno anno victor, duabus, quod raro alius, in consulatu pacatis provinciis, Romam revertit.

CAPUT XI.

Prodigia procurantur: in locum demortui Pontificis M. Claudii Marcelli sufficitur ejus filius M. Marcellus: Lucam colonia deducitur: C. Claudius Cos. de Istris, & Liguribus triumphat.

PRodigia eo anno nuntiata, in Crustumino avem sangualem (quam vocant) sacrum lapidem rostro cecidisse. Bovem in Campania locutum. Vaccam aeneam Syracusis ab agresti tauro, qui pecore aberrasset, initam, ac semine aspersam. In Crustumino diem unam in ipso loco supplicatio fuit: & in Campania bos alenda publice data: Syracusanumque prodigium expiatum, editis ab aruspicibus diis, quibus supplicaretur. Pontifex eo anno mortuus est M. Claudius Marcellus, qui consul censorque fuerat. In ejus locum suffectus est pontifex filius ejus M. Marcellus. Et Lucam colonia eodem anno MM. civium Romanorum sunt deducta. Triumviri deduxerunt, P. Ælius, L. Ægilius, Cn. Sicinius. Quinquagena & singula jugera & semisses agri in singulos dati sunt. De Ligure captus is ager erat: Etruscorum ante, quam Li-

Ligurum fuerat. C. Claudius COS. ad urbem venit: cui, cum in senatu de rebus in Istria Liguribusque prospere gestis disseruisset, postulanti triumphus est decretus. triumphavit in magistratu de duabus simul gentibus. Tulit in eo triumpho denarium CCC. & VII. millia, & victoriarum LXXXV. millia DCCII. militibus in singulos quinideni denarii dati, duplex centurioni, triplex equiti: sociis dimidio minus, quam civibus datum. Itaque taciti, ut iratos esse sentires, secuti sunt currum.

CAPUT XII.

Ligures coacto clam exercitu subito impetu Mutinam capiunt: ut ad eam recipiendam redeat in provinciam C. Claudius Cos., jubetur a senatu mature habere comitia: creantur novi magistratus: coss. sunt Cn. Cornelius Scipio Hispalus, Q. Petillius Spurinus.

18 DUm is triumphus de Liguribus agebatur, Ligures postquam senserunt non consularem tantum exercitum Romam adductum, sed legionem ab T. Claudio Pisis dimissam. soluti metu, clam exercitu indicto, per transversos limites superatis montibus in campos digressi, agrum Mutinensem populati, repentino impetu coloniam ipsam ceperunt. Id ubi Romam allatum est, senatus C. Claudium consulem comitia primo quoque tempore habere jussit, creatisque in annum magistratibus in provinciam redire, & coloniam ex hostibus eripere. Ita ut censuit senatus, comitia habita. COSS. creati Cn. Cornelius Scipio Hispalus, Q. Petillius Spurinus. Praetores inde facti, M. Popillius Laenas, P. Licinius Crassus, M. Cornelius Scipio, L. Papirius Maso, M. Aburius, L. Aquillius Gallus. C. Claudio COSS. prorogatum in annum imperium, & Gallia provincia. Et ne Istri quoq; idem, quod & Ligures, facerent, socios nominis Latini in Istriam mitteret, quos triũphi caussa de provincia deduxisset.

CAPUT XIII.

Novis coss. Cn. Cornelio, & Q. Petillio immolantibus prodigium in hostia objicitur: Pisas, & Ligures consulum esse provincias, senatus decernit.

CN. Cornelio, & Q. Petillio COSS. quo die magistratum inierunt, immolantibus Jovi singulis bubus, uti solet, in ea hostia qua Q. Petillius sacrificavit, in jecinore caput non inventum. Id cum ad senatum retulisset, bove perlitare jussus. De provinciis U. C. 574 deinde consultus senatus Pisas & Ligures provincias consulibus decrevit. Cui Pisae provincia obvenisset, cum magistratuum creandorum tempus esset, ad comitia reverti jussit. Additum

ditum decreto, ut binas legiones novas scriberent, & CCC. equites, & dena millia peditum sociis nominique Latino, & DC. imperarent equites. T. Claudio prorogatum est imperium in id tempus, quo in provinciam COS. 19 venisset. Dum de his rebus in senatu agitur, Cn. Cornelius evocatus a viatore, cum templo egressus esset, paullo post rediit confuso vultu; & exposuit patribus conscriptis, bovis sescenaris, quem immolavisset, jecur defluxisse: id se victimario nuntianti parum credentem, ipsum aquam effundi ex olla ubi exta coquerentur, jussisse, & vidisse caeteram integram partem extorum, jecur omne inenarrabiliter absumtum. Territis eo prodigio patribus, & alter COS. curam adjecit, qui se quod caput jecinori defuisset, tribus bubus perlitasse negavit. Senatus majoribus hostiis usque ad litationem sacrificari jussit. Caeteris diis perlitatum ferunt, Saluti Petillium perlitasse negant.

CAPUT XIV.

Consules, praetoresque provincias sortiuntur: nonnullorum praetorum deprecantium, ne in provincias abeant, accipitur excusatio.

INde consules praetoresque provincias sortiti. Pisae Cn. Cornelio, Ligures Petillio obvenerunt. Praetores L. Papirius Maso urbanam, M. Aborius inter peregrinos sortiti sunt, M. Cornelius Scipio Maluginensis Hispaniam ulteriorem, L. Aquillius Gallus Siciliam habuit. Duo deprecati sunt, ne in provincias irent, M. Popillius in Sardiniam. Gracchum eam provinciam pacare, & T. Æbutium Pr. adjutorem ab senatu datum esse. Interrumpi tenorem rerum, in quibus peragendis continuatio ipsa efficacissima esset, minime convenire. Inter traditionem imperii, novitatemque successoris, quae noscendis prius, quam agendis rebus imbuenda sit, saepe bene gerendae rei occasiones intercidere. Probata Popillii excusatio est. P. Licinius Crassus sacrificiis se impediri solennibus excusabat, ne in provinciam iret. Citerior Hispania obvenerat. Caeterum aut ire jussus, aut jurare pro concione solenni sacrificio se prohiberi. Id ubi in P. Licinio ita statutum est, & ab se uti jusjurandum acciperent, M. Cornelius postulavit, ne in Hispaniam ulteriorem iret: Praetores ambo in eadem verba jurejurarunt. M. Titinius & T. Fontejus proconsules manere cum eodem imperii jure in Hispania jussi: & ut in supplementum his tria millia civium Romanorum cum equitibus CC. V. millia socium

cium Latini nominis, & CCC. equites mitterentur.

CAPUT XV.

Feriæ Latinæ, quia non rite factæ, instaurantur: Cn. Cornelius cos. moritur: nuntiata prodigia procurantur.

20 Latinae feriae fuere ad diem III. Non. Maji: in quibus quia in una hostia magistratus Lanuvinus precatus non erat, P. R. Quiritium, religioni fuit. Id cum ad senatum relatum esset, senatusque ad pontificum collegium rejecisset, pontificibus, quia non rite factae Latinae essent, instauratis Latinis, placuit Lanuvinos, quorum opera instauratae essent, hostias praebere. Accesserat ad religionem quod Cn. Cornelius COS. ex monte Albano rediens concidit, & parte membrorum captus, ad aquas Cumanas profectus, ingravescente morbo, Cumis decessit: sed inde mortuus Romam allatus, & funere magnifico elatus sepultusque est. Pontifex idem fuerat. COS. Q. Petillius cum primum per auspicia posset, collegae subrogando comitia habere jussus, & Latinas edicere: comitia ad diem III. nonas Sextiles, Latinas in ad diem III. Idus Sextiles, edixit. Plenis religionum animis prodigia insuper nuntiata: Tusculi facem in cœlo visam, Gabiis aedem Apollinis & privata aedificia complura, Graviscis murum portamque de cœlo tacta. Ea patres procurari, uti pontifices censuissent, jusserunt.

CAPUT XVI.

C. Claudius proc. Mutinam coloniam a Liguribus occupatam a caeso magno hostium numero, recipit: Tib. Sempronius Gracchus prospera multis in praeliis usus fortuna, in Sardinia debellat: ob id Romae supplicatio decernitur.

Dum COSS. primum religiones, deinde alterum alterius mors, & comitia, & Latinarum instaurationes impediunt: interim C. Claudius exercitum ad Mutinam, quam Ligures priore anno ceperant, admovit. Ante triduum quam oppugnari cœperat, receptam ex hostibus, colonis restituit. VIII. millia ibi Ligurum intra muros caesa, literaeque Romam extemplo scriptae, quibus non modo rem exponeret: sed etiam gloriaretur, sua virtute ac felicitate neminem jam cis Alpes hostem P. R. agrique aliquantum captum, qui multis millibus hominum dividi viritim posset. 21 Et Tib. Sempronius eodem tempore in Sardinia multis secundis praeliis Sardos perdomuit. XV. millia hostium sunt caesa. Omnes Sardorum populi, qui

qui defecerant, in ditionem redacti. Stipendiariis veteribus duplex vectigal imperatum exactumque. caeteri frumentum contulerunt. Pacata provincia, obsidibusque ex tota insula CCXXX. acceptis, legati Romam qui ea nuntiarent, missi: quique ab senatu peterent, ut ob eas res ductu, auspicioque Tib. Sempronii prospere gestas, diis immortalibus honos haberetur, ipsique decedenti de provincia exercitum secum deportare liceret. Senatus in aede Apollinis legatorum verbis auditis, supplicationem in biduum decrevit, & XL. majoribus hostiis consules sacrificare jussit: Tib. Sempronium proconsulem exercitumque eo anno in provincia manere.

CAPUT XVII.

In locum demortui Cn. Cornelii cos. suffectus M. Valerius Laevinus suscipit curam belli contra Ligures rebellantes: hi, accedente cum exercitu C. Claudio proconsule, montes occupant: eo paullo post pervenientes coss. Valerius, atque Petillius dividunt copias, sortitique regiones diversi abeunt. Petillius tristi omine hostes aggressus, dum incautius praeliatur, occiditur: milites tamen ejus, caesis Liguribus, strenue vincunt.

Comitia deinde consulis unius subrogandi, quae ad diem III. nonas Sextiles edicta erant, eo ipso die sunt confecta. Q. Petillius COS. collegam, qui extemplo magistratum occiperet, creavit M. Valerium Laevinum. Is jam diu cupidus provinciae, cum opportunae cupiditati ejus literae allatae essent, Ligures rebellasse, nonis Sextilibus paludatus, literis auditis, tumultus ejus caussa legionem tertiam ad C. Claudium proconsulem in Galliam proficisci jussit: & duumviros navales cum classe Pisas ire, qui Ligurum oram, maritimum quoque terrorem admoventes, circumvectarentur. Eodem & Q. Petillius COS. ad conveniendum exercitui diem edixerat. Et C. Claudius proconsul audita rebellione Ligurum, praeter eas copias, quas secum Parmae habebat, subitariis collectis militibus, exercitum ad fines Ligurum admovit. Hostes sub 22 adventum C. Claudii, a quo duce se meminerant nuper ad Scultennam flumen victos fugatosque, locorum magis praesidio adversus infeliciter expertam vim, quam armis se defensuri, duos montes Letum & Balistam ceperunt: muroque insuper amplexi, tardius ex agris demigrantes, oppressi ad M. & D. perierunt. Caeteri montibus se tenebant, & ne in metu quidem feritatis ingenitae ob-

oblíti, saeviunt in praedam, quae Mutinae parta erat: captivos cum fœda laceratione interficiunt: pecora in fanis trucidant verius passim, quam rite sacrificant. Satiati caede animantium, quae inanima erant, parietibus affigunt, vasa omnis generis usui magis quam ornamento in speciem facta. Q. Petillius COS. ne absente se debellaretur, literas ad C. Claudium misit, ut cum exercitu ad se in Galliam veniret, campis Macris se eum expectaturum. Literis acceptis Claudius ex Liguribus castra movit, exercitumque ad campos Macros consuli tradidit. Eodem paucis post diebus C. Valerius consul alter venit. ibi divisis copiis, priusquam digrederentur, communiter ambo exercitus lustraverunt. tum sortiti, quia non ab eadem utrumque parte aggredi hostem placebat, regiones quas peterent. Valerium auspicato sortitum constabat, quod in templo fuisset: in Petillio id vitio factum, postea augures responderunt, quod extra templum sortem in sitellam in templum latam foris ipse posuerit. Profecti inde in diversas regiones. Petillius adversus Balistae & Leti jugum, quod eos montes perpetuo dorso inter se jungit, castra habuit. Ibi adhortantem eum pro concione milites, immemorem ambiguitatis verbi ominatum ferunt, *se eo die Letum capturum esse*. Duabus simul partibus subire in adversos montes cœpit. Ea pars, in qua ipse erat, impigre succedebat. Alteram hostes cum propulissent, ut restitueret rem inclinatam, consul equo advectus, suos quidem a fuga revocavit: ipse dum incautius ante signa obversatur, missili trajectus cecidit. Nec hostes ducem occisum senserunt, & suorum pauci qui viderant, haud negligenter, ut qui in eo victoriam verti scirent, corpus occultavere. Alia multitudo peditum equitumque, deturbatis hostibus, montes sine duce cepere. ad V. millia Ligurum occisa, ex Romano exercitu duo & quinquaginta ceciderunt. Super tam evidentem tristis ominis eventum etiam ex pullario auditum est, vitium in auspicio fuisse, nec id consulem ignorasse.

CAPUT XVIII.

Hoc loco haec desiderantur. Expositis rebus ab altero consule Q. Petillio in Liguribus gestis, & morte ejus, jam ordiebatur narrationem earum, quas collega ejus C. Valerius gessisset, his verbis „C. Valerius audita morte collegae. Quae res & ipsae interciderunt. Et comitia consulum P. Mutii, Scaevolae, & M. Æmilii Lepidi, itemque Praetorum, una cum sortitione provinciarum ; praeterea expositio rerum, quas in Gallia, Liguribusque consules gesserunt: nam ait „Ob eas res in Gallia Liguribusque gestas duorum consulum ductu auspicioque Senatus in triduum supplicationem decrevit.

C. Valerius audita * * * Periti religionum, jurisque publici, quando duo ordinarii coss. ejus anni, alter morbo, alter ferro periisset, suffectum conſ. negabant comitia habere posse. * 23 * deduxit. Cis Apenninum Garuli & Lapicini, & Hercates, trans Apenninum Briniates fuerant. Inter Audenam amnem P. Mutius cum iis qui Lunam Pisasque depopulati erant, bellum gessit, omnibusque in ditionem redactis arma ademit. Ob eas res in Gallia Liguribusque gestas duorum consulum ductu auspicioque, senatus in triduum supplicationes decrevit, & XL. hostiis sacrificari jussit. Et tumultus quidem Gallicus & Ligustinus, qui principio ejus anni exortus fuerat, haud magno conatu brevi oppressus erat.

CAPUT XIX.

Senatus certior factus ab legatis ex Macedonia reversis de bello inter Dardanos, & Bastarnas exorto, monet regem Persea, ne quid contra fœdus Romanum fiat: certamen inter Dardanos, & Bastarnas ponitur.

BElli Macedonici subibat jam cura, miscente Perseo inter Dardanos Bastarnasque certamina : & legati qui missi ad res visendas in Macedoniam erant, jam reverterant Romam, renuntiaverantque bellum in Dardania esse, Simul

Simul venerant & ab rege Perseo oratores, qui purgarent, nec accitos ab eo Bastarnas, nec auctore eo quicquam facere. Senatus nec liberavit ejus culpae regem, neque arguit: moneri eum tantummodo jussit, ut etiam atque etiam curaret, ut sanctum haberet foedus, quod ei cum Romanis esse videri posset. Dardani cum Bastarnas non modo non excedere finibus suis, quod speraverant, sed graviores fieri in dies cernerent, subnixos Thracum accolarum & Scordiscorum auxiliis, audendum aliquid vel temere rati, omnes undique armati ad oppidum, quod proximum castris Bastarnarum erat, conveniunt. Hiems erat, & id anni tempus elegerant, ut Thraces Scordiscique in fines suos abirent. Quod ubi ita factum, & solos jam esse Bastarnas audierunt, bifariam dividunt copias: pars ut recto itinere ad lacessendum ex aperto iret: pars devio saltu circunducta, ab tergo aggrederetur. Caeterum priusquam circumire castra hostium possent, pugnatum est: victique Dardani compelluntur in urbem, quae fere XII. millia ab castris Bastarnarum aberat. Victores confestim circunsidunt urbem, haud dubie postero die aut metu dedituris se hostibus, aut vi expugnaturi. Interim Dardanorum altera manus, quae circunducta erat, ignara cladis suorum, castra Bastarnarum sine praesidio relicta.

CAPUT XX.

Desiderantur pauca, quibus mores Persei regis describebat, de quo dicere coeperat.

* *

Regis Persei vile ingenium: in urbibus tamen, Deorumque templis exornandis magnificus animus.

25 more sella eburnea posita jus dicebat, disceptabatque controversias minimarum rerum: adeoque nulli fortunae adhaerebat animus per omnia genera vitae errans, uti nec sibi nec aliis, quinam homo esset, satis constaret. Non alloqui amicos, vix notis familiariter arridere: munificentia inaequali sese aliosque ludificari: quibusdam honoratis, magnoque aestimantibus se, puerilia, ut escae aut lusus, munera dare: alios nihil expectantes ditare. Itaque nescire quid sibi vellet, quibusdam videri. quidam ludere eum simpliciter, quidam haud dubie insanire ajebant. In duabus tamen magnis hones-

mestisque rebus vere regius erat animus, in urbium donis, & deorum cultu. Megalopolitanis in Arcadia murum se circundaturum urbi est pollicitus: majoremque partem pecuniae dedit. Tegeae theatrum magnificum e marmore facere instituit. Cyzici in prytaneum, id est, penetrale urbis, ubi publice, quibus is honos datus est, vescuntur, vasa aurea mensae unius posuit. Rhodiis nihil unum insigne, ita omnis generis, ut quaeque usus eorum postulaverunt, dona dedit. Magnificentiae vero in deos, vel Jovis Olympii templum Athenis, unum in terris inchoatum pro magnitudine dei, potest testis esse. Sed & Delon maris insignibus, statuarumque copia exornavit: & Antiochiae Jovis Capitolini magnificum templum non laqueatum auro tantum, sed parietibus totis lamina inauratum, & alia multa in aliis locis pollicitus, quia perbreve tempus regni ejus fuit, non perfecit. Spectaculorum quoque omnis generis magnificentia superiores reges vicit, reliquorum sui moris & copia Graecorum artificum. gladiatorum munus Romanae consuetudinis primo majore cum terrore hominum insuetorum ad tale spectaculum, quam voluptate dedit: deinde saepius dando, & modo vulneribus tenus, modo sine missione etiam, & familiare oculis gratumque id spectaculum fecit, & armorum studium plerisque juvenum accendit. Itaque qui primo ab Roma magnis praemiis paratos gladiatores accersere solitus erat, jam

CAPUT XXI.

Hoc loco interciderunt comitia consularia, quibus consules creati sunt Sp. Postumius Albinus, Q. Mutius Scaevola. Comitia item praetoria. De sortitione autem provinciarum praetorum subsequitur hoc modo. Jam praetores sortiti provincias erant: „ C. Cassius Longinus urbanam, L. Corne- „ lius Scipio inter peregrinos.

*

Facta provinciarum sortitione, exercitus decernuntur: foeda grassante pestilentia, ingens moritur mortalium numerus: exstinctis nonnullis sacerdotibus, novi sufficiuntur: pestilentia non cessante, fit supplicatio, votumque a populo concipitur: prodigia quoque procurantur.

26 L. Cornelius Scipio inter peregrinos. M. Atilio praetori provincia Sardinia obvenerat, sed cum legione nova, quam consules conscripserant, V. millibus peditum, CCC. equitibus in Corsicam jussus est transire. Dum is ibi bellum gereret, Cornelio prorogatum imperium, uti obtineret Sardiniam. Cn. Servilio Caepioni in Hispaniam ulteriorem, & P. Furio Philo in citeriorem tria M. peditum Romanorum, equites CL. & socium Latini nominis V. millia peditum, CCC. equites. Sicilia L. Claudio sine supplemento decreta. Duas praeterea legiones COSS. scribere jussis. cum justo numero peditum equitumque & X. millia peditum sociis imperare, & DC. equites. Delectus consulibus eo difficilior erat, quod pestilentia, quae priore anno in boves ingruerat, eo verterat in hominum morbos. qui inciderant, haud facile septimum diem superabant: qui superaverant, longinquo maxime quartanae implicabantur morbo. Servitia maxime moriebantur. eorum strages per omnes vias insepultorum erat. Ne liberorum quidem funeribus libitina sufficiebat. Cadavera intacta a canibus ac vulturibus tabes absumebat; satisque constabat, nec illo, nec priore anno in tanta strage boum, hominumque vulturium usquam visum. Sacerdotes publici ea pestilentia mortui sunt, Cn. Servilius Caepio pontifex pater praetoris, & Tib. Sempronius C. F. Longus Decemvir

cemvir ſacrorum, & P. Ælius Paetus augur, & Tib. Sempronius Gracchus, & C. Mamilius Vitulus curio maximus, & M. Sempronius Tuditanus pontifex. Pontifices ſuffecti ſunt, C. Sulpitius Galba in locum Tuditani * Augures ſuffecti ſunt, in Gracchi locum T. Veturius Craſſus Sempronianus, in P. Ælii Q. Ælius Paetus. Decemvir ſacrorum C. Sempronius Longus, curio maximus C. Scribonius Curio ſufficitur. Cum peſtilentiae finis non fieret, ſenatus decrevit, uti Decemviri libros Sibyllinos adirent. Ex decreto eorum diem unum ſupplicatio fuit, & Q. Martio Philippo verba praeeunte, populus in foro votum concepit, ſi morbus peſtilentiaque ex agro Romano emota eſſet, biduum ferias ac ſupplicationem ſe habiturum. In Vejenti agro biceps natus puer, & Sinueſſae unimanus, & Oximi puella cum dentibus, & arcus interdiu ſereno cœlo ſuper aedem Saturni in foro Romano intentus, & tres ſimul ſoles effulſerunt, & faces eadem nocte plures per cœlum lapſae ſunt. Lanuvini, Caeriteſque anguem in oppido ſuo jubatum aureis maculis ſparſum apparuiſſe affirmabant, & in agro Campano bovem locutum eſſe ſatis conſtabat.

CAPUT XXII.

Legati redeuntes ex Africa nuntiant, legationem a Perſeo rege Macedoniae miſſam ad Carthaginienſes, & ab iis nocte auditam: ab ſenatu legati in Macedoniam mittuntur.

Legati Nonis Jun. ex Africa redierunt, qui convento prius Maſſaniſſa rege Carthaginem ierant: caeterum certius aliquanto quae Carthagine acta eſſent, ab rege reſcierant, quam ab ipſis Carthaginienſibus. compertum tamen affirmaverunt, legatos ab rege Perſeo veniſſe, iiſque noctu ſenatum in aede Æſculapii datum eſſe. ab Carthagine legatos in Macedoniam miſſos, & rex affirmaverat, & ipſi parum conſtanter negaverant. In Macedoniam quoque mittendos legatos ſenatus cenſuit. Tres miſſi ſunt, C. Laelius, M. Valerius Meſſala, Sex. Digitius. 27

CAPUT XXIII.

Perſeus rex Macedoniae Graecas civitates, alias ipſe coram, alias per legatos aut literas, ſibi conciliat: ſolicitati Achaei quoque jam ante Macedonibus infenſi, deliberant: amicitiam cum rege diſſuadet Callicrates; ſuadet Arco: decretum differtur.

Perſeus per id tempus, quia quidam Dolopum non parebant, & de quibus ambigebatur rebus, diſceptatione ab rege ad Romanos

manos revocabant, cum exercitu profectus, sub ius judiciumque suum totam coegit gentem. Inde per Oetaeos montes transgressus, religionibus quibusdam animo objectis, oraculum aditurus Delphos ascendit. Cum in media repente Graecia apparuisset, magnum non finitimis modo urbibus terrorem praebuit, sed in Asiam quoque ad regem Eumenem nuntius tumultus ejus venit. Triduum non plus Delphis moratus, per Phthiotidem Achajam, Thessaliamque sine damno injuriaque agrorum, per quos iter fecit, in regnum redi t. Nec earum tantum civitatum, per quas iturus erat, satis habuit animos sibi conciliare: sed aut legatos, aut literas dimisit, petens ne diutius simultatum, quae cum patre suo fuissent, meminissent: nec enim tam atroces fuisse eas, ut non cum ipso potuerint ac debuerint finiri: secum quidem omnia illis integra esse ad instituendam fideliter amicitiam. Cum Achaeorum maxime gente reconciliandae gratiae viam quaerebat. Haec una ex omni Graecia gens, & Atheniensium civitas, eo processerat irarum, ut finibus interdiceret Macedonibus. Itaque servitiis ex Achaia fugientibus receptaculum Macedonia erat: quia cum finibus suis interdixissent, intrare regni terminos ipsi non audebant. Id cum Perseus animadvertisset, comprehensis omnibus literas ad Achaeos misit, quibus se servos eorum, qui ad se transfugerant, benigne remittere illis scripsit. Caeterum ne similis fuga servorum postea fieret, cogitandum & illis esse. Recitatis his litteris per Xenarchum praetorem, qui privatae gratiae aditum apud regem quaerebat: & plerisque moderate & benigne scriptas esse censentibus literas, atque his maxime qui praeter spem recepturi essent amissa mancipia: Callicrates ex iis qui in eo verti salutem gentis crederent, si cum Romanis inviolatum foedus servaretur, *Parva*, inquit, *aut mediocris res, Achaei, quibusdam videtur agi; ego maxime gravissimam omnium, non agique tantum arbitror, sed quodam modo actam esse. Nam qui regibus Macedonum Macedonibusque ipsis, finibus interdixissemus, manereque id decretum voluimus; scilicet ne legatos, ne nuntios admitteremus regum, per quos aliquorum ex nobis animi sollicitarentur: ii concionantem quodammodo absentem audimus regem, & si diis placet, orationem ejus probamus: & cum ferae bestiae cibus ad fraudem suam positum plerumque aspernentur & refugiant, nos caeci specie parvi be-*

28

*beneficii inescamur: & servulorum minimi pretii recipiendorum spe, nostram ipsorum libertatem subrui & tentari patimur. Quis enim non videt viam regiae societatis quaeri, qua Romanum foedus, quo nostra omnia continentur, violetur? Nisi hoc dubium alicui est, bellandum Romanis cum Perseo esse, & quod vivo Philippo expectatum, morte ejus interpellatum est, id post mortem Philippi futurum. Duos, ut scitis, habuit filios Philippus, Demetrium & Persea. Genere materno, virtute, ingenio, favore Macedonum, longe praestitit Demetrius. Sed quia in Romanos odii regnum posuerat praemium, Demetrium nullo alio crimine, quam Romanae amicitiae initae, occidit: Persea, quem P. R. prius poenae, quam regni haeredem futurum sciebat, regem fecit. Itaque quid hic post mortem patris egit aliud, quam bellum paravit? Bastarnas primum ad terrorem omnium Dardaniam immisit: qui si sedem eam tenuissent, graviores eos accolas Graecia habuisset, quam Asia Gallos habeat. Ea spe depulsus, non tamen belli consilia omisit: imo si vera volumus dicere, jam inchoavit bellum. Dolopiam armis subegit, nec provinciis de controversis ad disceptationem P. R. * revocantem audivit. inde transgressus Oetam, ut repente in medio umbilico Graeciae conspiceretur, Delphos ascendit. Haec usurpatio itineris insoliti quo vobis spectare videtur? Thessaliam deinde peragravit, quod sine ullius eorum quos oderat noxia, hoc magis tentationem metuo. Inde literas ad nos cum muneris specie misit, & cogitare jubet quomodo in reliquum hoc munere non egeamus, hoc est, ut decretum quo arcentur Peloponneso Macedones, tollamus: rursus legatos regios, & hospitia cum principibus, & mox Macedonum exercitus, ipsum quoque a Delphis (quantum enim interluit fretum?) trajicientem in Peloponnesum videamus: immiscеamur Macedonibus armantibus se adversus Romanos. Ego nihil novi censeo decernendum, servandaque omnia integra, donec ad certum * dirigatur, vanusne hic timor noster, an verus fuerit: si pax inviolata inter Macedonas Romanosque manebit, nobis quoque amicitia & commercium sit. nunc de eo cogitare periculosum & immaturum videtur.* Post hunc Arco frater Xenarchi praetoris ita disseruit. *Difficilem orationem Callicrates & mihi, & omnibus, qui ab eo dissentimus, fecit: agendo enim Romanae societatis caussam ipse, tentarique & oppugnari dicendo, quam nemo neque tentat neque oppugnat; effecit, ut qui ab se dissentiret, adversus Romanos dicere videretur. Ac primum omnium tanquam non hic nobiscum fuisset, sed aut ex curia P.*

* al. provocantem.

* al. redigatur.

29

*P. R. veniret, aut regum arcanis interesset, omnia scit & nuntiat quae occulte facta sunt: divinat etiam quae futura fuerant, si Philippus vixisset: quid ita Perseus regni haeres sit, quid parent Macedones, quid cogitent Romani. Nos autem, qui nec ob quam caussam, nec quemadmodum perierit Demetrius, scimus, nec quid Philippus, si vixisset, facturus fuerit, ad haec quae palam geruntur, consilia nostra accommodare oportet. Ac scimus Persea regno accepto * ad legatos Romanos venisse, ac regem Persea a P. R. appellatum: audivimus legatos Romanos venisse ad regem, & eos benigne exceptos. Haec omnia pacis equidem signa esse judico, non belli: nec Romanos offendi posse, si ut bellum gerentes eos secuti sumus, nunc quoque pacis auctores sequamur. Cur quidem nos inexpiabile omnium soli bellum adversus regnum Macedonum geramus, non video. Opportuni propinquitate ipsa Macedoniae sumus: an infirmissimi omnium, tanquam quos nuper subjecit, Dolopes? Imo * contra ea vel viribus nostris deûm benignitate, vel regionis intervallo tuti. Sed sumus aeque subjecti ac Thessali * Ætolique. nihilo plus fidei auctoritatisque habeamus adversus Romanos, qui semper socii atque amici fuimus, quam Ætoli, qui paullo ante hostes fuerunt. Quod Ætolis, quod Thessalis, quod Epirotis, omni denique Graeciae cum Macedonibus juris est, idem & nobis sit. cur execrabilis ista nobis solis velut desertio juris humani est? Fecerit aliquid Philippus, cur adversus eum armatum & bellum gerentem hoc decerneremus. quid Perseus novus rex, omnis injuriae insons, suo beneficio paternas simultates oblitterans meruit? Cur soli omnium hostes ei sumus? Quanquam & illud dicere poteram, tanta priorum Macedoniae regum merita erga nos fuisse, ut Philippi unius injurias, si quae forte fuerunt, oblivisceremur utique post mortem. cum classis Romana Cenchris staret, COS. cum exercitu Elatiae esset, triduum in concilio fuimus consultantes, utrum Romanos an Philippum sequeremur. nonnihil metus praesens ab Romanis sententias nostras inclinarit: fuit certe tamen aliquid, quod tam longam deliberationem faceret, id quod erat vetusta conjunctio cum Macedonibus, vetera & magna in nos regum merita. Valeant & nunc eadem illa, non ut praecipue amici, sed ne praecipue inimici simus. Ne id quod non agitur, Callicrates, simulaverimus. nemo novae societatis, aut novi fœderis, quo nos temere illigemus, conscribendi est auctor: sed commercium tantum juris praebendi repetendique sit: ne interdictione finium nostrorum & nos quoque regno arceamus: ne servis nostris*

* al. legatos Romam misisse.

* al. contra eam.

* al. Epirotaeque.

aliquo

aliquo fugere liceat, quid hoc adversus Romana fœdera est? Quid rem parvam & apertam, magnam & suspectam facimus? Quid vanos tumultus ciemus? Quid ut ipsi locum assentandi Romanis habeamus, suspectos alios ac invisos efficimus? Si bellum erit, ne Perseus quidem dubitat, quin Romanos secuturi simus: in pace etiam si non odia finiuntur, intermittantur. Cum iidem huic orationi, qui literis regis adsentierant, adsentirentur: indignatione principum, quod quam rem ne legatione quidem dignam judicasset Perseus, literis paucorum versuum impetraret, decretum differtur. Legati deinde postea missi ab rege, cum Megalopoli concilium esset: dataque opera est ab iis, qui offensionem apud Romanos timebant, ne admitterentur.

CAPUT XXIV.

Intestinae Ætolorum, Cretensiumque discordiae, adventu Romanorum legatorum, qui ad eas sedandas ab senatu missi fuerant, exasperantur.

30 PEr haec tempora Ætolorum in semetipsos versus furor, mutuis caedibus ad internecionem adducturus videbatur gentem. Fessi deinde & Romam utraque pars miserunt legatos, & inter se ipsi de reconcilianda concordia agebant: quae novo facinore discussa res, veteres etiam iras excitavit. Exulibus Hypateis, qui factionis Proxeni erant cum reditus in patriam promissus esset, fideique data per principem civitatis Eupolemum, LXXX. illustres homines, quibus redeuntibus inter caeteram multitudinem Eupolemus etiam obvius exierat, cum salutatione benigne excepti essent, dextraeque datae, ingredientes portam, fidem datam deosque testes nequicquam invocantes interfecti sunt. Inde gravius de integro bellum exarsit. C. Valerius Laevinus, & Ap. Claudius Pulcher, & C. Memmius, & M. Popillius, & L. Canulejus missi ab senatu venerant. Apud eos cum Delphis utriusque partis legati magno certamine egerint, Proxenus maxime cum caussa, tum eloquentia, praestare visus est: qui paucos post dies ab Orthobula uxore veneno est sublatus, damnataque eo crimine in exilium abiit. Idem furor & Cretenses lacerabat. adventu deinde Q. Minutii legati, qui cum decem navibus missus ad sedanda eorum certamina erat, in spem pacis venerant: caeterum induciae & antea sex mensium fuerunt: inde multo gravius bellum exarsit. Lycii quoque per idem tempus ab Rhodiis bello vexabantur. Sed externorum inter se bella, quo quaeque modo

gesta sunt, persequi non operae est, satis superque oneris sustinenti res a P. R. gestas scribere.

CAPUT XXV.

Ap. Claudius proc. oppressis rebellantibus Celtiberis, debellat.

31 Celtiberi in Hispania, qui bello domiti se Tib. Graccho dediderant, pacati manserant, M. Titinio Pr. obtinente provinciam, rebellarunt sub adventum Ap. Claudii, orsique bellum sunt ab repentina oppugnatione castrorum Romanorum. Prima lux ferme erat, cum vigiles in vallo, quique in portarum stationibus erant, cum vidissent procul venientem hostem, ad arma conclamaverunt. Ap. Claudius signo proposito pugnae, ac paucis adhortatus milites, tribus simul portis eduxit. Obsistentibus ad exitum Celtiberis, primo par utrinque praelium fuit, quia propter angustias non omnes in faucibus pugnare poterant Romani. urgentes deinde alii alios secuti evaserunt extra vallum, ut pandere aciem, & exaequari cornibus hostibus, quibus circumibantur, possent. ita repente eruperunt, ut sustinere impetum eorum Celtiberi nequirent. Ante horam secundam pulsi sunt, ad XV. millia caesa aut capta, signa ademta duo & XXX., castra etiam eo die expugnata, debellatumque: nam qui superfuere praelio, in oppida sua dilapsi sunt: quieti deinde paruerunt imperio.

CAPUT XXVI.

Censura Q. Fulvii Flacci, & A. Postumii Albini: intestinarum inter Patavinos discordiarum per Consulem, ab Roma missum, sedatio.

32 Censores eo anno creati Q. Fulvius Flaccus, & A. Postumius Albinus legerunt senatum. princeps lectus M. Æmilius Lepidus pont. max. de senatu novem ejecerunt. Insignes notae fuerunt M. Cornelii Maluginensis, qui biennio ante Pr. in Hispania fuerat, & L. Cornelii Scipionis Pr. cujus tum inter cives & peregrinos jurisdictio erat, & Cn. Fulvii, qui frater germanus, &, ut Valerius Antias tradit, consors etiam censoris erat. COSS. votis etiam in Capitolio nuncupatis, in provincias profecti sunt. Ex iis * * senatus negotium dedit, ut Patavinorum in Venetia seditionem comprimeret: quos certamine factionum ad intestinum bellum exarsisse & ipsorum legati attulerant. Legati qui in Ætoliam ad similes motus comprimendos ierant, renuntiarunt coerceri rabiem gentis non posse. Patavinis saluti fuit adventus consulis, neque aliud quod ageret in provincia cum habuisset, Romam rediit. Censores vias sternendas silice

in

in urbe glarea extra urbem subſtruendas marginandaſque primi omnium locaverunt: ponteſque multis locis faciendos, & ſcenam aedilibus praetoribuſque praebendam, & carceres in circo, & ova ad notas curriculis numerandas, & * dam, & metas trans & caveas ferreas pe * intromitterentur ferreis in monte Albano conſulibus, & clivum Capitolinum ſilice ſternendum curaverunt, & porticum ab aede Saturni in Capitolium ad cœnaculum, ac ſuper id curiam. & extra portam Tergeminam emporium lapide ſtraverunt, ſtipitibuſque ſepſerunt,& porticum Æmiliam reficiendam curarunt, gradibuſque aſcenſum ab Tiberi in emporium fecerunt: & extra eandem portam in Aventinum porticum ſilice ſtraverunt, & eo publico ab aede Veneris fecerunt. Iidem Calatiae & Oximi muros faciendos locaverunt. venditiſque ibi publicis locis, pecuniam quae redacta erat, tabernis utrique foro circundandis conſumſerunt... & alter ex iis Fulvius Flaccus (nam Poſtumius nihil niſi ſenatus Romani, populive juſſu ſe locaturum ipſorum pecunia) Jovis aedem Piſauri & Fundis, & Pollentiae etiam aquam adducendam, & Piſauri viam ſilice ſternendam, & Sinueſſam a ga * aviariae. In his & cloacam in fluvium circunducendam & forum porticibus taberniſque claudendum, & Janos tres faciendos. Haec ab uno cenſore opera locata cum magna gratia colonorum. Moribus quoque regendis diligens & ſevera cenſura fuit. multis equi ademti.

CAPUT XXVII.

Fit ſupplicatio propter res in Hiſpania proſpere geſtas ab Ap. Claudio proc., qui paullo poſt ovans Urbem ingreditur: nuntiatum prodigium procuratur: habitis comitiis, novi coſs. creantur L. Poſtumius Albinus, & M. Popillius Laenas.

Exitu prope anni diem unum ſupplicatio fuit ob res proſpere geſtas in Hiſpania, ductu auſpicioque Ap. Claudii proconſulis, & majoribus hoſtiis XX. ſacrificatum, & alterum diem ſupplicatio ad Cereris Liberi Liberaeque fuit, quod ex Sabinis terraemotus ingens cum multis aedificiorum ruinis nuntiatus erat. Cum Ap. Claudius ex Hiſpania Romam rediſſet, decrevit ſenatus, ut ovans urbem iniret. Jam conſularia comitia appetebant: quibus magna contentione habitis, propter multitudinem petentium, creati L. Poſtumius Albinus, & M. Popillius Laenas. Praetores inde facti, Cn. Fabius Buteo, M. Matienus, C. Cicerejus M. Furius Craſſipes

33

iterum, A. Atilius Seranus iterum, C. Cluvius Saxula iterum. Comitiis perfectis Ap. Claudius Centho ex Celtiberis ovans cum in urbem iniret, decem millia pondo argenti, quinque millia auri in aerarium tulit. Flamen dialis inauguratus est Cn. Cornelius.

CAPUT XXVIII.

In aede matris Matutae tabulam ponit Tib. Gracchus cum titulo rerum ab se gestarum: insigne gladiatorum munus dat T. Flamininus.

EOdem anno tabula in aede Matris Matutae cum indice hoc posita est: *Tib. Sempronii Gracchi consulis imperio auspicioque legio exercitusque P. R. Sardiniam subegit. In ea provincia hostium caesa aut capta supra LXXX. millia. Rep. felicissime gesta atque liberatis * vectigalibus restituiis, exercitum salvum atque incolumem plenissimum praeda domum reportavit: iterum triumphans in urbem Romam rediit: cujus rei ergo hanc tabulam donum Jovi dedit.* Sardiniae insulae forma erat, atque in ea simulacra pugnarum picta. Munera gladiatorum eo anno aliquot parva alia data, unum ante caetera insigne fuit T. Flaminini, quod mortis caussa patris sui cum visceratione epuloque & ludis scenicis quatriduum dedit. magni tamen muneris ea summa fuit, ut per triduum quatuor & septuaginta homines pugnarint.

L. FLORI
DECADIS QUINTÆ
LIBRI SECUNDI.

EPITOME.

Fulvius Flaccus censor templum Junonis Laciniæ tegulis marmoreis spoliavit, ut ædem, quam dedicaverat, tegeret. tegulæ ex S. C. reportatæ. Eumenes Asiæ rex in senatu de Perseo Macedoniæ rege questus est, cujus injuriæ in populum Romanum referuntur. ob quas bello ei indicto, P. Licinius Crassus COS. cui Macedonia decreta erat, in Macedoniam transiit: levibusque expeditionibus, equestribus præliis in Thessalia cum Perseo felici eventu pugnavit. Inter Massanissam, & Carthaginienses de agro fuit dies ad disceptandum a senatu datus. Legati missi ad civitates socias, & reges rogandos, ut in fide permanerent, dubitantibus Rhodiis. Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt civium capita CCLVII. millia, CCXXXI. Rex præterea adversus Corsos & Ligures prospere gestas continet.

DECADIS QUINTÆ

LIBER SECUNDUS

CAPUT I.

Novorum magistratuum provinciæ.

A. U. C. 577.

LUcius Postumius Albinus, M. Popillius Lænas, cũ omniũ primum de provinciis exercitibusque ad senatum retulissent: Ligures utrique decreti sunt, ut nova s ambo, quibus eam provinciam obtinerent, legiones (binæ singulis decretæ) & socium Latini nominis dena millia peditum, & DC. equites, & supplementum Hispaniæ III. millia peditum Romanorum scriberent, & CC. equites. Ad hoc mille & D. pedites Romani cum centum equitibus scribi jussi, cum quibus Pr. cui Sardinia obtigisset, in Corsicam transgressus bellum gereret: interim M. Atilius vetus prætor provinciam obtineret Sardiniam. Prætores deinde provincias sortiti sunt: A. Atilius Serranus urbanam, C. Cluvius Saxula inter cives & peregrinos, Cn. Fabius Buteo Hispaniam citeriorem, M. Matienus ulteriorem, M. Furius Crassipes Siciliam, C. Cicerejus Sardiniam.

CAPUT II.

L. Postumius Cos. privatim iratus Prænestinis, in Campaniam ad agros recognoscendos proficiscens, jubet eorum magistratus sibi obviam exire, pararique hospitium publico sũmtu: hic primus omnium Romanorum magistratuum sociis oneri est.

PRiusquam magistratus proficiscerentur, senatui placuit, L. Postumium COS. ad agrum publicum a privato terminandum, in Campaniam ire: cujus ingentem modum possidere privatos, paullatim proferendo fines, constabat. Hic iratus Prænestinis, quod cum eo privatus sacrificii in templo Fortunæ faciundi caussa profectus esset, nihil in se honorifice neque publice neque privatim factum a Prænestinis esset, priusquam ab Roma proficisceretur, literas Præneste misit, ut sibi magistratus obviam exiret, locum publice pararet, ubi diverteretur, jumentaque, cum exiret inde, præsto essent. Ante hunc COS. nemo unquam

quam sociis in ulla re onerari aut sumtui fuit: ideo magistratus mulis tabernaculisque, & omni alio instrumento militari ornabantur, ne quid tale imperarent sociis. privata hospitia habebant: ea benigne comiterque colebant: domusque eorum Romæ hospitibus patebant, apud quos ipsis diverti mos esset. Legati qui repente aliquo mitterentur, singula jumenta per oppida, iter qua faciendum erat, imperabant. aliam impensam socii in magistratus Romanos non faciebant. Injuria COS. etiam si justa, non tamen in magistratu exercenda, & silentium nimis aut modestum aut timidum Prænestinorum, jus, velut probato exemplo, magistratibus fecit graviorum in dies talis generis imperiorum.

CAPUT III.

Legati ex Macedonia reversi renuntiant, a Perseo rege parari bellum: id antequam suscipiatur, prodigia expiantur.

2 PRincipio hujus anni, legati qui in Ætoliam & Macedoniam missi erant, renuntiarunt, *sibi conveniendi regis Persei, cum alii abesse eum, alii ægrum esse, falso utrunque fingerent, potestatem non factam. Facile tamen apparuisse sibi, bellum parari, nec ultra ad arma ire dilaturum. Item in Ætolia seditionem gliscere in dies: neque discordiarum principes auctoritate sua coerceri potuisse.* Cum bellum Macedonicum in expectatione esset, priusquam id susciperetur, prodigia expiari, pacemque deum peti precationibus, quæ editæ ex fatalibus libris essent, placuit. Lanuvii classis magnæ species in cœlo visæ dicebantur, & Priverni lana pulla terra enata, & in Vejenti apud Rementem lapidatum, Pomptinum omne velut nubibus locustarum coopertum esse, in Gallico agro, qua induceretur aratrum, sub existentibus glebis pisces emersisse. Ob hæc prodigia libri fatales inspecti, editumque ab decemviris est, quibus diis, quibusque hostiis sacrificaretur, & ut supplicatio prodigiis expiandis fieret: altera quæ priore anno valetudinis populi caussa vota esset, ea uti feriæque essent. Itaque sacrificatum est, ut decemviri scriptum ediderunt.

CAPUT IV.

Q. Fulvius Flaccus censor templo Junonis Laciniæ tegulas marmoreas detrahit, ut ædem ab se votam Fortunæ Equestri exornet: hoc factum aversati Patres jubent tegulas, unde ablatæ essent, reportari.

EOdem anno ædes Junonis Laciniæ detecta. Q. Fulvius Flaccus censor ædem Fortunæ equestris, quam in Hispania Prætor bello Celtiberico voverat, fa- 3

faciebat enixo ſtudio, ne ullum Romæ amplius aut magnificentius templum eſſet. Magnum ornamentum ſe templo ratus adjecturum, ſi tegulæ marmoreæ eſſent; profectus in Brutios ædem Junonis Laciniæ ad partem dimidiam detegit, id ſatis fore ratus ad tegendum quod ædificaretur. Naves paratæ fuerunt, quæ tollerent atque aſportarent, auctoritate cenſoria ſociis deterritis id ſacrilegium prohibere. Poſtquam cenſor rediit, tegulæ expoſitæ de navibus ad templum portabantur. quanquam unde eſſent ſilebatur: non tamen celari potuit. Fremitus igitur in curia ortus eſt: ex omnibus partibus poſtulabatur, ut conſules eam rem ad ſenatum referrent. Ut vero accerſitus in curiam cenſor venit, multo infeſtius ſinguli univerſique præſentem lacerare, *templum auguſtiſſimum regionis ejus, quod non Pyrrhus, non Annibal violaſſent, violare parum habuiſſe, niſi detexiſſet fœde, ac prope diruiſſet. Detractum culmen templo, nudatum tectum patere imbribus putrefaciendum. cenſorem moribus regendis creatum, cui ſartatecta exigere ſacris publicis, & loca tuenda more majorum traditum eſſe, eum per ſociorum urbes diruentem templa, nudantemque tecta ædium ſacrarum vagari: & quod ſi in privatis ſociorum ædificiis faceret, indignum videri poſſet, id deum immortalium templa demolientem facere: & obſtringere religione P. R. ruinis templorum templa ædificantem: tanquam non iidem ubique dii immortales ſint, ſed ſpoliis aliorum alii colendi exornandique*. Cum, priuſquam referretur, appareret, quid ſentirent patres, relatione facta, in unam omnes ſententiam ierunt, ut hæ tegulæ reportandæ in templum locarentur, piaculariaque Junoni fierent. Quæ ad religionem pertinent, cum cura facta. tegulas relictas in area templi, quia reponendarum nemo artifex inire rationem potuerit, redemtores nunciarunt.

CAPUT V.

Mortuo Maſſiliæ Num. Fabio prætore, remanet in Hiſpania citeriore, in quam is ſuccedebat, P. Furius, facta ſortitione cum Cn. Servilio: ager Liguſtinus, & Gallicus vacans, ex ſenatuſconſulto viritim dividitur.

Ex prætoribus, qui in provincias ierant, N. Fabius Maſſiliæ moritur, cum in citeriorem Hiſpaniam iret. Itaque cum id nunciatum a Maſſilienſibus legatis eſſet, ſenatus decrevit, ut P. Furius & Cn. Servilius, quibus ſuccedebatur, inter ſe compararent, aut ſortirentur, uter citeriorem Hiſpaniam prorogato imperio obtineret. 4

Sors.

Sors opportuna fuit: P. Furius idem, cujus ea provincia fuerat, * remaneret. Eodem anno cum agri Liguftini & Gallici quod bello captum erat, aliquantum vacaret, S. C. factum, ut is ager viritim divideretur. Decemviros in eam rem ex S. C. creavit A. Atilius, prætor urbanus, M. Æmilium Lepidum, C. Caſſium, T. Æbutium Parrum, C. Tremellium, P. Cornelium Cethegum, Q. & L. Apulejos, M. Cæcilium, C. Salonium, T. Munatium. Diviſerunt dena jugera in ſingulos, ſociis nominis Latini terna.

* al. e- nā- it.

CAPUT VI.

Et in Ætolia, & in Theſſalia res, inteſtinis ſeditionibus turbatæ, per legatos Rom. componuntur; nuntiantibus Theſſalorum legatis Perſea regem bellum agitare, ad res inſpiciendas legati in Macedoniam mittuntur: cum Ptolemæo Alexandriæ rege amicitia renovatur.

PEr idem tempus quo hæc agebantur, legati ex Ætolia Romam venerunt de diſcordiis ſeditionibuſque ſuis, & Theſſali legati, nuntiantes quæ in 5 Macedonia gererentur. Perſeus jam bellum vivo patre cogitatum in animo volvens, omnes non gentes modo Græciæ, ſed civitates etiam, legationibus mittendis, pollicendo plura quam præſtando, ſibi conciliabat. Erant tamen magna ex parte hominum ad favorem ejus inclinati animi, & aliquanto quam in Eumenem propenſiores, cum Eumenis beneficiis muneribuſque omnes Græciæ civitates, & plerique principum obligati eſſent: & ita ſe in regno ſuo gereret, ut quæ ſub ditione ejus urbes eſſent, nullius liberæ civitatis fortunam ſecum mutatam vellent. Contra Perſea fama erat poſt patris mortem uxorem manu ſua occidiſſe: Apellem miniſtrum quondam fraudis in fratre tollendo, atque ob id requiſitum a Philippo ad ſupplicium, exulantem, accerſitum poſt patris mortem ingentibus promiſſis ad præmia tantæ perpetratæ rei, clam interfeciſſe. Inteſtinis externiſque præterea multis cædibus infamem, nec ullo commendabilem merito præferebant vulgo civitates tam pio erga propinquos, tam juſto in cives, tam munifico erga omnes homines regi, ſeu fama & majeſtate Macedonum regum præoccupati ad ſpernendam originem novi regni, ſeu mutationis rerum cupidi, ſeu quia eum objectum eſſe Romanis volebant. Erant autem non Ætoli modo in ſeditionibus propter ingentem vim æris alieni, ſed Theſſali etiam: ea contagione velut tabes in Perrhæbiam quoque id pervaſerat.

malum. Cum Thessalos in armis esse nuntiatum est, Ap. Claudium legatum ad eas res aspiciendas componendasque senatus misit. Qui utriusque partis principibus castigatis, cum injusto fœnore gravatum æs alienum, ipsis magna ex parte concedentibus qui onerarant, levasset, justi crediti solutionem in annorum pensiones distribuit. Per eundem Appium eodemque modo compositæ in Perræbia res. Ætolorum caussas Marcellus Delphis per idem tempus hostilibus actas animis, quas intestino gesserant bello, cognovit. Cum certatum utrinque temeritate atque audacia cerneret, decreto quidem suo neutram partem aut levare, aut onerare voluit. communiter ab utrisque petiit, abstinerent bello, & oblivione præteritorum discordias finirent. Hujus reconciliationis inter ipsos fides obsidibus ultro citroque datis firmata est. Corinthum, ut ibi deponerentur obsides, 6 convenitur. A Delphis & Ætolico concilio Marcellus in Peloponnesum trajecit, quo Achæis edixerat conventum. Ubi collaudata gente, quod constanter vetus decretum de arcendis aditu finium regibus Macedonum tenuissent, insigne adversus Persea odium Romanorum fecit: quod ut maturius erumperet, Eumenes rex, commentarium ferens secum, quod de apparatibus belli omnia inquirens fecerat, Romam venit. Per idem tempus quinque legati ad Regem missi, qui res in Macedonia aspicerent. Alexandriam iidem ad Ptolemæum renovandæ amicitiæ caussa proficisci jussi. Legati erant hi, C. Valerius, C. Lutatius Cerco. Q. Bæbius Sulca, M. Cornelius Mammula, M. Cæcilius Denter.

CAPUT VII.

Antiochus Syriæ rex missis Romam legatis cum stipendio, & donis, impetrat ab Senatu, ut secum, quæ cum patre suo fuerat, amicitia renovetur.

Et ab Antiocho rege sub idem tempus legati venerunt, quorum princeps Apollonius in senatum introductus, multis justisque caussis regẽ excusavit, *quod stipendium serius quoad diem præstaret. id se omne advexisse, ne cujus nisi temporis gratia regi fieret. Donum præterea afferre, vasa aurea quingentum pondo. petere regem, ut quæ cum patre suo societas atque amicitia fuisset, ea secum renovaretur, imperaretque sibi P. R. quæ bono fidelique socio regi essent imperanda: se nullo usquam cessaturum officio. Ea merita in se senatus fuisse cum Romæ esset, eam comitatem juventutis, ut pro rege non pro obside omnibus ordinibus fuerit.* Legatis benigne responsum, & societatem renovare cum

Antiocho, quæ cum patre ejus fuerat, A. Atilius Prætor urbanus jussus. Quæstores urbani stipendium, vasa aurea censores acceperunt, iisque negotium datum est, ut ponerent ea in quibus templis videretur: legatoque centum millium æris munus missum, & ædes liberæ hospitio datæ, sumtusque decretus, donec in Italia esset. Legati qui in Syria fuerant, renunciaverunt, in maximo eum honore apud regem esse, amicissimumque P. R.

CAPUT VIII.

C. Cicerejus Prætor Corsicam subigit: M. Popillius Cos. Ligures Statellates ad deditionem compellit, atque in eos feroci utitur victoria: ob id neque literis, neque ipse coram impetrat, ut suo nomine senatus supplicationem decernat, resque ab se gestas ratas habeat.

7 IN provinciis eo anno hæc. C. Cicerejus prætor in Corsica signis collatis pugnavit: septem millia Corsorum cæsa, capti amplius M. & DCC. Voverat in ea pugna prætor ædem Junioni Monetæ. Pax deinde data patentibus Corsis, & exacta ceræ ducena millia pondo. Ex Corsica subacta Cicerejus in Sardiniam transmisit. Et in Liguribus in agro Statellati pugnatum ad oppidum Caristum: eo se magnus exercitus Ligurum contulerat. Primo sub adventum M. Popillii consulis mœnibus sese continebant: deinde postquam oppidum oppugnaturum Romanum cernebant, progressi ante portas aciem struxerunt: nec consul, ut qui id ipsum oppugnatione comminãda quæsisset, moram certamini fecit. Pugnatum est amplius tres horas, ita ut neutro inclinaret spes. Quod ubi consul vidit, nulla parte moveri Ligurum signa, imperat equitibus ut equos conscendant, ac tribus simul partibus in hostes quanto maximo possent tumultu incurrant. pars magna equitum mediam trajecit aciem, & ad terga pugnantium pervasit. inde terror injectus Liguribus. diversi in omnes partes fugerunt, perpauci retro in oppidum, quia inde se maxime objecerat eques. & pugna tam pervicax multos absumserat Ligurum, & in fuga passim cæsi sunt. decem millia hominum cæsa traduntur, amplius DCC. passim capti. Signa militaria relata LXXXII. nec incruenta victoria fuit. amplius tria millia militum amissa, cum cedentibus neutris ex parte utraque primores caderent. Post hanc pugnam ex diversa fuga in unum collecti Ligures, cum majorem multo partem civium amissam, quam superesse cernerent, (nec enim plus decem millia hominum

num erant) dediderunt sese, nihil quidem illi pacti, speraverant tamen non atrocius, quam superiores imperatores, COS. in se sæviturum. At ille arma omnibus ademit, oppidum diruit, ipsos bonaque eorum vendidit, literasque senatui de rebus ab se gestis misit. Quas cum A. Atilius prætor in curia recitasset, (nam COS. alter Postumius agris recognoscendis in Campania occupatus aberat) atrox res visa senatui, *Statellates, qui uni ex Ligurum gente non tulissent arma adversus Romanos, tum quoque oppugnatos, non ultro inferentes bellum, deditos in fidem populi Romani, omni ultimæ crudelitatis exemplo laceratos, ac deletos esse: tot millia capitum innoxiorum, fidem implorantia populi Romani, ne quis unquam se postea dedere auderet, pessimo exemplo venisse, & distractos passim, justis quondam hostibus P. R. pacatis servire.* Quas ob res S. C. factum est placere senatui, *M. Popillium COS. Ligures, pretio emtoribus reddito, ipsos restituere in libertatem, bonaque ut iis, quicquid ejus recuperari possit, reddantur curare: arma primo quoque tempore fieri in ea gente: consulem de provincia decedere, cum deditos in fidem suam Ligures restituisset. claram victoriam vincendo oppugnantes, non sæviendo in afflictos fieri.* COS. qua ferocia animi usus erat in Liguribus, eandem ad non parendum senatui habuit. legionibus extemplo Pisas in hibernacula missis, iratus patribus, infestus prætori Romam rediit: senatuque extemplo ad ædem Bellonæ vocato, multis verbis invectus est in prætorem: *qui cum ob rem bello bene gestam, ut diis immortalibus honos haberetur, referre ad senatum debuisset, adversus se pro hostibus S. C. fecisset, quo victoriam suam ad Ligures transferret, dediq; iis prope consulem prætor juberet. Itaque mulctam ei se dicere: a patribus postulare, ut S. C. in se factum tolli juberent, supplicationemque, quã absentes ex literis de bene gesta Rep. missis decernere debuerint, præsentes honoris deorum primum caussa, deinde & sui aliquo tãdem respectu decernerent.* Nihilo lenioribus, quã absens, senatorum aliquot orationibus increpitus, neutra impetrata re in provinciã rediit.

CAPUT IX.

Novi creantur magistratus: Coss. sunt C. Popillius Lænas P. Ælius Ligus. a censoribus Q. Fulvio Flacco, L. Postumio Albino lustrum conditur: idem Q. Fulvius censor ædem Fortunæ Equestris ab se votam dedicat: locustarum pestilentia in Apulia grassatur: ad id malum tollendum mittitur C. Sicinius prætor.

Alter COS. Postumius consumta æstate in

recognoscendis agris, ne visa quidem provincia sua, comitiorum caussa Romam rediit. COSS. C. Popillium Lænatem, P. Ælium Ligurem creavit. Prætores exinde facti, C. Licinius Crassus, M. Junius Pœnus, Sp. Lucretius, Sp. Cluvius, Cn. Sicinius, C. Memmius iterum. Eo anno Lustrum conditum est. 10 Censores erant Q. Fulvius Flaccus, & A. Postumius Albinus, Postumius condidit. Censa sunt civium Romanorum capita CCLXIX. millia, & XV. Minor aliquanto numerus, quia L. Postumius COS. pro concione edixerat, qui socium Latini nominis ex edicto C. Claudii COS. redire in civitates suas debuissent, ne quis eorum Romæ, sed omnes in suis civitatibus censerentur. Concors & e Rep. censura fuit. Omnes quos senatu moverunt, quibusque equos ademerunt, ærarios fecerunt, & tribu moverunt. neque ab altero notatum alter probavit. Fulvius ædem Fortunæ equestris, quam proconsul in Hispania dimicans cum Celtiberorum legionibus voverat, annos sex postquam voverat dedicavit, & scenicos ludos per quatriduum, unum diem in circo fecit. L. Cornelius Lentulus decemvir sacrorum eo anno mortuus est; in locum ejus suffectus A. Postumius Albinus. Locustarum tantæ nubes a mari vento repente in Apuliam illatæ sunt, ut examinibus suis agros late operirent. Ad quam pestem frugum tollendam Cn. Sicinius prætor designatus cum imperio in Apuliam missus, ingenti agmine hominum ad colligendas eas coacto, aliquantum temporis absumsit.

CAPUT X.

Contendunt consules, & Senatus: hic vult ut de Popillio, qui in dedítos Ligures contra jus & fas usus sævitia fuerat, referatur: consulibus nõ obsequentibus (est enim M. Popillius frater alterius consulũ) statuit nihil aliud prius decernere.

Principium insequentis U. anni, quo C. Popillius C. & P. Ælius fuerunt COSS. 578 residuas contentiones ex priore anno habuit. Patres referri de Liguribus, renovarique & S. C. volebant, & COS. Ælius referebat. Popillius & collegam & senatum pro fratre deprecabatur, & præ se ferens si quid decernerent, intercessurum, collegam deterruit. patres eo magis utrique pariter COSS. infensi in incœpto perstabant. Itaque cum de provinciis ageretur, & Macedonia, jam imminente Persei bello, peteretur, Ligures ambobus consulibus decernuntur. Macedoniam decreturos negant, ni de M. Popillio referretur. Postulantibus deinde ut novos exercitus scribere, aut supplementum

veteribus liceret, utrumque negatum est. Prætoribus quoque in Hispaniam supplementum petentibus negatum, M. Junio in citeriorem, Sp. Lucretio in ulteriorem. C. Licinius Crassus urbanam jurisdictionem, Cn. Sicinius inter peregrinos erat sortitus, C. Memmius Siciliam, Sp. Cluvius Sardiniam. COSS. ob ea irati senatui, Latinis feriis in primam quanque diem indictis in provinciam abituros se denuntiarunt, nec quicquam rei pub. acturos, præterquam quod ad provinciarum administrationem attineret.

CAPUT XI.

Rex Eumenes Romam venit: introductus in Senatum, bellum a Perseo Macedoniæ rege parari nuntiat: Patres, commemoratis in pop. Rom. injuriis, ad occurrendum hortatur.

11 ATtalum regis Eumenis fratrem legatum venisse Romam Valerius Antias his COSS. scribit ad deferenda de Perseo crimina, indicandosque apparatus belli. Plurium annales, & quibus credidisse malis, ipsum Eumenem venisse tradunt. Eumenes igitur ut Romã venit, exceptus cum tanto honore, quantum non meritis tantum ejus, sed beneficiis etiam suis, ingentia quæ in eum congesta erant, existimaret deberi P. R., in senatum est introductus. *Caussam veniendi sibi Romam fuisse: dixit, præter cupiditatem visendi deos hominesque, quorum beneficio in ea fortuna esset, supra quam ne optare quidem auderet, etiam ut coram moneret senatum, ut Persei conatis obviam iret.* Orsus inde a Philippi consiliis, necem Demetrii filii retulit, adversantis Romano bello. *Bastarnarum gentem excitam sedibus suis, quorum auxiliis fretus in Italiam transiret. Hæc eum volutantem in animo, oppressum fato regnum ei reliquisse, quem infestissimum esse sensisset Romanis. Itaque Persea hæreditarium a patre relictum bellum, & simul cum imperio traditum, jam jam primum alere ac fovere omnibus consiliis. Florere præterea juventute, quam stirpem longa pax ediderit, florere opibus regni, florere etiam ætate. Quæ cum corporis robore ac viribus vigeat, animum esse inveteratum diutina arte atque usu belli. Jam inde a puero, patris contubernio, Romanis quoque bellis, non finitimis tantum assuetum, missum a patre in expeditiones multas variasque.*

12 *Jam ex quo ipse accepisset regnum, multa quæ non vi, non dolo, Philippus omnia expertus potuisset moliri, admirando rerum successu tenuisse. Accessisse ad vires eam, quæ longo tempore multis magnisque meritis pareretur, auctoritatem. Nam apud Græciæ atque Asiæ civitates, vereri majestatem ejus omnes*

nes. Nec pro quibus meritis, pro qua munificentia, tantum ei tribuatur, cernere: nec dicere pro certo posse, utrum felicitate id quadam ejus accidat, an quod ipse vereatur dicere, invidia adversus Romanos favorem illi conciliet. Inter ipsos quoque reges ingentem auctoritate. Seleuci filiam duxisse eum non petentem, sed petitum ultro: sororem dedisse Prusiæ precanti ac oranti: celebratas esse utrasque nuptias gratulatione donisque innumerabilium legationum: & velut auspicibus nobilissimis populis deductas esse. Bœotorum gentem captatam Philippo nunquam ad scribendum amicitiæ fœdus adduci potuisse: tribus nunc locis cum Perseo fœdus incisum literis esse, uno Thebis, altero ad Delum augustissimo & celeberrimo in templo, tertio Delphis. In Achaico concilio vero, nisi discussa res per paucos Romanum imperium intentantes esset, eo rem prope adductam, ut aditus & in Achajam daretur. At Herculis suos honores, cujus merita in eam gentẽ privatim an publice sint majora, vix dici posset, partim desertos per incultũ ac negligentiã, partim hostiliter sublatos esse. Jam Ætolos quem ignorare in seditionibus suis non ab Romanis, sed a Perseo præsidiũ petiisse? His eum fultum societatibus atq; amicitiis eos domestico, apparatus belli habere, ut externis non egeat, XXX. millia peditum, V. millia equitum: in X. annos frumentum præparare: ut abstinere & suo, & hostium agro frumentandi caussa possit. Jam pecuniam tantam habere, ut X. millia mercenariorum militum, præter Macedonum copias, stipendium in totidem annos præparatum habeat, præter annuum, quod ex metallis regiis capiat, vectigal. Arma vel tribus tantis exercitibus in armamentaria congessisse. Juventutem, ut jam Macedonia deficiat, velut ex perenni fonte unde hauriat, Thraciam subiectam esse. Reliquum orationis adhortatio fuit. 13 Non ego hæc, inquit, incertis jactata rumoribus, & cupidius credita, quia vera esse de inimico crimina volebam, adfero ad vos, P. C., sed comperta & explorata, haud secus, quam si speculator missus a vobis subjecta oculis referrem. Neque relicto regno meo, quod amplum & egregium vos fecistis, mare tantum trajecissem, ut vana ad vos afferendo, fidem abrogarem mihi. Cernebam nobilissimas Asiæ & Græciæ civitates in dies magis denudantes judicia sua: mox si permitteretur, eo processuras, unde receptum ad pœnitendum non haberent. Cernebam Persea non continentem se Macedoniæ regno, alia armis occupantem, alia quæ vi subigi non possunt, favore ac benevolentia complectentem. Videbam, quam impar esset sors, cum ille vobis bellum, vos ei securam pacem præstaretis. Quanquam mihi quidem non parare, sed ge-

gerere pene bellum videbatur. Abrupolim socium atque amicum vestrum regno expulit. Artetarum Illyrium, quia scripta ab eo quædam vobis comperit, socium item atque amicum vestrum, interfecit. Eversam & Callicritum Thebanos, principes civitatis, quia liberius adversus eum in concilio Bœotorum locuti fuerant, delaturosque ad vos quæ agerentur, professi erant, tollendos curavit. Auxilium Byzantiis adversus fœdus tulit. Dolopiæ bella intulit. Thessaliam & Doridem cum exercitu pervasit, ut in bello intestino deterioris partis auxilio meliorem affligeret. Confudit & miscuit omnia in Thessalia Perrhæbiaque spe novarum tabularum, ut manu debitorum obnoxia sibi optimates opprimeret. Hæc cum vobis quiescentibus & patientibus fecerit, & concessam sibi Græciam esse a vobis videat, pro certo habet, neminem sibi, antequam in Italiam trajecerit, armatum occursurum. Hoc quam vobis tutum aut honestum sit, vos videritis: ego certe mihi turpe esse duxi, prius Persea ad bellum inferendum, quam me socium ad prædicendum ut caveretis, venire in Italiam. Functus necessario mihi officio, & quodam modo liberata atque exonerata fide mea, quid ultra facere possum, quam uti deos deasque preces, ut vos & vestræ Reipublicæ, & nobis sociis atque amicis, qui ex vobis pendemus, consulatis?

Hæc oratio movit patres conscriptos: cæterum in præsentia nihil, præterquam fuisse in curia regem, scire quisquam potuit, eo silentio clausa curia erat. Bello denique perfecto, quæque dicta ab rege, quæque responsa essent, emanavere.

CAPUT XII.

Persei regis legati, quos ad crimina purganda Romam miserat, in Senatum introducti, aversis auribus, animisque audiuntur: est ingrata Rhodiorum quoque legatio propter orationem habitam intemperantius cōtra Eumenem, quod crederent suspectam fecisse senatui civitatem suam.

PErsei deinde regis legatis post paucos dies senatus datus est. Cæterum præoccupatis non auribus magis, quam animis ab Eumene rege, omnis & defensio & deprecatio legatorum respuebatur: & exasperavit animos ferocia * animi Harpali, qui princeps legationis erat. Is *velle* quidem *& laborare* dixit *regem, ut purganti se nihil hostile dixisse aut fecisse fides habeatur: cæterum si pervicacius caussam belli quæri videat, forti animo defensurum se. Martem communem esse, & eventum incertum belli.* Omnibus civitatibus Græciæ atque Asiæ curæ erat, quid Persei legati, quid Eumenes in senatu egisset: & propter adventum ejus, quem

* al. nimia

quem moturum aliquid rebantur, miserant pleræque civitates, alia in speciem præseferentes, legatos. & legatio Rhodiorum erat, ac Satyrus princeps, haud dubius quin Eumenes civitatem quoque suam Persei criminibus junxisset. Itaque omni modo per patronos hospitesque disceptandi cum rege locum in senatu quærebat. Quod cum contigisset, libertate intemperantius invectus in regem, quod Lyciorum gentem adversus Rhodios concitasset, graviorque Asiæ esset, quam Antiochus fuisset, popularem quidem ac gratam populis Asiæ (nam eo quoque jam favor Persei venerat) orationem habuit, cæterum invisam senatui, inutilemque sibi & civitati suæ. Eumeni vero conspiratio adversus eum favorem apud Romanos fecit. ita omnes ei honores habiti, donaque quam amplissima data, cum sella curuli, atque eburneo scipione.

CAPUT XIII.

Perseus rex certior factus ab legatis suis, bellum sibi ab Romanis instare, infestus ante omnes regi Eumeni, clam immittit in eum percussores: ab his in itinere petitus insidiis Eumenes, ad vitæ periculum proxime adducitur.

15 Legationibus dimissis, cum Harpalus, quanta eximia celeritate poterat, regressus in Macedoniam, nuntiasset regi, nondum quidem parantes bellum reliquisse se Romanos, sed ita infestos, ut facile appareret non dilaturos: & ipse, præterquam quod & ita credebat futurum, jam etiam volebat, in flore virium se credens esse. Eumeni ante omnes infestus erat: a cujus sanguine ordiens bellum, Evandrum Cretensem ducem auxiliorum, & Macedonas tres assuetos ministeriis talium facinorum, ad cædem regis subornat, literasque eis dat ad Praxo hospitam, principem auctoritate & opibus Delphorum. Satis constabat, Eumenem, ut sacrificaret Apollini, Delphos ascensurum. Progressi cum Evandro insidiatores, nihil aliud ad peragendum inceptum, quam loci opportunitatem omnia circumeuntes quærebant. Ascendentibus ad templum a Cirra, plusquam perveniretur ad frequentia ædificiis loca, maceria erat ab læva semitæ paullum extans a fundamento, qua singuli transirent. dextra pars labe terræ in aliquantum altitudinis diruta erat. post maceriam se abdiderunt, gradibus astructis, ut ex ea velut e muro tela in prætereuntem conjicerent. Primo a * mari circumfusa turba amicorum ac satellitum procedebat: deinde extenuabāt paullatim angustiæ agmen. Ubi ad eum locum

* al. agmine.

cum ventum eſt, qua ſingulis eundum erat, primus ſemitam ingreſſus Pantaleon Ætoliæ princeps, cum quo inſtitutus regi ſermo erat; tum inſidiatores exorti ſaxa duo ingentia devolvunt: quorum altero caput ictum eſt regi, altero humerus ſopitus, ex ſemita proclivi in declive multis ſuper prolapſum jam ſaxis congeſtis. & cæteri quidem etiam amicorum & ſatellitum poſtquam cadentem videre, diffugiunt. Pantaleon conſtanter impavidus manſit ad protegendum regem. Latrones cum brevi circumitu maceriæ decurrere ad conficiendum ſaucium poſſent, velut perfecta re in jugum Parnaſſi refugerunt, eo curſu, ut, cum unus non facile ſe quendo per invia atque ardua, moraretur fugam eorum, ne comprenſo indicium emanaret, occiderint comitem. Ad corpus regis primo amici, deinde ſatellites ac ſervi concurrerunt, tollentes ſopitum vulnere, ac nihil ſentientem: vivere tamen ex calore & ſpiritu remanente in præcordiis ſenſerunt; victurum exigua ac prope nulla ſpes erat. Quidam ex ſatellitibus ſecuti latronum veſtigia, cum uſque ad jugum Parnaſſi nequicquam fatigati perveniſſent, re infecta redierunt. Aggreſſi facinus Macedones ut inconſulte, ita audacter cœptum, nec conſulte & timide reliquerunt. Compotem jam ſui regem amici poſtero die deferunt ad navem: inde Corinthum, a Corintho per Iſthmi jugum navibus traductis, Æginam trajiciunt. Ibi adeo ſecreta ejus curatio fuit, admittentibus neminem, ut fama mortuum in Aſiam perferret. Attalus quoque celerius, quam dignum concordia fraterna erat, credidit. Nam & cum uxore fratri, & præfecto arci, tanquam jam haud dubius regni hæres eſt locutus. Quæ poſtea non fefellere Eumenem: & quamquam diſſimulare, & tacite habere id patique ſtatuerat, tamen in primo congreſſu non temperavit, quin uxoris petendæ præmaturam feſtinationem fratri objiceret. Romam quoque fama de morte Eumenis perlata eſt.

16

CAPUT XIV.

Ab legatis Romanis, reverſis ex Macedonia, Romam adducitur L. Rammius Brunduſinus, quo Perſeus decreverat clandeſtini in Romanos ſceleris uti miniſtro: ab hoc detectis in ſenatu omnibus pravis Perſei conſiliis, in eum ut in non dubium hoſtem agitatur bellum; cujus parandi negotium Cn. Sicinio prætori datur.

SUb idem tempus C. Valerius ex Græcia, qui legatus ad viſendum ſtatum regionis ejus ſpeculandaque conſilia Perſei regis miſſus erat,

17

erat, rediit: congruentiaque omnia criminibus ab Eumene allatis referebat. simul & adduxerat secum Praxo a Delphis, cujus domus receptaculum latronum fuerat: & L. Rammium Brundusinum, qui talis indicii delator erat. Princeps Brundusii Rammius fuit: hospitio quoque & duces Romanos omnes, & legatos, exterarum quoque gentium insignes, præcipue regios, accipiebat. Ex eo notitia ei cum absente Perseo fuerat: literisque spem amicitiæ interioris, magnæque inde fortunæ facientibus, ad regem profectus, brevi perfamiliaris haberi, trahique magis quam vellet in arcanos sermones est cœptus. Promissis enim ingentibus præmiis, petere instititit ab eo rex, *quoniam duces omnes legatique Romani hospitio ejus uti assuessent, quibus eorum ipse scripsisset, ut venenum dandum curaret. Cujus scire se comparationem plurimum difficultatis & periculi habere, pluribus consciis comparari. eventu præterea incerto esse, ut aut satis efficacia ad rem peragendam, aut tuta ad rem celandam dentur. se daturum, quod nec in dando, nec datum, ullo signo deprehendi possit.* Rammius veritus, ne si abnuisset, primus ipse veneni experimentum esset, facturum pollicitus proficiscitur: nec Brundusium ante redire, quam convento C. Valerio legato, qui circa Chalcidem esse diceba- tur, voluit. Ad eum primum indicio delato, jussu ejus Romam simul venit. introductus in curiam, quæ acta erant exposuit. Hæc 18 ad ea, quæ ab Eumene delata erant, accessere, quo maturius hostis Perseus judicaretur, quippe quem non justum modo apparare bellum regio animo, sed per omnia clandestina grassari scelera latrociniorum ac veneficiorum cernebant. Belli administratio ad novos COSS. rejecta est: in præsentia tamen Cn. Sicinium prætorem, cujus inter cives & peregrinos jurisdictio erat, scribere milites placuit, qui Brundusium ducti, primo quoque tempore Apolloniam in Epirum trajicerentur, ad occupandas maritimas urbes: ubi COS. cui provincia Macedonia obvenisset, classem appellere tuto, & copias percommode exponere posset. Eumenes aliquandiu Æginæ retentus periculosa & difficili curatione, cum primum tuto potuit, profectus Pergamum, præter pristinum odium recenti etiam scelere Persei stimulante, summa vi parabat bellum. Legati eo ab Roma, gratulantes quod e tanto periculo evasisset, venerunt.

CAPUT XV.

M. Junio, & Sp. Lucretio prætoribus, Hispaniam provinciam sortitis, supplementum ad exercitum datur: ager Campanus per recognitione Postumii Cos. in publicum vindicatus, locatur.

CUm Macedonicum bellum in annum dilatum esset, cæteris prætoribus jam in provincias profectis, M. Junius & Sp. Lucretius, quibus Hispaniæ provinciæ obvenerant, fatigato sæpe idem petendo senatu tandem pervicerunt, ut supplementum sibi ad exercitum daretur. tria millia peditum, C & quinquaginta equites in Romanas legiones, in socialem exercitum V. millia peditum, & CCC. equites imperare sociis jussi. Hoc copiarum in Hispanias cum prætoribus novis portatum 19 est. Eodem anno, quia per recognitionem Postumii COS. magna pars agri Campani, quem privati sine discrimine passim possederant, recuperata in publicum erat, M. Lucretius tribunus plebis promulgavit, ut agrum Campanum censores fruendum locarent: quod factum tot annis post captam Capuam non fuerat, ut in vacuo vagaretur cupiditas privatorum.

CAPUT XVI.

Ariarathes, Cappadociæ rex, filium suum Romam educandum mittit: amicitia cum Thracibus petentibus conjungitur: instante cum Perseo rege bello, ad explorandos sociorum animos legati in Asiam mittuntur.

CUm in expectatione senatus esset, bello etsi non indicto, tamen jam decreto, qui regum suam, Persei qui secuturi amicitiam essent, legati Ariarathis, puerum filium regis secum adducentes Romam venerunt. Quorum oratio fuit, *regem educandum filium Romam misisse: ut jam inde a puero assuesceret moribus Romanis hominibusque. Petere, ut eum non sub hospitum modo privatorum custodia, sed publica etiam curæ ac velut tutelæ vellent esse*. Ea regis legatio grata senatui fuit. Decreverunt ut Cn. Sicinius prætor ædes instructas locaret, ubi filius regis comitesque ejus habitare possent. Et Thracum legatis apud se disceptantibus, & societatem amicitiamque petentibus, & quod petebant datum est, & munera binum millium æris summæ in singulos missa. Hos utique populos, quod ab tergo Macedoniæ Thracia esset, assumtos in societatem gaudebant. Sed ut in Asia quoque & insulis explorata omnia essent, T. Claudium Neronem, M.

De-

Decimium legatos miserunt. Adire eos Cretam & Rhodum jusserunt, simul renovare amicitiam, simul speculari, num solicitati animi sociorum ab rege Perseo essent.

CAPUT XVII.

Prodigia, & eorum expiatio.

20 IN suspensa civitate ad expectationem novi belli, nocturna tempestate columna rostrata in Capitolio, bello Punico priore posita a M. Æmilio COS. cui collega Ser. Fulvius fuit, tota ad imum fulmine discussa est. Ea res prodigii loco habita, ad senatum relata est. Patres ad aruspices referre, & decemviros adire libros jusserunt. Decemviri lustrandum oppidum, supplicationem obsecrationemque habendam, victimis majoribus sacrificandum & in Capitolio Romæ & in Campania ad Minervæ promontorium renuntiarunt: ludos per X. dies Jovi opt. max. primo quoque die faciendos. Ea omnia cum cura facta. aruspices in bonum versurum id prodigium, prolationemque finium, & interitum perduellium portendi responderunt: quod ex hostibus spolia fuissent ea rostra, quæ tempestas disjecisset. Accesserunt quæ cumularent religiones animis. Saturniæ nuntiatum erat sanguine per triduum in oppido pluisse: Calatiæ asinum tripedem natum, & cum tauro quinque vaccis, uno ictu fulminis exanimatos: Oximi terra pluisse. Horum quoque prodigiorum caussa, res divinæ factæ, & supplicatio unum diem, feriæque habitæ.

CAPUT XVIII.

Coactis tribunitia denuntiatione exire in provinciam COSS. C. Popillio, & P. Ælio, renovatur ex populi jussu senatusconsultum, quod illi impediebant, de restituendis in libertatem Liguribus, scelere oppressis a M. Popillio: hic, majore in se concitata invidia propter denuo vexatos bello Ligures, minis Romam pertractus, bis caussa dicta, tandem callida prætoris Licinii arte judicio eximitur. Inter hæc de Corsis triumphat in monte Albano C. Cicereius prætor.

21 COnsules ad id tempus in provincias non exierant: quia neque uti de M. Popillio referrent, senatui obsequebantur, & nihil aliud decernere prius, statutum patribus erat. Aucta etiam invidia est Popillii literis ejus, quibus iterum cum Statellatibus Liguribus proconsul pugnasse se scripsit, ac se * decem * millia eorum occidisse: propter cujus injuriam belli, ceteri quoque Ligurum populi ad arma ierunt. Tum vero non absens modo Popillius, qui deditis contra jus ac fas bellum intulisset, &

al. sedecim

 pa-

pacatos ad rebellandum incitasset: sed COSS. quod non exirent in provinciam, in senatu increpiti. Hoc consensu patrum accensi M. Martius Sermo, & Q. Martius Scylla tribuni plebis, & COSS. mulctam se dicturos, nisi in provinciam exirent, denuntiarunt, & rogationem, quam de Liguribus deditis promulgare in animo haberent, in senatu recitarunt. Sanciebatur, ut qui ex Statellis deditis in libertatem restitutus ante Kalendas Sextiles primas non esset, cujus dolo malo is in servitutem venisset, ut juratus senatus decerneret, qui eam rē quæreret animadverteretque. Ex auctoritate deinde senatus eam rogationem promulgarunt. Priusquam proficiscerentur COSS. C. Cicerejo prætori prioris anni ad ædem Bellonæ senatus datus est. is, expositis, quas in Corsica res gessisset, postulatoque frustra triumpho, in monte Albano, quod jam in morem venerat, ut sine publica auctoritate fieret, triumphavit. Rogationem Martiam de Liguribus magno consensu plebes scivit jussitque. ex eo plebiscito C. Licinius prætor consuluit senatum, quem quærere ex rogatione vellet. Patres ipsum eum quærere jusserunt. Tum demum COSS in provinciam profecti sunt, exercitumque a M. Popillio ceperunt. neque tamen

22

* al. accepe-runt.

M. Popillius reverti Romam audebat, ne caussam diceret, adverso senatu, infestiore populo, apud prætorem qui de quæstione in se posita senatum consuluisset. Huic detrectationi ejus tribuni pl. alterius rogationis denuntiatione occurrerunt: ut si non ante Idus Novembres in urbem Romam introisset, de absente eo C. Licinius statueret ac judicaret. Hoc tractus vinculo cum redisset, ingenti cum invidia in senatum venit. Ibi cum laceratus jurgiis multorum esset, S. C. factum est, ut qui Ligurum post Q. Fulvium, L. Manlium COSS. hostes non fuissent, ut eos C. Licinius, Cn. Sicinius prætores in libertatem restituendos curarent, agrumque iis trans Padum COS. Popillius daret. Multa millia hominum hoc S. C. restituta in libertatem, transductisque Padum ager est assignatus. M. Popillius rogatione Martia bis apud C. Licinium caussam dixit: tertio prætor gratia COS. absentis & Popilliæ familiæ precibus victus, Idibus Martiis adesse reum jussit, quo die novi magistratus inituri erant honorem: ne diceret jus, qui privatus futurus esset. Ita rogatio de Liguribus arte fallaci elusa est.

CA-

CAPUT XIX.

Carthaginienses de regis Massanissæ injuriis queruntur apud Senatum: qui permotus, præsentem Gulussam regis filium, quoniam super iis, de quibus Carthaginienses querantur, nulla a patre mandata se ait accepisse, jubet in Macedoniam proficisci, nuntiareque Massanissæ patri, ut Romam ad disceptandum jure cum Carthaginiensibus legatos mittat.

23 Legati Carthaginienses eo tempore Romæ erant, & Gulussa filius Massanissæ. inter eos magnæ contentiones in senatu fuere. Carthaginienses querebantur, *præter agrum, de quo ante legati ab Roma, qui in re præsenti cognoscerent, missi essent, amplius LXX. oppida castellaque agri Carthaginiensis biennio proximo Massanissam vi atque armis possedisse. Id illi, cui nihil pensi sit, facile esse: Carthaginienses fœdere illigatos silere: prohiberi enim extra fines efferre arma. Quanquam sciant in suis finibus, si inde Numidas pellerent, se gesturos bellum: illo haud ambiguo capite fœderis deterreri, quo diserte vetentur cum sociis P. R. bellum gerere. Sed jam ultra superbiam crudelitatem, & avaritiam ejus non pati posse Carthaginienses: missos esse qui orarent senatum, ut trium harum rerum unam ab se impetrari sinerent: ut vel ex æquo apud socium populum, quid cujusque esset, disceptarent: vel permitterent Carthaginiensibus, ut adversus injusta arma pio justoque se tutarentur bello: vel ad extremum, si gratia plus quam veritas apud eos valeret, semel statuerent, quid donatum ex alieno Massanissæ vellent. Modestius certe daturos eos, & scituros quid dedissent: ipsum nullum præterquam suæ libidinis arbitrio finem facturum. Horum si nihil impetrarent, & aliquod suum post datam a P. Scipione pacem delictum esset, ipsi potius animadverterent in se. Tutam servitutem se sub dominis Romanis, quam libertatem expositam ad injurias Massanissæ malle. Perire namque semel ipsis satius esse, quam sub acerbissimi carnificis arbitrio spiritum ducere.* Sub hæc dicta lacrymantes procubuerunt, stratique humi non sibi magis misericordiam quam regi invidiam concitarunt. Deinde 24 interrogari Gulussam placuit, *quid ad ea responderet: aut si prius mallet, expromeret super qua re Romam venisset.* Gulussa *neque sibi facile esse* dixit *de iis rebus agere, de quibus nihil mandati a patre haberet: neque patri facile fuisse mandare, cum Carthaginienses nec de qua re acturi essent, nec omnino ituros se Romam indicaverint. In æde Æsculapii clandestinum eos per aliquot noctes consilium principum habuisse: unde præterea legatos occultis cum mandatis Romam mitti. Eam*

caussam fuisse patri mittendi se Romam, qui deprecaretur senatum, ne quid communibus inimicis criminantibus se crederent, quem ob nullam aliam caussam, nisi propter constantem fidem erga P. R. odissent. His utrinque auditis, senatus de postulatis Carthaginiensium consultus respondere ita jussit: *Gulussam placere extemplo in Numidiam proficisci, & nuntiare patri, ut de iis, de quibus Carthaginienses querantur, legatos quamprimum ad senatum mittat, denuntietque Carthaginiensibus, ut ad disceptandum veniant. Si aliquid possent Massanissæ honoris caussa, & fecisse, & facturos esse: jus gratiæ non dare: agrum qua cujusque sit, possideri velle: nec novos statuere fines, sed veteres observari in animo habere. Carthaginiensibus victis se urbes & agros concessisse, non ut in pace eriperent per injuriam, quæ jure belli non ademissent.* Ita regulus Carthaginiensesque dimissi. Munera ex instituto data utrisque, aliaque hospitalia comiter conservata.

CAPUT XX.

Reversi ex Macedonia legati, qui ad renunciandum regi Perseo amicitiam missi fuerant, exponunt in senatu, quid viderint, quid cum rege collocuti sint, quoque habitu digressi: instante igitur inde bello, subit cura de creandis quamprimum novis magistratibus.

Sub idem tempus Cn. Servilius Cæpio, Ap. Claudius Cento, T. Annius Luscus, legati ad res repetendas in Macedoniam, renuntiandamque amicitiam regi missi, redierunt: qui jam sua sponte infestum Perseo senatum insuper accenderunt, relatis ordine quæ vidissent, quæque audissent. *Vidisse se per omnes urbes Macedonum summa vi parari bellum. Cum ad regem pervenissent, per multos dies conveniendi ejus potestatem non factam. Postremo cum desperato jam colloquio profecti essent, tum demum se ex itinere revocatos, & ad eum introductos esse. Suæ orationis summam fuisse, fœdus cum Philippo ictum, cum ipso eo post mortem patris renovatum: in quo diserte prohiberi eum extra fines arma efferre, prohiberi socios P. R. lacessere bello. Exposita deinde ab se ordine, quæ ipsi nuper in senatu Eumenem vera omnia & comperta referentem audissent. Samothraciæ præterea per multos dies occultum consilium cum lega-*

25

tionibus civitatum Asiæ regem habuisse. Pro his injuriis satisfieri senatum æquum censere, reddique sibi res sociisque suis, quas contra jus fœderis habeat. Regem ad ea primo accensum ira, inclementer locutum, avaritiam superbiamque Romanis objicientem frequenter, quod alii super alios legati venirent, speculari dicta factaque sua, quod se ad nutum imperiumque eorum omnia dicere ac facere æquum censerent. Postremo multum ac diu vociferatum reverti postero die jussisse, scriptum se responsum dare velle: tum ita sibi scriptum traditum esse. Fœdus cum patre ictum ad se nihil pertinere. Id se renovari, non quia probaret, sed quia in nova possessione regni patienda omnia essent, passum. Si novum fœdus secum facere vellent, convenire prius de conditionibus debere: & si in animum inducerent, ut ex æquo fœdus fieret, & se visurum quid sibi faciendum esset, & illos credere Reip. consulturos. Atque ita se proripuisse, & summoveri e regia omnes cœptos: tum se amicitiam & societatem renuntiasse. Qua voce eum accensum restitisse, atque voce clara denuntiasse sibi, ut triduo regni sui decederent finibus. Ita se profectos: nec sibi aut venientibus, aut manentibus quidquam hospitaliter aut benigne factum. Thessali deinde Ætolique legati auditi. Senatui, ut scirent quamprimum quibus ducibus usura Respub. esset, literas mitti consulibus placuit, ut uter eorum posset, Romam ad magistratus creandos veniret. Nihil magnopere quod memorari attineat reipub. eo anno consules gesserant: magis e Repub. visum erat comprimi ac sedari exasperatos Ligures. 26

CAPUT XXI.

Illyriorum regem Gentium, tanquam Persei amicum, Issenses legati suspectum senatui faciunt, atque de accepta injuria queruntur: ad illum legationem senatus decernit.

CUm Macedonicum bellum expectaretur, Gentium quoque Illyriorum regem suspectum Issenses legati fecerunt: simul questi fines suos secundo populatum: simul nuntiantes, *uno animo vivere Macedonum atque Illyriorum regem, communi consilio parare Romanis bellum: & specie legatorum Illyrios speculatores Romæ esse, Perseo auctore missos, ut qui agerentur scirent*. Illyrii vocati in senatum: qui cum legatos se esse missos ab rege dicerent ad purganda crimina, si qua de rege Issenses deferrent: quæsitum, *ecquid ita non adissent magistratum, ut ex instituto loca lautia acciperent. sciretur denique venisse eos, & super qua re venissent*? Hæsitantibus in responso, ut curia exce-

excederent dictum: responsum tanquam legatis, ut qui adire senatum non postulassent, dari non placuit: mittendosque ad regem legatos censuerunt, qui nuntiarent, * *qui socii quererentur apud senatum exustum a rege agrum, non æquum eum facere qui ab sociis suis non abstineret injuriam*. In hanc legationem missi A. Terentius Varro, C. Plætorius, C. Cicerejus.

* al. quod

CAPUT XXII.

Solos Rhodios ex omnibus Asiæ sociis Persei regis solicitatione labefactatos, legati inde redeuntes renuntiant: bellum contra regem strenue paratur: instructa classe atque exercitu Brundusii, eo proficiscitur Cn. Sicinius prætor trajecturus in Macedoniam, eamque obtenturus provinciam usque ad novi consulis adventum.

Ex Asia qui circa socios reges missi erant legati redierunt, qui renuntiarunt, *Eumenem in ea, Antiochum in Syria, Ptolemæum in Alexandria sese convenisse. Omnes solicitatos legationibus Persei, sed egregie in fide permanere, pollicitosque omnia, quæ P. R. imperasset, præstaturos. & civitates socias adisse: cæteras satis fidas, solos Rhodios fluctuantes & imbutos Persei consiliis invenisse*. Venerant Rhodii legati ad purganda ea quæ vulgo jactari de civitate sciebant: cæterum senatum iis dari, cum novi consules magistratum inissent, placuit. Belli apparatum non differendum censuerunt. C. Licinio prætori negotium datur, ut ex veteribus quinqueremibus in navalibus Romæ subductis, quæ possent usui esse, reficeret, pararetque naves quinquaginta: si quid ad eum numerum explendum deesset, C. Memmio collegæ in Siciliam sciberet, ut eas, quæ in Sicilia naves essent, reficeret atque expediret, ut Brundusium primo quoque tempore mitti possent. Socios navales libertini ordinis in viginti & quinque naves ex civibus Romanis C. Licinius prætor scribere jussus: in quinque & viginti parem numerum Cn. Sicinius sociis imperaret: idem prætor peditum VIII. millia, CCCC. Equites a sociis Latini nominis exigeret. Hunc militem qui Brundusii acciperet, atque in Macedoniam mitteret, A. Atilius Serranus, qui priore anno prætor fuerat, deligitur; Cn. Sicinius prætor, qui exercitum paratum ad trajiciendum haberet. C. Popillio COS. ex auctoritate senatus C. Licinius prætor scribit, ut & legionem secundam, quæ maxime veterana in Liguribus erat, & socios Latini nominis IV. millia peditum, CC. equites Idib. Febr. Brundusii adesse juberet. Hac classe & hoc exercitu Cn. Sicinius pro-

27

provinciam Macedoniá obtinere, donec successor veniret, jussus, prorogato in annum imperio. Ea omnia quæ senatus censuit, impigre facta sunt. Duodequadraginta quinqueremes ex navalibus deductæ: qui deduceret eas Brundusium, L. Porcius Licinius præpositus: duodecim ex Sicilia missæ. Ad frumentum classi exercituique coemendum in Apuliam Calabriamque tres legati missi, Sex. Digitius, T. Juventius, M. Cæcilius. Ad omnia præparata Cn. Sicinius prætor paludatus ex urbe profectus Brundusium venit.

CAPUT XXIII.

C. Popillius Cos. Romam reversus, differens de rebus ab se in provincia gestis, minus æquis auribus auditur propter non restitutos in libertatem Ligures, a fratre M. Popillio oppressos: ab eo deinde comitia consularia, atque prætoria habentur: Coss. sunt P. Licinius Crassus, C. Cassius Longinus: hi votum pro imminentis belli felici exitu suscipiunt.

28 EXitu prope anni C. Popillius COS. Romam rediit, aliquanto serius, quam senatus censuerat, cui primo quoque tempore magistratus creare, cum tantum bellum immineret, jussum erat. Itaque non secundis auribus patrum auditus est COS., cum in æde Bellonæ de rebus in Liguribus gestis dissereret: succlamationes frequentes erant, interrogationesque, cur scelere fratris oppressos Ligures in libertatem non restituisset. Comitia consularia in quam edicta erant diem, ad diem XII. Kal. Mart. sunt habita. Creati COSS. P. Licinius Crassus, C. Cassius Longinus. Postero die prætores facti, C. Sulpitius Galba, ... Furius Philus, L. Canulejus Dives, C. Lucretius Gallus, C. Caninius Rebilus, L. Junius Annalis. His prætoribus provinciæ decretæ, duæ jure Romæ dicendo, Hispania, & Sicilia, & Sardinia, ut uni sors integra esset, quo senatus censuisset. consulibus designatis imperavit senatus, ut qua die magistratum iniissent, hostiis majoribus rite mactatis precarentur, ut quod bellum P. R. in animo haberet gerere, ut id prosperum eveniret. Eodem die decrevit senatus, ut C. Popillius COS. ludos per dies X. Jovi Opt. Max. voveret; donaque circa omnia pulvinaria dari, si Resp. X. annos in eodem statu fuisset. Ita ut censuerant, in Capitolio novit COS. ludos fieri, donariaque dari, quanta ex pecunia decresset senatus. cum centum & quinquaginta non minus adessent, præeunte verba Lepido pontifice maximo, id votum susceptum est.

al. quipe.
al. jussus.

CAPUT XXIV.

Moriuntur duo publici sacerdotes L. Æmilius Papus, & Q. Fulvius Flaccus: fœda est mors Q. Fulvii.

Eo anno sacerdotes publici mortui. L. Æmilius Papus decemvir sacrorum, & Q. Fulvius Flaccus pontifex, qui priore anno fuerat censor. Hic fœda morte periit. Ex duobus filiis ejus, qui tum in Illyrico militabant, nuntiatum alterum decessisse, alterum gravi & periculoso morbo ægrum esse. Obruit animum simul luctus metusque: mane ingressi cubiculum servi laqueo dependentem invenere. Erat opinio, post censuram minus compotem fuisse sui. vulgo Junonis Laciniæ iram ob spoliatum templum alienasse mentem ferebant. Suffectus in Æmilii locum decemvir M. Valerius Messala, in Fulvii pontifex Cn. Domitius Ænobarbus, oppido adolescens, sacerdos lectus.

CAPUT XXV.

De jam instante bello Macedonico, atque Romano diversæ sunt regum populorumque Europæ, atque Asiæ pro cujusque studiis atque consiliis sententiæ, & voluntates.

29. U.C. 597 P. Licinio, C. Cassio coss. non urbs tantum Roma, nec terra Italia, sed omnes reges civitatesque quæ in Europa, quæque in Asia erant, converterant animos in curam Macedonici ac Romani belli. Eumenem cum vetus odium stimulabat, tum recens ira, quod scelere ejus prope ut victima mactatus Delphis esset. Prusias Bithyniæ rex statuerat abstinere armis, eventumque expectare. nam neque pro Romanis se æquum censere adversus fratrem uxoris arma ferre: & apud Persea victorem veniam per sororem impetrabilem fore. Ariarathes Cappadocum rex præterquam quod Romanis suo nomine auxilia pollicitus erat, ex quo est junctus Eumeni affinitate, in omnia belli pacisque se consociaverat consilia. Antiochus imminebat quidem Ægypti regno, & pueritiam regis, & inertiam tutorum spernens, & ambigendo de Cœlesyria, caussam belli se habiturum existimabat, gesturumque sine ullo impedimento, occupatis Romanis in Macedonico bello, id bellum: tamen omnia & per suos legatos senatui, & ipse legatis eorum eximie pollicitus erat. Ptolemæus propter ætatem alieni etiam tum arbitrii erat: tutores & bellum adversus Antiochum parabant, quo vindicarent Cœlesyriam, & Romanis omnia pollicebantur ad Macedonicum bellum. Massanissa & frumento juvabat Romanos, & auxilia cum elephantis, Misagenemque filium mittere ad bellum para-

parabat. Consilia autem in omnem fortunam ita disposita habebat. Si penes Romanos victoria esset, suas quoque in eodem statu mansuras res, neque ultra quidquam movendum: non enim passuros Romanos vim Carthaginiensibus afferri. Si fractæ essent opes Romanorum, quæ tum protegerent Carthaginienses, suam omnem Africam fore. Gentius rex Illyriorum fecerat potius, cur suspectus esset Romanis, quam satis statuerat utram foveret partem: impetuque magis, quam consilio iis aut illis se adjuncturus videbatur. Cotys Thrax Odrysarum rex evidenter Macedonum partis erat. Hæc sententia regibus cum esset de bello, in liberis gentibus populisque plebs ubique omnis ferme, ut solet, deterioribus erat ob regem Macedonasque inclinata: principum diversa cerneres studia. Pars ita in Romanos effusi erant, ut auctoritatem immodico favore corrumperent: pauci ex iis justitia imperii Romani capti, plures ita, si præcipuam operam navassent, potentes sese in civitatibus suis futuros rati. Pars altera regiæ adulationis erat, quos æs alienum & desperatio rerum suarum eodem manente statu præcipites ad novanda omnia agebat: quosdam ventosum ingenium, quia Perseus magis auræ popularis erat. Tertia pars, optima eadem & prudentissima, si utique optio domini potioris daretur, sub Romanis quam sub rege malebat esse. si liberum inde arbitrium fortunæ esset, neutram partem volebant potentiorem altera oppressa fieri: sed illibatis potius viribus utriusque partis, pacem * ex * alæo manere: ita inter utrosque optimam conditionem civitatum fore, protegente altero semper inopem ab alterius injuria. Hæc sentientes, certamina fautorum utriusque partis taciti ex tuto spectabant.

CAPUT XXVI.

Coss. peractis rebus sacris, factisque precationibus, ex auctoritate Patrum de bello regi Perseo indicendo ad populum ferunt.

COSS. quo die magistratum inierunt ex S. C. cum circa omnia fana, in quibus lectisternium majorem partem anni esse solet, majoribus hostiis immolassent, inde preces suas acceptas ab diis immortalibus ominati, senatui rite sacrificatum, precationemque de bello factam renuntiarunt. Aruspices ita responderunt, *si quid rei novæ inciperetur, id maturandum esse: victoriam, triumphum, prorogationem imperii portendi*. Patres, *quod faustum felixque P. R. esset, centuriatis comitiis primo quoque die ferre ad populum COSS.* jus-

jusserunt, *ut quod Perseus Philippi filius, Macedonum rex, adversus fœdus cum patre Philippo ictum, & secum post mortem ejus renovatum, sociis P. R. arma intulisset, agros vastasset, urbesque occupasset, quodque belli* * *parandi adversus P. R. consilia inisset, arma, milites, classem ejus rei caussa comparasset: ut, nisi de iis rebus satisfecisset, bellum cum eo iniretur.* Hæc rogatio ad populum lata est.

* al. paran-di.

CAPUT XXVII.

Ex decreto senatus Coss. novum delectum militum habent: propter curam Macedoniæ provinciæ quædam ex vetere ordine scribendi milites mutantur: prætores, ac deinde etiam consules post aliquam inter ipsos contentionem provincias sortiuntur: P. Licinio Macedonia, C. Cassio Italia obvenit.

31 S. C. inde factum est, *ut consules inter se provincias Italiam & Macedoniam compararent, sortirenturve. Cui Macedonia obvenisset, ut is regem Persea, quique ejus sectam secuti essent, nisi P. R. satisfecissent, bello persequeretur.* Legiones quatuor novas scribi placuit, binas singulis COSS. Id præcipue provinciæ Macedoniæ datum, quod cum alterius COS. legionibus quina millia & duceni equites ex vetere instituto darentur in singulas legiones, in Macedoniam sena millia peditum scribi jussa, equites treceni æqualiter in singulas legiones. & in sociali exercitu consuli alteri auctus numerus, XVI. millia peditum, DCCC. equites, præter eos quos Cn. Sicinius duxisset, DC. equites in Macedoniam trajiceret. Italiæ satis visa XII. millia sociorum peditum, DC. equites. Illud quoque præcipuum datum sorti Macedoniæ, ut centuriones militesque veteres scriberet, quos vellet COS. usque ad quinquaginta annos. In tribunis militum novatum eo anno propter Macedonicum bellum, quod COSS. ex S. C. ad populum tulerunt, ne tribuni militum eo anno suffragiis crearentur; sed COSS. prætorumque in iis faciendis judicium arbitriumque esset. Inter prætores ita partita imperia. Prætorem, cujus sors fuisset, ut iret quo senatus censuisset, Brundusium ad classem ire placuit: utque ibi recognosceret socios navales: dimissisque, si qui parum idonei essent, supplementum legeret ex libertinis: & daret operam, ut duæ partes civium Romanorum, tertia sociorum esset. Commeatus classi legionibusque ut ex Sicilia Sardiniaque subveherentur, prætoribus, qui eas provincias sortiti essent, mandari placuit, ut alteras decumas Siculis Sardisque imperarent, utque id frumentum ad exercitum in Macedoniam portaretur. Siciliam C. Caninius

nius Rebilus est sortitus, L. Furius Philus Sardiniam, L. Canulejus Hispaniam, C. Sulpitius Galba urbanam jurisdictionem, L. Villius 32 Annalis inter peregrinos. C. Lucretio Gallo, quo senatus censuisset, sors evenit. Inter COSS. magis cavillatio, quam magna contentio de provincia fuit. Cassius *sine sorte se Macedoniam* * *oppugnaturum* dicebat: *nec posse collegam salvo jurejurando secum sortiri. Praetorem eum, ne in provinciam iret, in concione jurasse, se stato loco statisque diebus sacrificia habere, quae absente se recte fieri non possent: quae non magis COS. quam praetore absente recte fieri possent. Si senatus, non quid vellet in consulatu potius, quam quid in praetura juraverit P. Licinius, animadvertendum esse censeat, se tamen futurum in senatus potestate.* Consulti patres, cui consulatum P. R. non negasset, ab se provinciam negari superbum rati, sortiri consules jusserunt. P. Licinio Macedonia, C. Cassio Italia obvenit. Legiones inde sortiti sunt: prima & tertia in Macedoniam trajicerentur, secunda & quarta ut in Italia remanerent.

* al. oppugnaturum.

CAPUT XXVIII.

Scribente P. Licinio Cos. ex senatusconsulto ad bellum Macedonicum veteres quoque milites, ac centuriones, horum nonnulli appellantes tribunos, recusant parere, si inferiores ordines, quam quos antea habuissent, attribuantur. Sp. Ligustinus, & ipse emeritus miles, gravi oratione pollicitus Reip. operam suam quocunque loco, perficit, ut caeteri quoque obedientes sint.

DElectus COSS. multo intentiorem, quam alias, curam habebant. Licinius veteres quoque scribebat milites centurionesque: & multi voluntate nomina dabant, quia locupletes eos videbant, qui priore Macedonico bello, aut adversus Antiochum in Asia stipendia fecerant. Cum tribuni militum centuriones, sed primum quemque citarent, tres & XX. centuriones, qui primos pilos duxerant, citati tribunos plebis appellarunt: Duo ex collegio, M. Fulvius Nobilior, & M. Claudius Marcellus ad COSS. rejiciebant. *Eorum cognitionem esse debere, quibus delectus quibusque bellum mandatum esset.* Caeteri, *cognituros se de quo appellati essent*, ajebant: *&, si injuria fieret, auxilium civibus laturos.* Ad subsellia tribunorum 33 res agebatur. Eo M. Popillius consularis advocatus,

cen-

centuriones, & consul venerunt: COS. inde postulanti, ut in concione ea res ageretur, populus in concionem advocatus. Pro centurionibus M. Popillius, qui biennio ante consul fuerat, ita verba fecit. *Militares homines & stipendia justa, & corpora & ætate & assiduis laboribus confecta habere: nihil recusare tamen, quo minus operam reip. dent: id tantum deprecari, ne inferiores iis ordines, quam quos, cum militassent, habuissent, attribuerentur.* P. Licinius COS. S. C. recitari jussit. Primum, quod bellum senatus Perseo jussisset: deinde quod veteres centuriones quāplurimum ad id bellum scribi censuisset: nec ulli, qui non major annis quinquaginta esset, vacationem militiæ esse. Deprecatus est deinde, ne novo bello, tam propinquo Italiæ, adversus regem potentissimum, aut tribunos militum delectum habentes impedirent, aut prohiberent COS. quem cuique ordinem assignari e rep. esset, eum assignare: si quid in ea re dubium esset, ad senatum rejicerent. 34 Postquam COS. quæ voluerat dixit, Sp. Ligustinus ex eo numero, qui tribunos plebis appellaverant, a COS. & ab tribunis petiit, ut sibi paucis ad populum agere liceret. Permissu omnium ita locutus fertur. *Sp. Ligustinus tribus Crustuminæ ex Sabinis sum oriundus, Quirites. Pater mihi jugerum agri reliquit, & parvum tugurium, in quo natus educatusque sum, hodieque ibi habito. Cum primum in ætatem veni, pater mihi uxorem fratris sui filiam dedit, quæ secum nihil attulit, præter libertatem pudicitiamque, & cum his fœcunditatem, quanta vel in diti domo satis esset. Sex filii nobis, duæ filiæ sunt, utræque jam nuptæ. Filii IV. togas viriles habent, duo prætextati sunt. Miles sum factus P. Sulpitio, C. Aurelio COSS. In eo exercitu, qui in Macedoniam est transportatus, biennium miles gregarius fui adversus Philippum regem: tertio anno virtutis caussa mihi T. Quintius Flamininus decumum ordinem hastatum assignavit. Devicto Philippo Macedonibusque, cum in Italiam portati ac dimissi essemus, continuo miles voluntarius cum M. Porcio COS. in Hispaniam sum profectus. Neminem omnium imperatorum, qui vivant, acriorem virtutis spectatorem ac judicem fuisse sciunt, qui & illum & alios duces longa militia experti sunt. Hic me imperator dignum judicavit, cui primum hastatum prioris centuriæ assignaret. Tertio iterum voluntarius miles factus sum in eum exercitum, qui adversus Ætolos & Antiochum regem est missus. a M. Acilio mihi primus princeps prioris centuriæ est assignatus. Expulso*

pulso rege Antiocho, subactis Ætolis reportati sumus in Italiam: & deinceps bis quæ annua merebant legiones stipendia feci. Bis deinde in Hispania militavi, semel Q. Fulvio Flacco, iterum Tib. Sempronio Graccho prætore. a Flacco, inter cæteros quos virtutis caussa secum ex provincia ad triumphum deducebat, deductus sum: a Tib. Graccho rogatus, in provinciam ii. Quater intra paucos annos primum pilum duxi. quater & tricies virtutis caussa donatus ab imperatoribus sum. sex civicas coronas accepi. XXII. stipendia annua in exercitu emerita habeo, & major annis sum quinquaginta. Quod si mihi nec stipendia omnia emerita essent, necdum ætas vacationem daret, tamen cum quatuor milites pro me uno vobis dare, P. Licini, possem, æquum erat me dimitti. Sed hæc pro caussa mea dicta accipiatis, velim ipse: me, quoad quisquam qui exercitus scribit, idoneum militem judicabit, nunquam sum excusaturus. Ordinem quo me dignum judicent tribuni militum, ipsorum est potestatis, ne quis me virtute in exercitu præstet, dabo operam, ut semper ita fecisse me, & imperatores mei, & qui una stipendia fecerunt, testes sunt. Vos quoque æquum est, commilitones, etsi appellationis vobis usurpatis jus, cum adolescentes nihil adversus magistratum senatusque auctoritatem usquam feceritis, nunc quoque in potestate senatus ac consulum esse, & omnia honesta loca ducere, quibus Rempub. defensuri sitis. Hæc ubi dixit, collaudatum multis verbis consul ex concione in senatum duxit. Ibi quoque ei ex auctoritate senatus gratiæ actæ, tribunique militares in legione prima primum pilum virtutis caussâ ei assignarunt. Cæteri centuriones, omissâ appellatione, ad delectum obedienter responderunt. 35

CAPUT XXIX.

Præter delectum, quem habent Coss., alius quoque a C. Sulpitio Galba prætore scribitur exercitus, mittendus quo censuisset senatus: P. Licinio Cos. petenti ad civilem, socialemque exercitum auxilia adduntur.

QUo maturius in provincias magistratus proficiscerentur, Latinæ Kal. Jun. fuere: eoque solenni perfecto, C. Lucretius prætor, omnibus quæ ad classem opus erant præmissis, Brundusium est profectus. Præter eos exercitus, quos COSS. comparabant, Sulpitio Galbæ prætori negotium datum, ut quatuor legiones scriberet urbanas, justo numero peditum equitumque: iisque IV. tribunos mil. ex senatu legeret, qui præessent: sociis Latini nominis imperaret XV. millia peditum, & M. & CC. equites: is exercitus uti paratus esset quo senatus censui-

fuisset. P. Licinio COS. ad exercitum civilem socialemque petenti addita auxilia, Ligurum MM., Cretenses sagittarii (incertus numerus, quantum rogati auxilia Cretenses misissent) Numidæ item equites elephantique. in eam rem legati ad Massanissam Carthaginiensesque missi, L. Postumius Albinus, Q. Terentius Culleo, C. Aburius. In Cretam item legatos tres ire placuit, A. Postumium Albinum, C. Decimium, A. Licinium Nervam.

CAPUT XXX.

Irrita Persei regis legatio, Romam missa ad bellum, jam contra se decretum, avertendum.

36 PEr idem tempus legati ab rege Perseo venerunt. Eos in oppidum intromitti non placuit, cum jam bellum regi eorum & Macedonibus & senatus decresset, & populus jussisset. in ædem Bellonæ in senatum introducti, ita verba fecerunt. *Mirari Persea regem, quid in Macedoniam exercitus transportati essent. Si impetrari a senatu posset, ut ii revocentur, regem de de injuriis, si quas sociis factas quererentur, arbitratu senatus satisfacturum esse.* Sp. Carvilius ad eam ipsam rem ex Græcia remissus ab Cn. Sicinio in senatu erat. Is Perræbiam expugnatam armis, Thessaliæ aliquot urbes captas, cætera, quæ aut ageret aut pararet rex, cum argueret: respondere ad ea legati jussi, postquam hæsitabant, negantes sibi ultra quidquam mantum esse, jussi renuntiare regi, *COS. P. Licinium brevi cum exercitu futurum in Macedonia esse. Ad eum, si satisfacere in animo esset, mitteret legatos: Romam quod præterea mitteret, non esse: neminem eorum per Italiam ire liciturum.* ita dimissis, P. Licinio COS. mandatum, intra XI. diem juberet eos Italia excedere; & Sp. Carvilium mitteret, qui, donec navem conscendissent, custodiret. Hæc Romæ acta nondum profectis in provinciam COSS.

CAPUT XXXI.

Cn. Sicinius prætor trajectas in Epirum copias ad tutandas ab impetu Macedonum sociorum urbes mittit.

JAm Cn. Sicinius, qui priusquam magistratu abiret, Brundusium & ad classem & ad exercitum præmissus erat, trajectis in Epirum V. M. peditum, CCC. equitibus, ad Nymphæum in agro Apolloniati castra habebat. Inde tribunos cum II. millibus militum, ad occupanda Dassaretiorum & Illyriorum castella, ipsis accersentibus præsidia, ut tutiores a finitimorum impetu Macedonum essent, misit.

CA-

CAPUT XXXII.

Legati Romani in Græciam missi, ab Corcyra digrediuntur: diversi regiones circumeuntes, societates belli contra Persea regem contrahunt.

17 Paucis post diebus Q. Martius, A. Attilius, & P. & Ser. Cornelii Lentuli, & L. Decimius, legati in Græciam missi. Corcyram peditum mille secum advexerunt. ibi inter se & regiones quas obirent, & milites diviserunt. Decimius missus est ad Gentium regẽ Illyriorum: quem, si aliquem respectum amicitiæ eum habere cerneret, tentare, aut etiam ad belli societatem pellicere iussus. Lentuli in Cephaleniam missi, ut in Peloponnesum trajicerent, oramque maris in occidentem versi ante hiemem circumirent. Martio & Atilio Epirus, Ætolia, & Thessalia circumeundæ assignantur. Inde Bœotiam atque Eubœam aspicere jussi, tum in Peloponnesum trajicere: ibi congressuros se cum Lentulis constituunt. Priusquam digrederentur a Corcyra, literæ a Perseo allatæ sunt, quibus quærebat, quæ caussa Romanis aut in Græciam trajiciendi copias, aut urbes occupandi esset. Cui rescribi nihil placuit, nuntio ipsius, qui literas attulerat, dici, præsidii caussa ipsarum urbium Romanos facere. Lentuli circumeuntes Peloponnesi oppida, cum sine discrimine omnes Civitates adhortarentur, ut quo animo, qua fide adiuvissent Romanos Philippi primum, deinde Antiochi bello, eodẽ adversus Persea juvarent, fremitum in concionibus audiebant: Achæis indignantibus eodem se loco esse (qui omnia a principiis Macedonici belli præstitissent Romanis, & Macedonum Philippi bello hostes fuissent) quo Messenii atque Elii, qui pro Antiocho hoste arma adversus P. R. tulissent: ac nuper in Achaicum contributi concilium, velut præmium belli se victoribus Achæis tradi quererentur. Martius & Atilius ad Gitanas Epiri oppidum X. millia ab mari cum ascenderent, concilio Epirotarum habito, cum magno omnium assensu auditi sunt: & quadringentos juventutis eorum in Orestas, ut præsidio essent liberatis ab se Macedonibus, miserunt. Inde in Ætoliam progressi: ac paucos ibi morati dies, dum in prætoris mortui locum alius sufficeretur, & Lycisco prætore facto, quem Romanorum favere rebus satis compertum erat, transierunt in Thessaliam. Eo legati Acarnanum, & Bœotorum exules venerunt. Acarnanes nuntiare jussi, *quæ Philippi primum, Antiochi deinde bello, decepti pollicitationibus regis, adversus P. R.* 38

R. commisissent, ea corrigendi occasionem illis oblatam. Si male meriti clementiam P. R. experti essent, bene merendo liberalitatem experirentur. Bœotis exprobratum, societatem eos cum Perseo junxisse. iis, cum culpam in Ismeniam principem alterius partis conferrent, & quasdam civitates dissentientes in caussam deductas, appariturum id esse Martius respondit. Singulis enim civitatibus de se ipsis consulendi potestatem facturos. Thessalorum Larissæ fuit concilium. Ibi & Thessalis benigna materia gratias agendi Romanis pro libertatis munere fuit: & legatis, quod & Philippi prius, & post Antiochi bello enixe adjuti a gente Thessalorum essent. hac mutua commemoratione meritorum accensi animi multitudinis ad omnia decernenda, quæ Romani vellent.

CAPUT XXXIII.

Martius, & Atilius, legati Romani, ab Larissa veniunt ad colloquium cum rege Perseo, petitum ab eo, fiducia maxime privati hospitii cum Martio: objecta crimina, quibus permotus illi populus Rom. bellum inferret, ita diluit, ut spes pacis fiat a Martio, si Romam legatos mittat: ad id dantur ei induciæ.

SEcundum hoc concilium legati a Perseo rege venerunt, privati maxime hospitii fiducia, quod ei paternum cum Martio erat. Ab hujus necessitudinis commemoratione orsi, petierunt legati, in colloquium veniendi regi potestatem faceret. Martius, *& se ita a patre suo accepisse* dixit, *amicitiam hospitiumque cum Philippo fuisse: minime immemorem necessitudinis ejus legationem eam suscepisse. Colloquium, si satis commode valeret, non fuisse dilaturum: nunc, ubi primum posset, ad Peneum flumen, qua transitus ab Omolio Dium esset, præmissis qui nuntiarent regi, venturos*. Et tum quidem ab Dio Perseus in interiora regni recepit se, levi aura spei objecta, quod Martius ipsius caussa suscepisse se legationem dixisset. Post dies paucos ad constitutum locum venerunt. Magnus comitatus fuit regius, cum amicorum, tum satellitum turba stipante. non minore agmine legati venerunt, & ab Larissa multis prosequentibus, & legationibus civitatum, quæ convenerant Larissam, & renuntiare domum certa, quæ audissent, volebant. Inerat cura insita mortalibus videndi congredientes nobilem regem, & populi principis terrarum omnium legatos. Postquam in conspectu steterunt dirimente amne, paullisper internunciando cunctatio fuit, utri transgrederentur. aliquid illi regiæ majestati, aliquid hi P. R. nomini, cum præfer-

39

fertim Perseus petisset colloquium, existimabant deberi. Joco etiam Martius cunctantes movit. *Minor*, inquit, *ad majorem*, *&*, quod Philippo ipsi cognomen erat, *filius ad patrem transeat*. Facile persuasum id regi est. Aliud deinde ambigebatur, cum quam multis transiret. Rex cum omni comitatu transire æquum censebat: legati vel cum tribus venire jubebant; vel, si tantum agmen traduceret, obsides daret nihil fraudis fore in colloquio. Hippiam & Pantaucum, quos & legatos miserat, principes amicorum obsides dedit: nec tam in pignus fidei obsides desiderati erant, quam ut appareret sociis, nequaquam ex dignitate pari congredi regem cum legatis. Salutatio non tanquam hostium, sed hospitalis ac benigna fuit, positisque sedibus consederunt. Cum paullisper silentium fuisset: *Expectari nos*, inquit Martius, *arbitror*, *ut respondeamus literis tuis, quas Corcyram misisti: in quibus quæris, quid ita legati cum militibus venerimus, & præsidia in singulas urbes dimittamus. Ad hanc interrogationem tuam & non respondere vereor, ne superbum sit, & vera respondere, ne nimis acerbum audienti tibi videatur. Sed cum aut verbis castigandus aut armis sit, qui fœdus rumpit: sicut bellum adversus te alii, quam mihi mandatum malim: ita orationis acerbitatem adversus hospitem, utcunque est, subibo: sicut medici cum salutis caussa tristiora remedia adhibent. Ex quo regnum adeptus es, unam rem te quæ facienda fuerit, senatus fecisse censet, quod legatos Romam ad renovandum fœdus miseris, quod tamen ipsum tibi fuisse non renovandum judicat, potius quam cum renovatum esset, violandum. Abrupolim socium atque amicum P. R. regno expulisti. Artetari interfectores, ut cæde (ne quid ultra dicam) lætatum appareret, recepisti, qui omnium Illyriorum fidissimum Romano nomini regulum occiderant. Per Thessaliam & Maliensem agrum cum exercitu contra fœdus Delphos isti: Bizantiis item contra fœdus misisti auxilia: cum Bœotiis sociis nostris secretam tibi ipsi societatem, quam non licebat, jurejurando pepigisti. Thebanos legatos, Eversam & Callicritum, venientes a nobis, quærere malo quis interfecerit, quam arguere. in Ætolia bellum intestinum & cædes principum per quos, nisi per tuos facta videri possunt? Delopes a te ipso evastati sunt. Eumenes rex ab Roma cum in regnum rediret, prope ut victima Delphis in sacrato loco ante aras mactatus, quem insimulet, piget referre. Quæ hospes Brundusinus occulta facinora indicet, certum habeo, & scripta tibi omnia ab Roma esse,*

*esse, & legatos tuos renuntiasse. Hæc ne dicerentur a me, uno modo vitare potuisti, non quærendo quâ ob caussam exercitus in Macedoniam traiicerentur, aut præsidia in sociorum urbes mitteremus. Quærenti tibi, superbius tacuissemus, quam vera respondimus. Equidem pro paterno nostro hospitio faveo * orationi tuæ: & opto ut aliquam mihi materiam præbeas agendæ tuæ apud senatum caussæ.*

* al. rationi.

41 Ad ea rex: *Bonam caussam, si apud judices æquos haberetur, apud eosdem & accusatores, & judices agam. Eorum autem quæ objecta sunt mihi, partim ea sunt, quibus nescio an gloriari debeam, partim quæ fateri non erubescam, partimque verbo objecta, verbo negare satis sit. Quid enim, si legibus vestris hodie reus sim, aut index Brundusinus, aut Eumenes mihi objiciat, ut accusare potius vere, quam conviciari videantur? Scilicet nec Eumenes, cum tam multis gravis publice ac privatim sit, alium quam me inimicum habuit: neque ego potiorem quenquam ad ministeria facinorum, quam Rammium, quem neque unquam ante videram, nec eram postea visurus, invenire potui: & Thebanorum, quos naufragio perisse constat, & Artetari cædis mihi reddenda ratio est: in qua tamen nihil altra objicitur, quam interfectores ejus in regno exulasse meo. Cujus conditionis iniquitatem ita non sum recusaturus, si vos quoque accipiatis, ut quicunque exules in Italiam aut Romam se contulerunt, his facinorum, propter quæ damnati sunt, auctores vos fuisse fateamini. Si hoc & vos recusabitis, & omnes aliæ gentes, ego quoque inter cæteros ero. Et Hercule quid attinet cuiquam exilium patere, si nusquam exuli futurus locus est? Ego tamen istos, ut primum in Macedonia esse, admonitus a vobis comperi, requisitos abire ex regno iussi, & in perpetuum interdixi finibus meis. Et hæc quidem mihi tanquam caussam dicenti reo objecta sunt: illa tanquam regi, & quæ de fœdere: quod mihi est vobiscum, disceptationem habeant. Nam si est in fœdere ita scriptum, ut ne si bellum quidem quis inferat, tueri me regnumque meum liceat: mihi fatendum est, quod me armis adversus Abrupolim socium populi Romani defenderim, fœdus violatum esse. Sin autem hoc & ex fœdere licuit, & jure gentium ita comparatum est, ut arma armis propulsentur, quid tandem me facere decuit, cum Abrupolis fines mei regni usque ad Amphipolim pervastasset; multa libera capita, magnam vim mancipiorum, multa millia pecorum abegisset? Quiescerem & paterer, donec Pellam & in regiam meam armatus pervenisset? At enim bello quidem justo sum persecutus, sed vinci non oportuit eum, neque ea quæ victis*

His accidunt, pati; quorum casum cum ego subjerim, qui sum armis lacessitus, quid potest queri sibi accidisse, qui caussa belli fuit? non sum eodem modo defensurus, Romani, quod Dolopas armis coercuerim; quia etsi non merito eorum, jure feci meo: cum mei regni, meæ ditionis essent, vestro decreto patri attributi meo. Nec, si caussa reddenda sit, non vobis, nec fœderatis, sed iis qui ne in servos quidem sæva atque injusta imperia probant, plus æquo & bono sævisse in eos videri possum: quippe Euphranorem præfectum a me impositum ita occiderunt, ut mors pœnarum ejus levissima fuerit. 42 *At cum processissem inde ad visendas Larissam & Antrona &* * *Pyleon*, al. Pteleon. *quo in propinquo multo ante debita vota persolverem, Delphos sacrificandi caussa ascendi. Et hic criminis augendi caussa cum exercitu me fuisse adjicitur: scilicet, ut quod nunc vos facere queror, urbes occuparem, arcibus imponerem præsidia. vocate in concilium Græciæ civitates, per quas iter feci: quæratur unusquilibet militis mei injuriam: non recusabo quin simulato sacrificio aliud petisse videar. Ætolis & Byzantiis præsidia misimus, & cum Bœotis amicitiam fecimus. Hæc qualiacunque sunt, per legatos meos non solum indicata, sed etiam excusata sunt sæpe in senatu vestro: ubi aliquos ego disceptatores, non tam æquos, quam te, Q. Marti, paternum amicum & hospitem, habebam. Sed nondum Romam accusator Eumenes venerat, qui calumniando omnia, detorquendoque suspecta & invisa efficeret; & persuadere vobis conaretur, non posse Græciam in libertate esse, & vestro munere frui, quoad regnum Macedoniæ incolume esset. Circumagetur hic orbis: erit mox qui arguat, nequicquam Antiochum ultra juga Tauri remotum: graviorem multo Asiæ, quam Antiochus fuerit Eumenem esse; nec conquiescere socios vestros posse, quoad regia Pergami sit: eam arcem supra capita finitimarum civitatum impositam. Ego hæc, Q. Marti, & A. Atili, quæ aut a vobis objecta, aut purgata a me sunt, talia esse scio, ut aures, ut animi audientium sint: nec tam referre quid ego aut qua mente fecerim, quam quo modo id vos factum accipiatis. Conscius mihi sum, nihil me scientem deliquisse: & si quid fecerim imprudentia lapsus, corrigi me & emendari castigatione hac posse. nihil certe insanabile, nec quod bello & armis persequendum esse censeatis, commisi. Aut frustra clementiæ gravitatisque vestræ fama vulgata per gentes est, si talibus de caussis, quæ vix querela & expostulatione dignæ sunt, arma capitis, & regibus sociis bella infertis.*

43 Hæc dicenti tum assensus Martius, auctor fuit mittendi Romam legati, cum ex-

experienda omnia ad ultimum, nec prætermittendam ſpem ullam cenſuiſſet. reliqua conſultatio erat, quonam modo tutum iter legatis eſſet. ad id cum neceſſaria petitio induciarum videretur, cuperetque Martius, neque aliud colloquio petiſſet, gravate & in magnam gratiam petentis conceſſit. Nihil enim ſatis paratum ad bellum in præſentia habebant Romani, non exercitum, non ducem: cum Perſeus, ni ſpes vana pacis occæcaſſet conſilia, omnia præparata atque inſtructa haberet, & ſuo maxime tempore, atque alieno hoſtibus, incipere bellum poſſet.

CAPUT XXXIV.

In Bœotia Chæronei, Thebani, & Haliartii non ratam habentes decretam a gente ſocietatem cum Romanis, motum ingentem excitant: tandem ii quoque, ſpreta Perſei ſocietate, ſeſe Romanis adjungunt: Martius, & Atilius, pertractis in amicitiam Bœotis, in Peloponneſum proficiſcuntur; petuntque ab Achæis Chalcidem mittendum præſidium: Romam deinde redeunt.

AB hoc colloquio, fide induciarum interpoſita, legati Romani in Bœotiam * comparati ſunt. Ibi jam motus cæperat eſſe, diſcedentibus a ſocietate communis conſilii Bœotorum quibuſdam populis, ex quo renuntiatum erat reſpondiſſe legatos, appariturum quibus populis proprie ſocietatem cum rege jungi diſplicuiſſet. Primi a Chæronea legati, deinde a Thebis in ipſo itinere occurrerunt, affirmantes non interfuiſſe ſe, quo ſocietas ea decreta eſſet concilio: * queis legati nullo in præſentia reſponſo dato, Chalcidem ſe ſequi juſſerunt. Thebis, magna contentio orta erat ex alio certamine. Comitiis prætoriis Bœotorum victa pars injuriam perſequens, coacta multitudine decretum fecit Thebis, ne Bœotarchæ urbibus reciperentur. Exules Theſpias univerſi conceſſerunt: inde (recepti enim ſine cunctatione erant) Thebas jam mutatis animis revocati, decretum faciunt, ut XII. qui privati cœtum & concilium habuiſſent, exilio mulctarentur. Novus deinde prætor Iſmenias, (is erat vir nobilis ac potens) capitalis pœnæ abſentes eos decreto damnat. Chalcidem fugerant: inde ad Romanos Lariſſam profecti, cauſſam cum Perſeo ſocietatis in Iſmeniam contulerant. Ex contentione ortum certamen: utriuſque tamen partis legati ad Romanos venerunt, & exules accuſatoreſque Iſmeniæ, & Iſmenias ipſe. Chalcidem ut ventum eſt, aliarum civitatum principes, id quod maxime gratum erat Romanis,

* al. conversi.

* al. quos.

44

nis, suo quique proprio decreto Persei societatem aspernati, Romanis se adjungebant: Ismenias gentem Bœotorum in fidem Romanorum permitti æquum censebat. Inde certamine orto, nisi in tribunal legatorum perfugisset, haud multum abfuit, quin ab exulibus fautoribusque eorum interficeretur. Thebæ quoque ipsæ, quod Bœotiæ caput est, in magno tumultu erant, aliis ad regem trahentibus civitatem, aliis ad Romanos: & turba Coronæorum Haliartiorumque convenerat ad defendendum decretum regiæ societatis. Sed constantia principum, docentium cladibus Philippi Antiochique quanta esset vis & fortuna imperii Romani, victa eadem multitudo, & ut tolleretur regia societas, decrevit: & eos qui auctores paciscendæ amicitiæ fuerant, ad satisfaciendum legatis Chalcidem misit, fideique legatorum commendari civitatem jussit. Thebanos Martius & Atilius læti audierunt, auctoresque & his separatim singulis fuerunt ad renovandam amicitiam mittendi Romam legatos. Ante omnia exules restitui jusserunt, & auctores regiæ societatis decreto suo damnarunt. Ita, quod maxime volebant, discusso Bœotico concilio, Peloponnesum proficiscuntur, Ser. Cornelio Chalcidem accersito. Argis præbitum est iis concilium: ubi nihil aliud a gente Achæorum petierunt, quam ut mille milites darent. Id præsidium ad Chalcidem tuendam, dum Romanus exercitus in Græciam trajiceretur, missum est, Martius & Atilius, peractis quæ agenda in Græcia erant, principio hiemis Romam redierunt.

CAPUT XXXV.

Legati in Asiam missi socios ad bellum contra Persea pro Romanis suscipiendum hortantur: Rhodii, mutato, auctore Hegesilo, favore in regem, atque redintegrato studio in Rom., parata jam navium auxilia advenientibus legatis ostendunt.

Inde legatio sub idem tempus in Asiam circum insulas missa. Tres erant legati, T. Claudius, P. Postumius: M. Junius. ii circumeuntes, hortabantur socios ad suscipiendum adversus Persea pro Romanis bellum: & quo quæque opulentior civitas erat, eo accuratius agebant: quia minores secuturæ majorum auctoritatem erant. Rhodii maximi ad omnia momenti habebantur, quia non favere tantum, sed adjuvare etiam viribus suis bellum poterant, XL. navibus auctore Hegesilo comparatis: qui cum in summo magistratu esset (Prytanin ipsi vocant) multis rationibus pervicerat Rhodios, *ut omis-*

45

omissa, quam sæpe vanam experti essent, regum fovendorum spe, Romanam societatem, unam tum in terris vel viribus vel fide stabilem, retinerent. Bellum imminere cum Perseo. desideraturos Romanos eundem navalem apparatum, quem nuper Antiochi, quem Philippi ante bello vidissent: trepidaturos tum repente paranda classe, cum mittenda esset, nisi reficere naves, nisi instruere navalibus sociis cœpissent. Ideo magis enixe faciendum esse, ut crimina delata ab Eumene fide rerum refellerent. His incitati, XL. navium classem instructam, ornatamque, legatis Romanis advenientibus, ut non expectatam adhortationem esse appareret, ostenderunt. Et hæc legatio magnum ad conciliandos animos civitatum Asiæ momentum fuit. Decimius unus sine ullo effectu, captarum etiam pecuniarum ab regibus Illyriorum, suspicione infamis, Romam rediit.

CAPUT XXXVI.

Rex Perseus Romam legatos mittit ad pacem tentandam; quæ quia in ambiguo est, solicitat interim Rhodios, & Bœotiæ civitates: præterquam apud Coronæos, & Haliartios, nihil proficit.

46 PErseus cum a colloquio Romanorum in Macedoniam recepisset sese, legatos Romam de inchoatis cum Martio conditionibus pacis misit, & Byzantium & Rhodum literas legatis ferendas dedit. In literis eadem sententia ad omnes erat, collocutum se cum Romanorum legatis, quæ audisset, quæque dixisset, ita disposita, ut superior fuisse in disceptatione videri posset. Apud Rhodios legati addiderunt, *confidere pacem futuram. auctoribus enim Martio atque Atilio missos Romam legatos. Si pergerent Romani contra fœdus movere bellum, tum omni gratia, omni ope enitendum fore Rhodiis, ut reconcilient pacem: si nihil deprecando proficiant, id agendum ne omnium rerum jus ac potestas ad unum populum perveniat. Cum cæterorum id interesse, tum præcipue Rhodiorum, qui plus inter alias civitates dignitate atque opibus excellant: quæ serva atque obnoxia fore, si nullus alio sit, quam ad Romanos respectus.* Magis, & literæ & verba legatorum benigne sunt audita, quam momentum ad mutandos animos habuerunt. potentior esse partis melioris auctoritas cœperat. Responsum ex decreto est, *optare pacem Rhodios: si bellum esset, ne quid ab Rhodiis speraret aut peteret rex, quod veterem amicitiam, multis magnisque meritis pace belloque partam, disjungeret sibi ab Romanis.* Ab Rhodo redeuntes, Bœotiæ quoque civitates & Thebas, & Coroneam, & Haliartum adie-

dierunt; quibus expressum invitis existimabatur, ut relicta regia societate Romanis adjungerentur. Thebani nihil moti sunt, quanquam nonnihil & damnatis principibus, & restitutis exulibus, succensebant Romanis. Coronæi & Haliartii, favore quodam insito in reges, legatos in Macedoniam miserunt, præsidium petentes, quo se adversus impotentem superbiam Thebanorum tueri possint. Cui legationi responsum ab rege est, *præsidium se propter inducias cum Romanis factas mittere non posse: tamen suadere, ita a Thebanorum injuriis, qua possent, ut se vindicarent, ne Romanis præberent caussam in se sæviendi.*

CAPUT XXXVII.

Martius, & Atilius ab se acta in legatione renunciantes in senatu, inter cætera commemorant, spe vana pacis a se Persea regem deceptum: id tanquam dolum, & a more Romano abhorrentem artem vituperant seniores: comprobata tamen a senatu legatione, denuo in Græciam Martius, in Thessaliam Attilius, quo belli vocat necessitas, mittuntur.

47 MArtius & Atilius Romam cum venissent, legationem in Capitolio ita renuntiarunt. *ut nulla re magis gloriarentur, quam decepto per inducias & spem pacis rege. Adeo enim apparatibus belli fuisse instructum, ipsis nulla parata re, ut omnia opportuna loca præoccupari ante ab eo potuerint, quam exercitus in Græciam trajiceretur. Spatio autem induciarum sumto, venturum illum nihilo paratiorem, Romanos omnibus instructiores rebus cæpturos bellum: Bœotorum quoque se concilium arte distraxisse, ne conjungi amplius ullo consensu Macedonibus possent.* Hæc, ut summa ratione acta, magna pars senatus approbabat: veteres, & moris antiqui memores, negabant, *se in ea legatione Romanas agnoscere artes. Non per insidias, & nocturna prælia, nec simulatam fugam, improvisosque ad incautum hostem reditus, nec ut astu magis quam vera virtute gloriarentur, bella majores gessisse. Indicere prius, quam gerere solitos bella: denuntiare etiam, interdum locum finire, in quo dimicaturi essent. Eadem fide indicatum Pyrrho regi medicum vitæ ejus insidiantem: eadem Faliscis vinctum traditum proditorem liberorum regis. Hæc Romana esse, non versutiarum Punicarum, neque calliditatis Græcæ, apud quos fallere hostem, quam vi superare gloriosius fuerit. Interdum in præsens tempus plus profici dolo quam virtute: sed ejus demum animum in perpetuum vinci, cui confessio expressa sit, se neque arte, neque casu, sed collatis comi-*

nus viribus justo ac pio bello esse superatum. Hæc seniores, quibus nova hæc minus placebat sapientia: vicit tamen ea pars senatus, cui potior utilis quam honesti cura erat, ut comprobaretur prior legatio Martii: & eodem rursus in Græciam cum quinqueremibus remitteretur, juberetur que cætera, ut e Rep. maxime visum esset, agere. A. quoque Acilium miserunt ad occupandam Larissam in Thessalia, timentes, ne, si induciarum dies exisset, Perseus, præsidio eo misso, caput Thessaliæ in potestate haberet. duo millia peditum Atilius ab Cn. Sicinio accipere ad eam rem agendam jussus: & P. Lentulo, qui ex Achaja redierat, CCC. milites Italici generis dati, ut Thebis daret operam, ut in potestate Bœotia esset.

CAPUT XXXVIII.

Legati Persei regis, frustra in senatu tentata pace, dimittuntur: C. Lucretius prætor ab urbe cum classe in Cephaleniam proficiscitur, præmisso fratre Lucretio, qui naves ab sociis ex fœdere contrahat.

48 HIs præparatis, quanquam ad bellum consilia erant destinata, senatum tamen præberi legatis placuit. Eadem fere quæ in colloquio ab rege dicta erant, relata ab legatis. Insidiarum Eumeni factarum crimen & maxima cura, & minime tamen probabiliter (manifesta enim res erat) defensum. Cætera deprecatio erat: sed non eis animis audiebantur, qui aut doceri aut flecti possent. Denuntiatum extemplo mœnibus urbis Romæ, Italia intra XXX. diē excederent. P. Licinio deinde COS. cui Macedonia provincia obvenerat, denuntiatum, ut exercitui diem primam quanque diceret ad conveniendum. C. Lucretius prætor, cui classis provincia erat, cum XL. quinqueremibus ab urbe profectus. nam ex refectis navibus alias in alium usum retineri ad urbem placuit. Præmissus a prætore est frater Lucretius cum quinquereme una: jussusque ab sociis ex fœdere acceptis navibus ad Cephaleniam classi occurrere. ab Rheginis triremi una, ab Locris duabus, ab * Uritibus quatuor, præter oram Italiæ supervectus Calabriæ extremum promontorium in Jonio mari Dyrrachium trajicit. Ibi decem ipsorum Dyrrachinorum, XII. Issæorum, LIV. Gentii regis lembos nactus, simulans se credere eos in usum Romanorum comparatos esse, omnibus abductis, die tertio Corcyram, inde protinus in Cephaleniam trajicit. C. Lucretius prætor ab Neapoli profectus, superato freto, die quinto in Cephaleniam transmisit.

* al. Bruttiis.
al. a Thuriis.

Ibi stetit classis, simul operiens, ut terrestres copiæ trajicerentur, simul ut onerariæ ex agmine suo per altum dissipatæ consequerentur.

CAPUT XXXIX.

P. Licinius Cos. ad bellum Macedonicum proficiscens, nuncupatis votis, paludatus ab urbe exit: studium hominum describitur, habitusque animorum, qui tum alias in ejusmodi spectaculo esse consuevit, tum est nunc, cum abeuntem consulem prosequuntur.

49 PEr hos forte dies P. Licinius COS. votis in Capitolio nuncupatis, paludatus ab urbe profectus est. Semper quidem ea res cum magna dignitate ac majestate geritur: præcipue tamen convertit oculos animosque, cum ad magnum nobilemque aut virtute, aut fortuna hostem euntem COS. prosequuntur. Contrahit enim non officii modo cura, sed etiam studium spectaculi, ut videant ducem suum, cujus imperio consilioque summam Remp. tuendam permiserunt. Subit deinde cogitatio animum, *qui belli casus, quam incertus fortunæ eventus, communisque Mars belli sit: adversa, secunda, quæque inscitia & temeritate ducum clades sæpe acciderint, quæ contra bona prudentia & virtus attulerit. Quem scire mortalium, utrius mentis, utrius fortunæ COS. ad bellum mittant? triumphantem ne mox cum exercitu victore scandentem Capitolium ad eosdem deos, a quibus proficiscatur, visuri, an hostibus eam præbituri lætitiam sint.* Persi autem regi, adversus quem ibatur, famam & bello clara Macedonum gens, & Philippus pater inter multa prospere gesta Romano etiam nobilitatus bello, præbebat: tum ipsius Persei nunquam ex quo regnum accepisset, desitum belli expectatione celebrari nomen. cum his cogitationibus omnium ordinum homines proficiscentem consulem prosecuti sunt. Duo consulares tribuni militum cum eo missi, C. Claudius, Q. Mutius, & tres illustres juvenes, P. Lentulus, & duo Manlii Acidini: alter M. Manlii, alter L. Manlii filius erat. Cum iis COS. Brundusium ad exercitum, atque inde cum omnibus copiis transvectus ad Nymphæum in Apolloniati agro posuit castra.

CAPUT XL.

Rex Perseus, desperata pace, consilium advocat: aliis pacem cum Romanis quoquo modo habendam censentibus, multo major pars bellum suadet: bellum ut geratur Perseus decernens, copias omnes Citium contrahit; quas ad concionem vocatas oratione accendit: inde profectus, in Thessaliam, futurus obviam Romano consuli, passim urbibus in potestatem redactis, descendit.

50 PAucos ante dies Perseus, postquam legati ab Roma regressi præciderant spem pacis, consilium habuit. Ibi aliquandiu diversis sententiis certatum est. Erant, quibus *vel stipendium pendendum, si injungeretur, vel agri parte cedendum, si mulctarent, quidquid denique aliud pacis caussa patiendum esset, non recusandum* videretur: *nec committendum ut in aleam tanti casus se regnumque daret. Si possessio haud ambigua regni maneret, multa diem tempusque afferre posse: quibus non amissa modo recuperare, sed timendus ultro iis esse, quos nunc timeret, posset.* Cæterum multo major pars ferocioris sententiæ erat. *Quidquid cessisset, cum eo simul regno protinus cedendum esse* affirmabant. *Neque enim Romanos pecunia aut agro egere: sed hoc scire, cum omnia humana, tum maxima quæque & regna & imperia sub casibus multis esse. Carthaginiensium opes fregisse sese, & cervicibus eorum præpotentem finitimum regem imposuisse: Antiochum progeniemque ejus ultra juga Tauri remotum. Unum esse Macedoniæ regnum, & regione propinquum, & quod sicubi P. R. sua fortuna labet, antiquos animos regibus suis videatur posse facere. Dum integræ res sint, cogitare apud animum suum Persea debere, utrum singula concedendo, nudatus ad extremum opibus extorrisque regno, Samothraciam aliamve quam insulam petere ab Romanis, ubi privatus superstes regno suo in contemtu atque inopia consenescat, malit: an armatus vindex fortunæ dignitatisque suæ, ita ut viro forti dignum sit, patiatur quodcumque casus belli tulerit: aut victor liberet orbem terrarum ab imperio Romano. Non esse admirabilius, Romanos Græcia pelli, quam Hannibalem Italia pulsum esse. Neque hercule videre qui conveniat fratri affectanti per injuriam regnum summa vi restitisse, alienigenis bene parto eo cedere. Postremo ita bello & pace quæri, ut inter omnes conveniat, nec turpius quicquam esse, quam sine certamine cessisse regno: nec præclarius quicquam, quam pro dignitate ac majestate omnem fortunam expertum esse.* Pellæ in vetere 51 regia Macedonum hoc consilium erat. *Geramus ergo,* in-

inquit, *diis bene juvantibus, quando ita videtur, bellum.* literisque circa præfectos dimissis, Citium (Macedoniæ oppidum est) copias omnes contrahit. Ipse centum hostiis sacrificio regaliter Minervæ, quam vocant Alcidem, confecto, cum purpuratorum & satellitum manu profectus Citium est. Eo jam omnes Macedonum externorumque auxiliorum convenerant copiæ. Castra ante urbem ponit, omnesque armatos in campo struxit. Summa omnium XL. millia armata fuere, quorum pars ferme dimidia phalangitæ erant: Hippias Beræus præerat. Delecta deinde & viribus & robore ætatis ex omni cetratorum numero duo erant agemata, hanc ipsi legionem vocabant, præfectos habebant Leonatum & Thrasippum Eulyestas. Cæterorum cetratorum trium ferme millium hominum dux erat Antiphilus Edessæus. Pæones, & ex Parorea & Parstrymonia (sunt autem ea loca subjecta Thraciæ) & Agrianes, admixtis etiam Thracibus incolis, trium millium ferme & ipsi expleverunt numerum. Armaverat contraxeratque eos Didas Pæon, qui adolescentem Demetrium occiderat. Et armatorum duo millia Gallorum erant præfecto Æsclepiodoro. Ab Heraclea ex Sintiis tria millia Thracum liberorum suum ducem habebant. Cretensium par pene numerus suos duces sequebatur, Susum Phalasarneum, & Syllum Gnosium. & Leonides Lacedæmonius quingentis ex Græcia, mixto generi hominum, præerat. Regii is generis ferebatur, exul damnatus frequenti concilio Achæorum literis ad Persea deprehensis. Ætolorum & Bœotorum, qui non explebant plus quam quingentorum omnes numerum, Lyco Achæus præfectus erat. Ex his mixtis tot populorum, tot gentium auxiliis XII. millia armatorum ferme efficiebantur. Equitum ex tota Macedonia contraxerat III. millia. Venerat eodem Cotys Seuthæ filius rex gentis Odrysarum, cum mille delectis equitibus, pari ferme peditum numero. Summa totius exercitus XXXIX. millia peditum erant, IV. equitum. Satis constabat, secundum eum exercitum, quem magnus Alexander in Asiam trajecit, nunquam ullius Macedonum regis copias tantas fuisse. Tertius 52 & vicesimus annus agebatur, ex quo petenti Philippo data pax erat: per id omne tempus quieta Macedonia & progeniem ediderat, cujus magna pars matura militiæ esset, & levibus bellis Thracum accolarum, quæ exercerent magis quam fatigarent;

sub assidua tamen militia fuerat: & diu meditatum Philippo primo, deinde & Persi Romanum bellum, omnia ut instructa parataque essent, effecerat. Mota parumper acies, non justo decursu tamen, ne stetisse tantum in armis viderentur: armatosque, sicut erant, ad concionem vocavit. Ipse constitit in tribunali, circa se habens filios duos, quorum major Philippus natura frater, adoptione filius; minor, quem Alexandrum vocabant, naturalis erat. Cohortatus est milites ad bellum, injuriam P. R. in patrem seque commemoravit. *Illum omnibus indignitatibus compulsum ad rebellandum, inter apparatum belli fato oppressum: ad se simul legatos, simul milites ad occupandas Græciæ urbes missos. Fallaci deinde colloquio per speciem reconciliandæ pacis extractam hiemem, ut tempus ad comparandum haberent. Consulem nunc venire cum duabus legionibus Romanis, quæ trecenos equites habeant, & pari ferme numero sociorum peditum equitumque. eo ut accedant regum auxilia Eumenis & Massanissæ, non plus VII. millia peditum, II. equitum futura. Auditis hostium copiis, respicerent suum ipsi exercitum, quantum numero, quantum genere militum præstarent tyronibus raptim ad id bellum conscriptis, ipsi a pueris eruditi artibus militiæ, tot subacti atque durati bellis. Auxilia Romanis Lydos, Phrygas, & Numidas esse. sibi Thraces Gallosque, ferocissimas gentium. Arma illos habere ea, quæ sibi quisque paraverit pauper miles; Macedonas promta ex regio apparatu, per tot annos patris sui cura & impensa facta. Commeatum illis cum procul, tum omnibus sub casibus maritimis fore: se & pecuniam & frumentum, præter reditus metallorum, in decem annos seposuisse. Omnia quæ deorum indulgentia, quæ regia cura præparanda fuerant, plena cumulataque habere Macedonas; animum habendum esse, quem habuerint majores eorum, qui Europa omni domita transgressi in Asiam, incognitum fama aperuerint armis orbem terrarum: nec ante vincere desierint, quam rubro mari inclusis, quod vincerent, defuerit. At Hercule nunc non de ultimis Indiæ oris, sed de ipsius Macedoniæ possessione certamen fortunam indixisse. Cum patre suo gerentes bellum Romanos, speciosum Græciæ liberandæ tulisse titulum: nunc propalam Macedoniam in servitutem petere, ne rex vicinus imperio sit Romano, ne gens bello nobilis arma habeat. Hæc enim tradenda superbis dominis esse cum rege regnoque, si absistere bello, & facere imperata velint.* Cum per omnem orationem satis fre- 53

quenti

quenti assensu succlamatum esset, tum vero ea vociferatio simul indignantium minitantiumque partim jubentium bonum animum habere regem, exorta est, ut finem dicendi faceret, tantum jussis ad iter parari: jam enim dici, movere castra ab Nymphæo Romanos. Concione dimissa ad audiendas legationes civitatum Macedoniæ se contulit. Venerant autem ad pecunias pro facultatibus quæque suis, & frumentum pollicendum ad bellum. Omnibus gratiæ actæ, remissum omnibus; satis regios apparatus ad ea dictum sufficere: vehicula tantum imperata, ut tormenta, telorumque missilium ingentem vim præparatam, bellicumque aliud instrumentum veherent. Profectus inde toto exercitu Heordæam petens, ad Begorritem quem vocant lacum positis castris, postero die in Elimæam ad Haliacmona fluvium processit. Deinde saltu angusto superatis montibus, quos Cambunios vocant, descendit ad (Tripolim vocant) Azorum, Pithium, & Dolichen incolentes. Hæc tria oppida paullisper cunctata, quia obsides Larissæis dederant, victa tamen præsenti metu in deditionem concesserunt. Benigne his appellatis, haud dubius Perræbos quoque idem facturos, urbem, nihil cunctatis qui incolebant, primo adventu recipit. Cyretias oppugnare conatus, primo etiam die acri concursu ad portas armatorum est repulsus: postero die omnibus copiis adortus, in deditionem omnes ante noctem accepit. Mylæ proximum oppidum, ita munitum, ut inexuperabilis munimenti spes incolas ferociores faceret, non portas claudere regi satis habuerunt; sed probris quoq; in ipsum, Macedonasque procacibus * jaculati sunt. Quæ res cum infestiorem hostem ad oppugnandum fecisset, ipsos desperatione veniæ ad tuendos sese acrius accendit. Itaque per triduum ingentibus utrinque animis & oppugnatæ sunt, & defensæ. Multitudo Macedonum ad subeundum invicem prælium haud difficulter succedebat: oppidanos diem noctem eosdem tuentes mœnia non vulnera modo, sed etiam vigiliæ & continens labor conficiebat. Quarto die cum & scalæ undique ad muros erigerentur, & porta vi majore oppugnaretur, oppidani depulsi muris ad portam tuendam concurrunt, eruptionemque repentinam in hostes faciunt: quæ cum iræ magis inconsultæ, quam veræ fiduciæ virium esset, pauci & fessi ab integris pulsi terga dederunt, fugientesque per pa-

54

* al. jocu-lati.

patentem portam hostes acceperunt. Ita capta urbs, ac direpta est: libera quoque corpora, quæ cædibus superfuerunt, venundata. Diruto magna ex parte & incenso oppido, profectus ad Phalannam castra movit; inde postero die Gyrsonem pervenit. Quo cum T. Minutium Rufum & Hippiam Thessalorum prætores cum præsidio intrasse accepisset, ne tentata quidem oppugnatione prætergressus, Elatiam & Gonnum, perculsis inopinato adventu oppidanis, recepit. Utraque oppida in faucibus sunt, quæ Tempe adeunt, magis Gonnus: itaque & firmiore in præsidio tutum equitum peditumque, ad hoc fossa triplici ac vallo munitum reliquit. Ipse ad Sycurium progressus, opperiri ibi hostium adventum statuit: simul & frumentari passim exercitum jubet in subjecto hostium agro. Namque Sycurium est sub radicibus Ossæ montis: qua in meridiem vergit, subjectos habet Thessaliæ campos, ab tergo Macedoniam atque Magnesiam. Ad has opportunitates accedit summa & copia, pluribus circumjectis fontibus perennium aquarum.

CAPUT XLI.

P. Licinius cos., motis castris ab Nymphæo, expertus admodum difficile iter per Athamaniam, pervenit in Thessaliam; ubi habet castra rex Perseus.

COS. Romanus per eosdem dies Thessaliam cum exercitu petens, iter expeditum primo per Epirum habuit: deinde postquam in Athamaniam est transgressus, asperi ac prope invii soli, cum ingenti difficultate parvis itineribus ægre Gomphos pervenit: cui si vexatis hominibus equisque tyronem exercitum ducenti acie instructa & loco suo & tempore obstitisset rex, ne Romani quidem abnuunt magna sua cum clade fuisse pugnaturos. Postquam Gomphos sine certamine ventum est, præter gaudium periculosi saltus superati, contemtus quoque hostium adeo ignorantium opportunitates suas accessit. Sacrificio rite perfecto COS. & frumento dato militibus, paucos ad requiem jumentorum hominumque moratus dies, cum audiret vagari Macedonas effusos per Thessaliam, vastarique sociorum agros, satis jam refectum militem ad Larissam ducit. Inde cum III. millia ferme abesset a Tripoli (Sceam vocant) super Peneum amnem posuit castra.

55

CA-

CAPUT XLII.

Rex Eumenes Chalcidem cum auxiliis venit, relicta ibi parte copiarum, cum reliquis ad Licinium Cos., super Peneum amnem castra habentem, pergit: aliorum quoque sociorum auxilia Chalcidem conveniunt: interim navalis Romanorum exercitus in Bœotia Haliartum circumsidet.

PEr idem tempus Eumenes ad Chalcidem navibus accessit cum Attalo atque Athenæo fratribus, Philetæro fratre relicto Pergami ad tutelam regni. inde cum Attalo & quatuor millibus peditum, mille equitum ad COS. venit. Chalcide relicta duo millia peditum: quibus Athenæus præpositus. Et alia eodem auxilia Romanis ex omnibus undique Græciæ populis convenerunt, quorum pleraque (adeo parva erant) in oblivionem adducta. Apolloniatæ CCC. equites, centum pedites miserunt. Ætolorum alæ unius instar, quantum in tota gente equitum erat, venerant. & Thessalorum omnis equitatus separatus erat. non plus quam CCC. erant equites in castris Romanis. Achæi juventutis suæ, Cretico maxime armatu, ad mille dederunt. Sub idem tempus & C. Lucretius prætor, qui navibus præerat ad Cephaleniam, M. Lucretio fratre cum classe super Maleam Chalcidem jusso petere, ipse triremem conscendit, sinum Corinthium petens ad præoccupandas in Bœotia res. tardior ei navigatio propter infirmitatem corporis fuit. M. Lucretius Chalcidem adveniens, cum a P. Lentulo Haliartum oppugnari audisset, nuntium prætoris verbis, qui abscedere eum inde juberet, misit. Bœotorum juventute, quæ pars cum Romanis stabat, eam rem aggressus legatus a mœnibus abscessit. Hæc soluta obsidio locum alteri novæ obsidioni dedit: namque extemplo M. Lucretius eum exercitu navali X. millibus armatorum, ad hoc duobus millibus regiorum, qui sub Athenæo erant, Haliartum circunsedit: parantibusque jam oppugnare supervenit a Creusa prætor. Ad idem fere tempus & ab sociis naves Chalcidem convenerunt: duæ Punicæ quinqueremes, duæ ab Heraclea ex Ponto triremes, quatuor Chalcedone, totidem Samo, tum quinque Rhodiæ quadriremes. prætor, quia nusquam erat maritimum bellum, remisit sociis, & Q. Martius Chalcidem navibus venit. Halope capta, Larissa, quæ Cremaste dicitur, oppugnata.

56

CAPUT XLIII.

P. Licinius Cos. in Thessalia, commisso dubia fortuna cum rege Perseo levi certamine, congreditur deinde equestri prælio, quo superatus procul ab hoste castra movet: rex Perseus victoria, consulisque trepidatione elatus, milites, alacres parta præda, oratione insuper inflammat.

CUm hic status in Bœotia esset, Perseus cum ad Sycurium (sicut ante dictum est) stativa haberet, frumento undique circa ex agris convecto, ad vastandum agrum Pheræorum misit: ratus ad juvandas sociorum urbes, longius ab castris abstractos deprehendi Romanos posse. Quos cum eo tumultu nihil motos animadvertisset,* prædam quidem, præterquam hominum, (pecora autem maxime omnis generis fuere) divisit ad epulandum militibus. Sub idem deinde tempus concilium & consul & rex habuerunt, unde bellum ordirentur. Regis creverunt animi vastatione concessa sibi ab hoste Pheræi agri. Itaque eundum inde ad castra, nec dandum ultra spatium cunctandi censebat. & Romani censebant cunctationem suam infamem apud socios esse, maximopere indigne ferentes non latam Pheræis opem. consultantibus quid agerent, (aderant autem Eumenes & Attalus in concilio) trepidus nuntius affert, hostem magno agmine adesse. Concilio dimisso, signum extemplo datur, ut arma capiant. Interim placet ex regiis auxiliis centum equites, & parem numerum jaculatorum peditum exire. Perseus hora ferme diei quarta cum paullo plus mille passus abesset a castris Romanis, consistere signa peditum jussit: prægressus ipse cum equitibus ac levi armatura, & Cotys cum eo ducesque aliorum auxiliorum præcesserunt. Minus quingentos passus ab castris aberant, cum in conspectu fuere hostium equites. duæ alæ erant magna ex parte Gallorum: Cassignatus præerat: & levis armaturæ centum fere & quinquaginta Mysi aut Cretenses. Constitit rex, incertus quantum esset hostium. Duas inde ex agmine turmas Thracum, duas Macedonum, cum binis Cretensium cohortibus & Thracum misit. Prælium, cum pares numero essent, neque ab hac aut illa parte nova auxilia subvenirent, incerta victoria finitum est. Eumenis ferme XXX. interfecti; inter quos Cassignatus dux Gallorum cecidit. tunc quidem Perseus ad Sycurium copias reduxit: postero die circa eandem horam in eundem locum rex copias admovit, plau-

* al. prædæ, quam pecora quod autem maxime omnis generat.

57

plaustris cum aqua sequentibus: nam duodecim millium passuum via omnis sine aqua & plurimi pulveris erat: affectosque siti, si primo in conspectu dimicassent, pugnaturos fuisse apparebat. Cum Romani quiessent, stationibus etiam intra vallum reductis, regii quoque in castra redeunt. Hoc per aliquot dies fecerunt, sperantes fore ut Romani equites abeuntium novissimum agmen aggrederentur: inde certamine orto, cum longius a castris eos elicuissent, facile, ubi essent, se, qui equitatu & levi armatura plus possent, 58 conversuros aciem. Postquam inceptum non succedebat, castra propius hostem movit rex, & a quinque millibus passuum communiit. Inde luce prima in eodem, quo solebat, loco peditum acie instructa, equitatum omnem levemque armaturam ad castra hostium ducit. Visus & plurium & propior solito pulvis trepidationem in castris Romanis fecit: & primo vix creditum nuntianti est, quia prioribus continuis diebus nunquam ante horam quartam hostis apparuerat, tum solis ortus erat. Deinde ut plurium clamore & cursu a portis dubitatio exemta est, tumultus ingens oboritur. tribuni præfectique & centuriones in prætorium, miles ad sua quisque tentoria discurrit. Minus quingentos passus a vallo instruxerat Perseus suos, circa tumulum quem Calicinum vocant. Lævo cornu Cotys rex præerat cum omnibus suæ gentis, equitum ordines levis armatura interposita distinguebat. In dextro cornu Macedones erant equites: intermixti turmis eorum Cretenses. Huic armaturæ Milo Beroeæus, equitibus & summæ partis ejus Meno Antigonensis præerat. Proximi cornibus constiterant regii equites, & mixtum genus delecta plurium gentium auxilia: Patrocles Antigonensis hic, & Pæoniæ præfectus Didas, erant præpositi. Medius omnium rex erat, circa eum agema quod vocant, equitumque sacræ alæ. ante se statuit funditores jaculatoresque: quadringentorum manus utraque numerum expleverat. Jonem Thessalonicensem & Timanora Dolopem iis præfecit. Sic regii constiterant. Consul intra vallum peditum acie instructa, & ipse equitatum omnem cum levi armatura misit. pro vallo instructi sunt. Dextro cornu præpositus C. Licinius Crassus consulis frater cum omni Italico equitatu, velitibus intermixtis: sinistro M. Valerius Lævinus sociorum ex Græcis populis equites habebat, ejusdem gentis le-

 vem

vem armaturam. Mediam autem aciem cum delectis equitibus extraordinariis tenebat Q. Mutius. CC. equites Galli ante signa horum instructi, & de auxiliis Eumenis Cyrtiorum gentis CCC. Thessali, CCCC. equites parvo intervallo super lævum cornu locati. Eumenes rex Attalusque cum omni manu sua ab tergo inter postremam aciem ac vallum steterunt.

59 In hunc modum maxime instructæ acies, par ferme utrinque numerus equitum ac levis armaturæ concurrunt, a funditoribus jaculatoribusque qui præcesserunt, prælio orto. Primi omnium Thraces haud secus, quam diu claustris retentæ feræ, concitati cum ingenti clamore in dextrum cornu Italicos equites incurrerunt, ut usu belli & ingenio impavida gens turbaretur. * gladiis hastas petere pedites, nunc succidere crura equis, nunc illa suffodere. Perseus in mediam invectus aciem, Græcos primo impetu avertit: quibus cum gravis ab tergo instaret hostis, Thessalorum equitatus, quia lævo cornu brevi spatio disjunctus in subsidiis fuerat, extra concursum primo spectator certaminis, deinde inclinata re maximo usui fuit. Cedentes enim sensim integris ordinibus, postquam se Eumenis Auxiliis adjunxerunt, & cum eo tutum inter ordines suos receptum sociis fuga dissipatis dabant: & cum minus conferti hostes instarent, progredi etiam ausi, multos fugientium obvios exceperunt. Nec regii sparsi jam ipsi passim sequendo, cum ordinatis & certo incedentibus gradu manus conserere audebant: cum victor equestri prælio rex parvo momento si adjuvisset, * debellatum esset. Opportune adhortanti supervenit phalanx, quam sua sponte, ne audaci cæpto deesset, Hippias & Leonatus raptim adduxerant, postquam prospere pugnasse equitem acceperunt. Fluctuante rege inter spem metumque tantæ rei conandæ, Cretensis Evander, quo ministro Delphis ad insidias Eumenis regis usus erat, postquam agmen * impeditum venientium sub signis vidit, ad regem accurrit, & monere instituit, *ne elatus felicitate summam rerum temere in non necessariam aleam daret. Si contentus bene re gesta quiesset eo die, vel pacis honestæ conditionem habiturum, vel plurimos belli socios, qui fortunam sequerentur, si bellare mallet.* In hoc consilium pronior erat animus regis. Itaque collaudato Evandro, signa referri, peditumque agmen redire in castra jubet, equitibus receptui canere. Cecidere eo die ab 60 Romanis CC. equites, duo mil-

* al. debellatum. * al. peditum.

millia haud minus peditum, capti ferme CC. equites: ex regiis autem XX. equites, XL. pedites interfecti. Postquam rediere in castra victores, omnes quidem læti, ante alios Thracum insolens lætitia eminebat. cum cantu enim superfixa capita * hostium portantes redierunt. Apud Romanos non mœstitia tantum ex male gesta re, sed pavor etiam erat, ne extemplo castra hostis aggrederetur. Eumenes suadere, ut trans Peneum transferret castra, ut pro munimento amnem haberet, dum perculsi milites animos colligerent. COS. moveri flagitio timoris fatendi: victus tamen ratione, silentio noctis transductis copiis, castra in ulteriore ripa communit. Rex postero die ad lacessendos prælio hostes progressus, postquam trans amnem in tuto posita castra animadvertit, fatebatur quidem peccatum, quod pridie non institisset victis: sed aliquanto majorem culpam esse, quod nocte foret cessatum. Nam ut neminem alium suorum moveret, levi armatura immissâ, trepidantium in transitu fluminis hostium deleri magna ex parte copias potuisse. Romanis quidem præsens pavor demtus erat, in tuto castra habentibus. damnum inter cætera præcipue famæ movebat. & in consilio apud COS. pro se quisque in Ætolos conferebant caussam: ab iis fugæ terrorisque principium ortum: secutos pavorem Ætolorum & cæteros socios Græcorum populorũ. Quinque principes Ætolorum primi terga vertentes conspecti dicebantur. Thessali pro concione laudati, ducesque eorum etiam virtutis caussa donati. Ad regem spolia cæsorum hostium referebantur: dona ex his aliis arma insignia, aliis equos, quibusdam captivos dono dabat. Scuta erant supra M. D. loricæ, thoracesque M. amplius summam explebant, galeatum gladiorumque & missilium omnis generis major aliquanto numerus. Hæc per se ampla, pleraque multiplicata verbis regis, quæ ad concionem vocato exercitu habuit. *Præjudicatum eventum belli habetis: meliorem partem hostium, equitatum Roman. quo invictos se esse gloriabantur, fudistis. equites enim illis principes juventutis, equites seminarium senatus: inde lectos in patrum numerum consules, inde imperatores creant. Horum spolia paullo ante divisimus inter vos. Nec minorem de legionibus peditum victoriam habetis, quæ nocturna fuga vobis subtractæ, naufragorum trepidatione passim natantium flumen compleverunt. Sed facilius nobis sequentibus victos Peneum superare*

* al. manantis.

61

pexara

perare erit, quam illis trepidantibus fuit: transgressique extemplo castra oppugnabimus, quæ hodie cepissemus, ni fugissent. Aut si acie decernere volent, eundem pugnæ pedestris eventum expectate, qui equitum in certamine fuerit. Et qui vicerant, alacres spolia cæsorum hostium humeris gerentes ante ora sua audivere, ex eo quod acciderat, spem futuri præcipientes: & pedites aliena gloria accensi, præcipue qui Macedonum phalangis erant, sibi quoque & navandæ regi operæ, & similem gloriam ex hoste pariendi occasionem optabant. Concione dimissa, postero die profectus inde ad Mopselum posuit castra: tumulus hic inter Tempe & Larissam medius est. 62 Romani non abscedentes ab ripa Penei, transtulerunt in locum tutiorem castra. Eo Misagenes Numida venit cum M. equitibus, pari peditum numero, ad hoc elephantis duobus & XX.

CAPUT XLIV.

Rex Perseus post superatum equestri prælio Licinium cos., ex amicorum consilio mittit ad eum legatos de pace; pecunia quoque sollicitato frustra consulis animo, parat belli casum tentare.

PEr eos dies consilium habenti regi de summa, cum jam consedisset ferocia ab re bene gesta, ausi sunt quidam amicorum consilium dare, *ut secunda fortuna** *in conditione honestæ pacis uteretur, potius, quam spe vana evectus in casum irrevocabilem se daret. Modum imponere secundis rebus, nec nimis credere serenitati præsentis fortunæ, prudentis hominis & merito felicis esse. Mitteret ad Cos. qui fœdus in easdem leges renovarent, quibus Philippus pater ejus pacem a T. Quintio victore accepisset. neque finiri bellum magnificentius, quam a tam memorabili pugna: neque spem firmiorem pacis perpetuæ dari, quam quæ perculsos adverso prælio Romanos molliores factura sit ad paciscendum. Quod si Romani tum quoque insita pertinacia æqua aspernarentur, deos hominesque & moderationis Persei, & illorum pervicacis superbiæ futuros testes.* Nunquam ab talibus consiliis abhorrebat regis animus. itaque plurium assensu cōprobata est sententia. Legati ad Cos. missi, adhibito frequenti consilio auditi sunt. *Pacem petere, vectigal quantum Philippus pactus esset, daturum Persea Romanis pollicentes: urbibus agris locisque, quibus Philippus cessisset, cessurum Perseum.* Hæc legati. Summotis his cum consultarent, Romana constantia vicit in consilio. Ita tum mos erat, in adversis vultum secun-

dæ

* al. in conditionem

dæ fortunæ gerere, moderari animos in secundis. Responderi placuit, *ita pacem dari, si de summa rerum liberum senatui permittat rex de se deque universa Macedonia statuendi jus.* Hæc cum renuntiassent legati, miraculo ignaris moris pertinacia Romanorum esse: & plerique vetare amplius mentionem pacis facere. ultro mox quæsituros quod oblatum fastidiant. Perseus hanc ipsam superbiam, quippe ex fiducia virium esse, timere: & summam pecuniæ augens, si pretio pacem emere posset, non destitit animum COS. tentare. postquam nihil ex eo, quod primo responderat, mutabat, desperata pace, ad Sycurium, unde profectus erat, rediit, belli casum de integro tentaturus.

CAPUT XLV.

Vulgata per Græciam fama equestris prælii, infeliciter a Licinio Cos. cum Perseo commissi, detegit hominum animos in Romanos.

63 Fama equestris pugnæ vulgata per Græciam, nudavit voluntates hominum, non enim solum qui partis Macedonum erant, sed plerique ingentibus Romanorum obligati beneficiis, quidam vim * superbiamque experti, læti eam famam accepere: non ob aliam caussam, quam pravo studio, quo etiam in certaminibus ludicris vulgus utitur, deteriori atque infirmiori favendo.

* al. addūt Macedonū.

CAPUT XLVI.

C. Lucretius prætor in Bœotia Haliartum urbem acriter obsessam tandem expugnat: Thebas inde se convertens, sine certamine recipit.

Eodem tempore in Bœotia summa vi Haliartum Lucretius prætor oppugnarat. & quanquam nec habebant externa auxilia obsessi, præter Coronæorum juniores, qui prima obsidione mœnia intraverant, neque sperabant: tamen ipsi animis magis, quam viribus resistebant. Nam & eruptiones in opera crebro faciebant, & arietem admotum libramento plumbi gravatum ad terram urgebant: & si qua declinarent qui agebant ictum, pro diruto muro novum tumultuario opere, raptim ex ipsa ruinæ strage congestis saxis, extruebant. Cum operibus oppugnatio lentior esset, scalas per manipulos dividi prætor jussit, ut corona undique mœnia aggressurus eo magis suffecturam ad id multitudinem ratus, quod, qua parte palus urbem cingit, nec attinebat oppugnari, nec poterat. Ipse ab ea parte, qua duæ turres, quodque inter eas muri prorutum fuerat, duo M. militum delectorum admovit, ut eodem tempore quo ipse transcendere ruinas conaretur, concursu

cursu adversus se oppidanorum facto, scalis vacua defensoribus mœnia capi parte aliqua possent. Haud segniter oppidani vim ejus arcere parant. Nam super stratum ruinis locum fascibus aridis sarmentorum injectis, stantes cum ardentibus facibus accensuros ea se sæpe minabantur, ut incendio intersepti ab hoste spatium ad objiciendum interiorem murum haberent. quod incœptum eorum sors impediit. Nam tantus repente effusus est imber, ut nec accendi facile pateretur, & extingueret accensa. Itaque & transitus per distracta fumantia virgulta patuit, & in unius loci præsidium omnibus versis, mœnia quoque pluribus simul partibus scalis capiuntur. In primo tumultu captæ urbis seniores, impuberesque, quos casus obvios obtulit, passim cæsi: armati in arcem confugerunt: & postero die cum spei nihil superesset, deditione facta sub corona venierunt. Fuerunt autem MM. ferme & D. ornamenta urbis, statuæ, & tabulæ pictæ, & quicquid pretiosæ prædæ fuit, ad naves delatum. urbs diruta a fundamentis. inde Thebas ductus exercitus: quibus sine certamine receptis, urbem tradidit exulibus, & qui Romanorum partis erant: adversæ factionis hominum, fautorumque regis ac Macedonum familias sub corona vendidit. His gestis in Bœotia, ad mare ac naves rediit.

CAPUT XLVII.

Rex Perseus ab Sycurio clam ad castra Rom. accedit. conatus ibi frumentum ex agris congestum incendere, repellitur: occupatis tumulis, tentat deinde equestre prælium: ubi nihil movet, denuo ad Sycurium signa convertit.

Cum hæc in Bœotia gererentur, Perseus ad Sycurium stativa dierum aliquot habuit. Ubi cum audisset, raptim Romanos circa ex agris demessum frumentum convehere, deinde ante sua quenque tentoria spicas fascibus desecantem, quo purius frumentum tereret, ingentes acervos per tota castra stramentorum fecisse: ratus incendio opportuna esse, faces tædamque & malleolos stuppæ illitos pice parari jubet: atque ita media nocte profectus, ut prima luce aggressus falleret, nequicquam tentavit. nam primæ stationes oppressæ tumultu ac terrore suo cæteros exciverunt. signumque datum est arma extemplo capiendi: simulque in vallo ad portas miles instructus erat, & intentus propugnationi castrorum. Perseus & extemplo circumegit aciem, & prima impedimenta ire, deinde pe-

64

peditum signa ferri jussit. Ipse cum equitatu & levi armatura substitit ad agmen cogendum, ratus id quod accidit, insecuturos ad extrema ab tergo carpenda hostes. Breve certamen levis armaturæ maxime cum procursatoribus fuit. equites peditesque sine tumultu in castra redierunt. Demessis circa segetibus, Romani ad Crannonium intactum agrum castra movent. Ibi cum securi,& propter castrorum longinquitatem, & viæ inopis aquarum difficultatem,quæ inter Sycurium & Crannona est, stativa haberent, repente prima luce in imminentibus tumulis equitatus regius cum levi armatura visus ingentem tumultum fecit. Pridie per meridiem profecti ab Sycurio erant: peditum agmen sub luce reliquerant in proxima planicie. Stetit paullisper in tumulis, elici posse ratus ad equestre certamen Romanos. qui postquam nihil movebant, equitem mittit qui pedites referre ad Sycurium signa juberet, ipse mox insecutus. Romani equites modico intervallo sequentes, sicubi sparsos ac dissipatos invadere possent, postquam confertos abire signa atque ordines servantes viderunt, & ipsi in castra redeunt.

CAPUT XLVIII.

Rex Perseus in frumentatores Romanos prospero successu impetum facit: proximum deinde aggressus Rom. præsidium, vehementer oppugnat: superveniente Lic. Cos. ad ferendum obsessis auxilium, prælium conseritur: Perseus ingentem cladem (quidam auctores sunt) accipit: profectus ex Thessalia in Macedoniam se recipit.

INde offensus longinquitate itineris rex, ad Mopselum castra movit. & Romani demessis Crannonis segetibus, in Phalannæum agrum transeunt. Ibi cum ex transfuga cognovisset rex, sine ullo armato præsidio passim vagantes per agros Romanos metere, cum M. equitibus, duobus milibus Thracum, & Cretensium profectus, cum quantum accelerare poterat, effuso agmine issent, improviso aggressus est Romanos. Juncta vehicula, pleraque onusta, M. admodum capiuntur, DC. ferme homines. Prædam custodiendam ducendamque in castra CCC. Cretensium dedit. Ipse revocato ab effusa cæde equite, & reliquis peditum, ducit ad proximum præsidium, ratus haud magno certamine opprimi posse. L. Pompejus tribunus militum præerat, qui perculsos milites repentino hostium adventu in propinquum tumulum

65

mulum recepit, loci se præsidio, quia numero & viribus impar erat, defensurus. ibi cum in orbem milites coegisset, ut densatis scutis abjectu sagittarum & jaculorum sese tuerentur, Perseus, circundato armatis tumulo, alios ascensum undique tentare jubet, & cominus prælium conserere alios eminus tela ingerere. Anceps Romanos terror circumstabat: nam neque conferti pugnare, propter eos qui ascendere in tumulum conabantur, poterāt: & ubi ordines procursando solvissent, patebant jaculis sagittisve. Maxime cestrosphendonis vulnerabantur. hoc illo bello novum genus teli inventum est. Bipalme spiculum hastili semicubitali infixum erat, crassitudine digiti: huic ad libramen pinnæ tres, velut sagittis solent, circundabantur: funda media, duo funalia imparia habebant. cum majori sinu libratum funditor habena rotaret, excussum velut glans emicabat. Cum & hoc & alio omni genere telorum pars vulnerata militum esset, nec facile jam arma fessi sustinerent: instare rex ut dederent se, fidem dare, præmia interdum polliceri: nec cujusquam ad deditionem flectebatur animus, cum ex insperato jam obstinatis mori spes affulsit. Nam cum ex frumentatoribus refugientes quidam in castra, nuntiassent Cos. circumsideri præsidium, motus periculo tot civium (nam DCCC. ferme & omnes Romani erant) cum equitatu ac levi armatura (accesserant nova auxilia Numidæ pedites equitesque, & elephanti) castris egreditur: & tribunis militum imperat, ut legionum signa sequantur. Ipse velitibus ad firmanda levium armorum auxilia adjectis, ad tumulum præcedit. Consulis latera tegunt Eumenes, Attalus & Misagenes regulus Numidarum. Cum in conspectu prima signa suorum circumsessis fuerunt, Romanis quidem ab ultima desperatione recreatus est animus: Perseus, cui primum omnium fuerat, ut contentus fortuito successu, captis aliquot frumentatoribus occisisque, non tereret tempus in obsidione præsidii, secundum ea quoque tentata utcunque, cum sciret nihil roboris secum esse, dum liceret intacto abire, & ipse hostium adventum elatus successu mansit, & qui phalangem accerserent, propere misit: qua & serius quam res postulabat, & raptim acta, turbati cursu adversus instructos, & præparatos erant adventuri. Cos. anteveniens, extemplo prælium conseruit. Primo resistere Macedones, deinde ut nulla re pares erant, amissis

66

CCC.

CCC. peditibus, XXIV. prinoribus equitum ex ala, quam Sacram vocant, inter quos Antimachus etiam præfectus alæ cecidit, abire conantur. Cæterum iter prope ipso prælio tumultuosius fuit. Phalanx abs trepido nuntio accita cum raptim duceretur, primo in angustiis captivorum agmini oblata, vehiculisque frumento onustis: iis cæsis, ingens ibi vexatio partis utriusque fuit, nullo expectante * utcunque explicaretur agmen, sed armatis detrudentibus per præceps impedimenta (neque enim aliter via aperiri poterat) jumentis, cum stimularentur, in turba sævientibus. Vix ab incondito agmine captivorum expedierant se se, cum regio agmini perculsisque equitibus occurrunt. Ibi vero clamor jubentium referre signa, ruinæ quoque prope similem trepidationem fecit: ut si hostes introire angustias ausi longius insecuti essent, magna clades accipi potuerit. Cos. recepto ex tumulo præsidio, contentus modico successu, in castra copias reduxit. Sunt qui eo die magno prælio pugnatum auctores sint, VIII. millia hostium cæsa, in his Sopatrum & Antipatrum regios duces: vivos captos circiter MMDCCC. signa militaria capta XX. & VII. Nec incruentam victoriam fuisse: supra quatuor millia & CCC. de exercitu consulis cecidisse: signa sinistræ alæ quinque amissa. Hic dies & Romanis refecit animos, & Persea perculit, ut dies paucos ad Mopselum moratus sepulturæ maxime militum amissorum cura, præsidio satis valido ad Gonnum relicto, in Macedoniam reciperet copias. Timotheum quendam ex regiis præfectis cum modica manu relinquit ad Philam, jussum Magnetas & propinquos tentare. Cum Pellam venisset, exercitu in hiberna dimisso, ipse cum Cotye Thessalonicam est profectus. Eo fama affertur, Atlesbim regulum Thracum, & Corragum Eumenis præfectum in Cotyis fines impetum fecisse, & regionem Marenen, quam vocant, cepisse. Itaque dimittendum Cotyn ad sua tuenda ratus, magnis proficiscentem donis prosequitur. Ducenta talenta, semestre stipendium equitatui numerat, cum primo annuum dare constituisset.

65

CA-

CAPUT XLIX.

P. Licinius Cos., profecto in Macedoniam Perseo rege, ipse quoque, divisis per Thessaliam præsidiis, redactisque in potestatem multis oppidis, in Bœotiam, a Thebanis accersitus, venit.

COS. postquam profectum Persea audivit, ad Gonnum castra movet, si potiri oppido posset. Ante ipsa Tempe in faucibus situm, Macedoniæ claustra tutissima præbet, & in Thessaliam opportunum Macedonibus decursum. Cum & loco & præsidio valido inexpugnabiiis * res esset, abstitit incæpto. In Perræbiam flexis itineribus, Mallœa primo impetu capta ac direpta, Tripoli aliaque Perræbia recepta, Larissam rediit. inde Eumene atque Attalo domum remissis, Misagenem Numidasque in hiberna in proximis Thessalis urbibus distribuit, & partem exercitus ita per totam Thessaliam divisit, ut & hiberna commoda omnes haberent, & præsidio urbibus essent. Q. Mutium legatum cum duobus millibus ad obtinendam Ambraciam misit. Græcarum civitatum socios omnes præter Achæos dimisit. cum exercitus parte profectus in Achajam Phthiotim, Pteleum desertum fuga oppidanorum diruit a fundamentis. Antrona voluntate colentium recepit. Ad Larissam deinde exercitum admovit. urbs deserta erat: in arcem omnis multitudo concesserat: eam oppugnare aggreditur. Primi omnium Macedones, regium præsidium, metu excesserant: a quibus relicti oppidani, in deditionem extemplo veniunt. Dubitari inde, utrum Demetrias prius aggredienda foret, an in Bœotia aspiciendæ res. Thebani, vexantibus eos Coronæis, in Bœotiam accersebant. ad horum preces, quia hibernis aptior regio, quam Magnesia erat, in Bœotiam duxit.

* al. urbs

L. FLO-

FLORI

DECADIS QUINTÆ,

LIBRI TERTII

EPITOME.

Praetores nonnulli, eo quod avare & crudeliter provincias administrassent, damnati sunt. P. Licinius Crassus proconsul complures in Græcia urbes expugnavit, & crudeliter diripuit. ob id captivi, qui ab eo venierant, ex S. C. postea restituti sunt. A præfectis classium Romanorum multa impotenter in socios facta. Res præterea a Perseo rege in Thracia prospere gestas continet: & victis Dardanis, & Illyrico, cujus rex erat Gentius, motus qui in Hispania ab Olonco factus erat, ipso interemto consedit. M. Æmilius Lepidus a censoribus princeps in senatum lectus.

DECADIS QUINTÆ

LIBER TERTIUS

CAPUT I.

In Illyrico duo oppida, quæ venerant in deditionem, diripiuntur: C. Cassium Cos., ex Gallia provincia sua in Macedoniam proficiscentem, senatus vocat.

EAdem æstate, qua in Thessalia equestri pugna vicere Romani, legatus in Illyricum a COS. missus, opulenta duo oppida vi atque armis coegit in deditionem, omniaque iis sua concessit, ut opinione clementiæ eos, qui Carnuntem munitam urbem incolebant, alliceret. Postquam nec ut dederent se compellere,

pellere, neque capere obsidendo poterat: ne duabus oppugnationibus nequicquam fatigatus miles esset: quas prius intactas urbes reliquerat, diripuit. Alter COS. C. Cassius nec in Gallia, quam sortitus erat, memorabile quicquam gessit: & per Illyricum ducere legiones in Macedoniam vano incœpto est conatus. Ingressum hoc iter consulem, senatus ex Aquilejensium legatis cognovit: qui querentes coloniam suam novam & infirmam, necdum satis munitam inter infestas nationes Istrorum & Illyriorum esse, cum peterent ut senatus curæ haberet quomodo ea colonia muniretur, interrogati vellent ne eam rem C. Cassio COS. mandari, responderunt, Cassium, Aquilejam indicto exercitu, profectum per Illyricum in Macedoniam esse. Ea res primo incredibilis visa, & pro se quisque credere, Carnis forsitan aut Istris bellum illatum. Tum Aquilejenses, nihil se ultra scire, nec audere affirmare, quam XXX. dierum frumentum militi datum: & duces, qui ex Italia itinera in Macedoniam nossent, conquisitos abductosque. Enimvero senatus indignari, tantum consulem ausum, ut suam provinciam relinqueret, in alienam transiret, exercitum novo periculoso itinere inter exteras gentes ducere, viam tot nationibus in Italiam aperire. Decernunt frequentes ut C. Sulpitius prætor tres ex senatu nominet legatos, qui eo die proficiscantur ex urbe, & quantum accelerare possent, Cassium COS. ubicunque sit, persequantur: nuntient, ne bellum cum ulla gente moveat, nisi cum qua senatus gerendum censuerat. Legati III. profecti, M. Cornelius Cethegus, M. Fulvius, P. Martinus Rex. Metus de consule atque exercitu distulit eo tempore muniendæ Aquilejæ curam.

CAPUT II.

Legati ex Hispania queruntur de nonnullis prætoribus, qui avare superbeque eam provinciam administraverant: duo accusati abeunt exulatum.

Hispaniæ deinde utriusque legati aliquot populorum in senatu introducti. Ii de magistratuum Romanorum avaritia superbiaque conquesti, nixi genibus ab senatu petierunt, ne se socios fœdius spoliari vexarique quam hostes patiantur. cum & alia indigna quererentur, manifestum autem esset pecunias captas, L. Canulejo prætori, qui Hispaniam sortitus erat, negotium datum est, ut in singulos, a quibus Hispani pecunias peterent, quinos recuperatores ex ordine senatorio

natorio daret, patronosque quos vellent sumendi potestatem faceret. Vocatis in curiam legatis, recitatum est S. C. jussique nominare patronos, quatuor nominaverunt, M. Portium Catonem, P. Cornelium Cn. F. Scipionem, L. Æmilium M. F. Paulum, C. Sulpitium Gallum. Cum M. Titinio primum, qui Prætor A. Manlio, M. Junio COSS. in citeriore Hispania fuerat, recuperatores sumserunt. Bis ampliatus, tertio absolutus est reus. Dissensio inter duarum provinciarum legatos est orta: citerioris Hispaniæ populi M. Catonem & Scipionem, ulterioris L. Paulum & Gallum Sulpitium patronos sumserunt. Ad recuperatores adducti a citerioribus populis P. Furius Philus, ab ulterioribus M. Matienus. Ille Sp. Postumio, Q. Mutio COSS. triennio ante, hic biennio prius L. Postumio, M. Popillio COSS. prætor fuerat. Gravissimis criminibus accusati ambo ampliatique, cum dicenda de integro caussa esset, excusati exilii caussa solum vertisse. Furius Præneste, Matienus Tibur exulatum abierunt. Fama erat, prohiberi a patronis nobiles ac potentes compellare: auxitque eam suspicionem Canuleius prætor, quod omissa ea re delectum habere instituit: dein repente in provinciam abiit, ne plures ab Hispanis vexarentur. Ita præteritis silentio obliteratis, in futurum consultum ab senatu Hispanis, quod impetrarunt ne frumenti æstimationem magistratus Romanus haberet, neve cogeret vicesimas vendere Hispanos quanti ipse vellet, ne præfecti in oppida sua ad pecunias cogendas imponerentur.

CAPUT III.

Petentibus ab senatu per legatos oppidum hominibus, qui in Hispania ex Romanis militibus, & mulieribus Hispanis nati fuerant, Carteja colonia, appellata libertinorum, deducitur.

ET alia novi generis hominum ex Hispania legatio venit. Ex militibus Romanis, & ex Hispanis mulieribus, cum quibus connubium non esset, natos se memorantes, supra quatuor millia hominum, orabant ut sibi oppidum in quo habitarent daretur. senatus decrevit, uti nomina sua apud L. Canulejum profiterentur: eorumque si quos manumisisset, eos Cartejam ad Oceanum deduci placere. Qui Cartejensium domi manere vellent, potestatem fore, ut in numero colonorum essent, agro assignato. Latinam eam coloniam fuisse, libertinorumque appellari.

CAPUT IV.

Gulussa regis Massanissæ filius de auxiliis a patre missis ad bellum Macedonicum senatum certiorem facit, simulque ut a Carthaginiensibus caveat, admonet.

EOdem tempore ex Africa & Gulussa Massanissæ regis filius legatus patris, & Carthaginienses venerunt. Gulussa prior in senatum introductus, & quæ missa erant ad bellum Macedonicum a patre suo, exposuit: & si qua prætera vellent imperare, præstaturum merito P. R. est pollicitus: & monuit Patres conscriptos, ut a fraude Carthaginiensium caverēt. Classis eos magnæ parandæ consilium cepisse, specie pro Romanis, & adversus Macedonas: ubi ea parata instructaque esset, ipsorum fore potestatis, quem hostem aut socium habeant.

CAPUT V.

* *

Hoc loco desiderantur comitia consularia, quibus A. Hostilius Mancinus, A. Attilius Serranus consules facti sunt. Hostilio Macedonia evenit. Atilio Italia. Item comitia prætoria cum sortitione provinciarum. Ad hæc vero desunt res a P. Licinio proconsule in Macedonia gestæ: qua de re sic in Epitoma: P. Licinius Crassus proconsul complures in Græcia urbes expugnavit, & crudeliter diripuit. Quanquam ex Livio videtur legendum; consul, non proconsul, quia ait paullo post: Quo crudelius, avariusque in Græcia bellatum & ab consule Licinio, & ab Lucretio prætore erat. Accedit, quod prorogatio imperii in P. Licinio non fuit necessaria, cum A. Hostilius consul hoc anno cum imperio in Macedoniam venerit, atque ibi hoc tempore esset Loquitur hic de quodam prætore, qui hostes sine sanguine domuit. Deinde qui a P. Licinio consule

in

in servitutem adducti erant, restitutos in libertatem exponit. Qua de re sic in Epitoma: „ ob id captivi, qui ab eo sub corona venierant, postea restituti sunt. Post autem, quæ a L. Hortensio prætore avare, & crudeliter in socios facta sint, exponit. De quibus sic in Epitoma: Item „ a præfectis classium Romanorum multa „ impotenter in socios facta.

4

U. C. 580. tantum pavorem ingressi castra ostentantes capita fecerunt, ut, si admotus extemplo exercitus foret, capi castra potuerint. Tum quoque fuga ingens facta est: & erant qui legatos mittendos ad pacem precibus petendam, censerent: civitatesque complures eo nuntio audito in deditionem venerunt. Quibus purgantibus sese, culpamque in duorum amentiam conferentibus, qui se ultro ad pœnam ipsi obtulissent, cum veniam dedisset prætor: profectus extemplo ad alias civitates, omnibus imperata facientibus, quieto exercitu pacatum agrum, qui paullo ante ingenti tumultu arserat, peragravit. Hæc lenitas prætoris, qua sine sanguine ferocissimam gentem domuerat, eo gratior plebi patribusque fuit, quo crudelius avariusque in Græcia bellatum & ab consule Licinio, & ab Lucretio prætore erat. Lucretium tribuni plebis absentem contionibus assiduis lacerabant, cum Reip. caussa abesse excusaretur: sed tum adeo vicina etiam inexplorata erant, ut is eo tempore in agro suo Antiati esset, aquamque ex manubiis Antium ex flumine Loracinæ duceret. Id opus centum triginta millibus æris locasse dicitur. tabulis quoque pictis ex præda fanum Æsculapii exornavit. Invidiam infamiamque ab Lucretio averterunt in Hortensium successorem ejus Abderitæ legati, flentes ante curiam, querentesq; *oppidum suum ab Hortensio expugnatum ac direptum esse. Caussam excidii fuisse urbi, quod cum centum millia denarium, & tritici quinquaginta millia modium imperaret, spatium petierunt, quo de ea re & ad Hostilium consulem & Romam mitterent legatos. vix dum ad consulem se pervenisse, & audisse oppidum expugnatum, principes securi percussos, sub corona ceteros venisse.* Indigna senatui visa. decreveruntque eadem de Abderitis, quæ de Coronæis decreverant

rant priore anno: eademque pro concione edicere Q. Mænium prætorem jusserunt. Et legati duo, C. Sempronius Blæsus, Sex. Julius Cæsar, ad restituendos in libertatem Abderitas missi. Iisdem mandatum, ut & Hostilio consuli, & Hortensio prætori nuntiarent, senatum, Abderitis injustum bellum illatum, conquirique omnes qui in servitute sint, & restitui in libertatem, æquum censere.

CAPUT VI.

Legati regis Gallorum Cincibilis; simulque Carnorum, Istrorumque, & Japudum de C. Cassio consule queruntur: his senatus benigne respondet.

7. EOdem tempore de C. Cassio, qui COS. priore anno fuerat, tum Trib. militum in Macedonia cum A. Hostilio erat, querelæ ad senatum delatæ sunt, & legati regis Gallorum Cincibili venerunt. Frater ejus verba in senatu fecit, questus Alpinorum populorum agros, sociorum suorum, depopulatum C. Cassium esse, & inde multa millia hominum in servitutem abripuisse. Sub id tempus Carnorum Istrorumque & Japudum legati venerunt, *duces sibi ab consule Cassio primum imperatos, qui in Macedoniam ducenti exercitum iter monstrarent, pacatum ab se tanquam ad aliud bellum gerendum abisse: inde ex medio regressum itinere, hostiliter peragrasse fines suos: passim rapinasque & incendia facta: nec se ad id locorum scire, propter quam caussam consuli pro hostibus fuerint.* Et regulo Gallorum absenti, & his populis responsum est: *senatum ea quæ facta querantur, neque scisse futura, neque, si sint facta, probare: sed indicta caussa damnari absentem consularem virum injurium esse, cum is Reipub. caussa absit. Ubi ex Macedonia redisset C. Cassius, tum si coram eum arguere vellent, cognita re senatum daturum operam uti satisfiat.* Nec responderi tantum iis gentibus, sed legatos mitti, duos ad regulum trans alpes, tres circa eos populos placuit: qui indicarent, quæ patrum sententia esset. Munera mitti legatis ex binis millibus æris censuerunt: duobus fratribus regulis hæc præcipua, torques duo ex quinque pondo auri facti, & vasa argentea quinque & viginti pondo, & duo equi phalerati cum agasonibus, & equestria arma ac sagula, & comitibus eorum vestimenta liberis servisque. Hæc missa, illa petentibus data, ut denorum equorum iis commercium esset, educendique ex Italia potestas fieret. legati cum Gallis missi trans Alpes, C. Lælius, M. Æmilius Lepidus: ad cæteros populos C. Sicinius, P. Cornelius Blasio, T. Memmius.

CAPUT VII.

Romam venientes ex Græcia, Asia, atque Africa sociorum legati, alii, jam ad bellum Macedonicum civitates suas præbuisse auxilia, alii præbere paratas esse, in senatu exponunt: comiter, benigneque acceptis omnibus, soli Cretenses, quod eorum multa millia in Persei exercitu sint, ut non certi socii dimittuntur.

MUltarum simul Græciæ Asiæque civitatum legati Romam convenerunt. Primi Athenienses introducti: ii, *se, quod navium habuerint militumque, P. Licinio consuli, & C. Lucretio prætori misisse* exposuerunt, *quibus eos non usos, frumenti sibi centum millia imperasse. quod, quanquam sterilem terram arent, ipsosque etiam agrestes peregrino frumento alerent, tamen, ne deessent officio, confecisse: & alia quæ imperarentur, præstare paratos esse.* Milesii nihil præstitisse memorantes, siquid imperare ad bellum senatus vellet, præstare se paratos esse polliciti sunt. Alabandenses *templum urbis Romæ se fecisse commemoraverunt, ludosque anniversarios ei divæ instituisse: & coronam auream quinquaginta pondo, quam in Capitolio ponerent, donum Jovi Opt. max. attulisse: & scuta equestria CCC. ea cui jussissent tradituros. Donum ut in Capitolio ponere & sacrificare liceret* petebant. Hoc Lampsaceni LXXX. pondo coronam afferentes petebant, commemorantes, *discessisse se a Perseo, postquam Romanus exercitus in Macedoniam venisset, cum sub ditione Persei, & ante Philippi fuissent. Pro eo, & quod imperatoribus Romanis omnia præstitissent, id se tantum orare, ut in amicitiam populi Romani reciperentur, &, si pax cum Perseo fieret, exciperentur, ne in regiam potestatem reciperentur.* Cæteris legatis comiter responsum. Lampsacenos in sociorum formulam referre Q. Mœnius prætor jussus. munera omnibus in singulos binum millium æris data. Alabandenses scuta reportare ad A. Hostilium consulem in Macedoniam jussi. Et ex Africa legati simul Carthaginiensium, *tritici decies centum millia & hordei quingenta* indicantes *se ad mare devecta habere, ut, quo senatus censuisset, deportarent. Id munus officiumque suum scire minus esse, quam pro meritis populi Romani, & voluntate sua: sed sæpe alias bonis in rebus utriusque populi se gratorum fideliumque sociorum muneribus functos esse.* Item Massanissæ legati tritici eandem summam polliciti, & mille & CC. equites, XII. elephantos, & si quid aliud opus esset, uti imperaret senatus: æque propenso animo, ac quæ

quæ ipse ultro pollicitus sit, præstaturum esse. Gratiæ & Carthaginiensibus, & regi actæ, rogatique ut ea quæ pollicerentur, ad Hostilium consulem in Macedoniam deportarent. Legatis in singulos binum millium æris munera missa. Cretensium legatis commemorantibus se quantum sibi imperatum a P. Licinio COS. esset, sagittariorum in Macedoniam misisse: cum interrogati non inficiarentur, *apud Persea majorem numerum sagittariorum, quam apud Romanos militare*: responsum est, *si Cretenses bene & gnaviter destinarent potiorem popul. Rom. quam regis Persei amicitiam habere, senatum quoque Romanum iis tanquam certis sociis responsum daturum esse. interea nuntiarent suis, placere senatui, dare operam Cretenses, ut quos milites intra præsidia regis Persei haberent, eos primo quoque tempore domum revocarent.*

CAPUT VIII.

Chalcidenses legati de crudelitate C. Lucretii, qui prætor in Græcia fuerat, & de L. Hortensio, qui nunc ibi prætor est, queruntur in senatu: C. Lucretius Romæ a tribunis plebis accusatus, damnatur.

Cretensibus cum hoc responso dimissis, Chalcidenses vocati: quorum legatio ipso introitu, ob id quod Mictio princeps eorum pedibus captus lectica est introlatus, ultimæ necessitatis extemplo visa res in qua ita affecto excusatio valetudinis aut ne ipsi quidem petenda visa foret, aut data petenti non esset. Cum sibi nihil vivi reliquum, præterquam linguam ad deplorandas patriæ suæ calamitates, præfatus esset, exposuit *civitatis primum suæ benefacta & vetera, & ea quæ Persei bello præstitissent ducibus exercitibusque Romanis: tum quæ primo C. Lucretius in populares suos prætor Romanus superbe, avare, crudeliter fecisset: deinde quæ tum cum maxime L. Hortensius faceret. Quemadmodum omnia sibi, etiam iis quæ patiantur, tristiora, patienda esse ducant, potius quam se dedant Persi. quod ad Lucretium Hortensiumque attineret, scire, tutius fuisse claudere portas, quam in urbem eos accipere. Quæ exclusissent eos, Emathiam, Amphipolim, Maroneam, Aenum, incolumes esse: apud se templa omnibus ornamentis compilata, spoliataque sacrilegiis C. Lucretium navibus Antium devexisse: libera corpora in servitutem abrepta, fortunas sociorum P. R. direptas esse, & quotidie diripi. Nam ex instituto C. Lucretii Hortensium quoque in tectis hieme pariter atque æstate navales socios habere, & domos suas plenas turba nautica esse: versari inter se conjuges, liberosque suos, quibus*

bus nihil neque dicere pensi, 10 *neque facere.* Accersere in senatum Lucretium placuit, ut disceptaret coram, purgaretque sese. Cæterum multo plura præsens audivit, quam in absentem jacta erant: & graviores potentioresque accessere accusatores duo Tribuni plebis, M. Juventius Thalna, & Cn. Aufidius. Ii non in senatu modo eum lacerarunt, sed in concionem etiam pertracto multis objectis probris diem dixerunt. Senatus jussu Chalcidensibus Q. Mænius prætor respondit: *quæ bene meritos sese, & ante, & in eo bello quod geratur, de populo Romano dicant, ea & scire vera eos referre senatum, & perinde ac debeant grata esse. Quæ facta a C. Lucretio, fierique ab L. Hortensio Prætoribus Romanis querantur, ea neque facta, neque fieri voluntate senatus, quem non posse existimare, qui sciat bellum Persi, & ante Philippo patri ejus intulisse P. R. pro libertate Græciæ, non ut ea a magistratibus sociis atque amicis paterentur? Literas se ad L. Hortensium prætorem daturos esse: quæ Chalcidenses querantur acta, ea senatui non placere. Si qui in servitutem liberi venissent, ut eos conquirendos primo quoque tempore restituendosque in libertatem curaret. Sociorum navalium neminem præter magistros in hospitia deduci æquum censere.* Hæc Hortensio jussu senatus scripta. Munera binum millium æris legatis missa, & vehicula Mictioni publice locata, quæ eum Brundusium commode perveherent. C. Lucretium, ubi dies, quæ dicta erat, venit, tribuni ad populum accusarunt, mulctamque decies centum millium æris dixerunt. Comitiis habitis omnes quinque & XXX. tribus eum condemnarunt.

CAPUT IX.

Propter suspectum Illyriorum regem Gentium navales copiæ instruuntur: Ap. Claudius, qui in Illyricum missus fuerat, transgressus in Macedoniam dolo ab hostibus capitur, & afficitur clade: hac Romam nuntiata, mittuntur in Macedoniam Legati ad res inspiciendas, simulque placet novos magistratus subrogari. habitis comitiis, consules, prætoresque creantur: novi COSS. sunt Q. Martius Philippus, & Cn. Servilius Cæpio.

IN Liguribus eo anno nihil memorabile gestum. 11 Nam nec hostes moverunt arma, neque consul in agrum eorum legiones induxit: & satis explorata pace ejus anni, milites duarum legionum Romanarum intra dies LX., quam in provinciam venit, dimisit. sociorum nominis Latini exercitu mature in hiberna Lunam & Pisas deducto, ipse cum equitibus Gal-

Galliæ provinciæ pleraque oppida adiit. Nusquam alibi quam in Macedonia bellum erat: suspectum tamen & Gentium Illyriorum regem habebant. itaque & octo naves ornatas a Brundusio senatus censuit mittendas ad C. Furium legatum Issam, qui cum præsidio duarum Issensium navium insulæ præerat. duo millia militum in eas naves sunt imposita, quæ Q. Mænius prætor ex S. C. in ea parte Italiæ, quæ objecta Illyrico est, conscripsit. & COS. Hostilius Ap. Claudium in Illyricum cum quatuor millibus peditum misit, ut accolas Illyrici tutarentur: qui non contentus iis quas adduxerat copiis, auxilia ab sociis corrogando, ad VII. millia hominum vario genere armavit: peragrataque omni ea regione ad Lychnidum Dassaretiorum consedit. 12 Haud procul inde Uscana oppidum finium plerumque Persei erat. X. millia civium habebat, & modicum custodiæ caussa Cretensium præsidium. Inde nuntii ad Claudium occulti veniebant: *si propius copias admovisset, paratos fore qui proderent urbem: & operæ pretium esse: non se amicosque tantum, sed etiam milites præda expleturum.* Spes cupiditati admota ita occæcavit animum, ut nec ex iis qui venerant, quenquam retineret, nec obsides pignus futuros furto & fraude agendæ rei posceret, nec mitteret exploratum, nec fidem acciperet. die tantum statura profectus a Lychnido, duodecim millia ab urbe, ad quam tendebat, posuit castra. Quarta inde vigilia signa movit: mille ferme ad præsidium castrorum relictis, incompositi longo agmine effusi, infrequentes, cum nocturnus error dissiparet, ad urbem pervenerunt. Crevit negligentia; postquam neminem armatum in muris viderunt. Cæterum ubi primum sub jactu teli fuerunt, duabus simul portis erumpitur: & ad clamorem erumpentium ingens strepitus e muris ortus, ululantium mulierum cum crepitu undique æris, & incondita multitudo, turba immixta servili, variis vocibus personabat. Hic tam multiplex undique objectus terror effecit, ne sustinere primam procellam eruptionis Romani possent. Itaque fugientes plures, quam pugnantes interemti sunt: vix duo millia hominum cum ipso legato in castra perfugerunt. Quo longius iter in castra erat, eo plures fessos consectandi hostibus copia fuit. Ne moratus quidem in castris Appius, ut suos dissipatos fuga colligeret: quæ res palatis per agros saluti fuisset:

ſet: ad Lychnidum protinus reliquias cladis reduxit. Hæc & alia haud proſpere in Macedonia geſta, ex Sexto Digitio tribuno militum, qui ſacrificii cauſſa Romam venerat, ſunt audita. Propter quæ veriti Patres ne quæ major ignominia acciperetur, legatos in Macedoniam, M. Fulvium Flaccum, & M. Caninium Rebilum miſerunt, qui comperta quæ agerentur referrent: & ut A. Hoſtilius COS. comitia conſulibus ſubrogandis ita ediceret, ut menſe Januario comitia haberi poſſent, & ut primo quoque tempore in urbem rediret. Interim M. Recio prætori mandatum, ut edicto ſenatores omnes ex tota Italia, niſi qui reipublicæ cauſſa abeſſent, Romam revocaret, qui Romæ eſſent, ne quis ultra mille paſſuum ab Roma abeſſet. Ea uti ſenatus cenſuit, ſunt facta. Comitia conſularia ad V. Kalend. Septemb. fuere. Creati COSS. ſunt Q. Martius Philippus iterum, & Cn. Servilius Cæpio. Poſt diem tertium prætores ſunt facti, C. Decimius, M. Claudius Marcellus, C. Sulpitius Gallus, C. Martius Figulus, Ser. Cornelius Lentulus, P. Fontejus Capito. Deſignatis prætoribus, præter duas urbanas, quatuor provinciæ ſunt decretæ, Hiſpania, & Sardinia, & Sicilia, & claſſis.

CAPUT X.

De ſtatu rerum in Macedonia ab Legatis inde reverſis certior factus ſenatus, deſtinat novis conſulibus provinciam Italiam, & Macedoniam; moriuntur nonnulli Sacerdotes.

Legati ex Macedonia exacto admodũ menſe Februario redierunt. Hi, *quas res ea æſtate proſpere geſſiſſet rex Perſeus*, referebant: *quantuſque timor ſocios P. R. cepiſſet, tot urbibus in poteſtatem regis redactis. Exercitum conſulis infrequentem commeatibus vulgo datis per ambitionem eſſe: culpam ejus rei conſulem in tribunos militum, contra illos in conſulem conferre.* Ignominiam Claudii temeritate acceptam elevare eos Patres acceperunt, qui perpaucos Italici generis, & magna ex parte tumultuario delectu conſcriptos ibi milites amiſſos referebant. Conſules deſignati, ubi primum magiſtratum iniſſent, de Macedonia referre ad ſenatum juſſi: deſtinatæque provinciæ iis ſunt Italia & Macedonia. Hoc anno intercalatum eſt: tertio die poſt Terminalia Kalendæ intercalares fuere. Sacerdotes intra eum annum mortui: L. Flaminius augur, pontifices duo deceſſerunt, L. Furius Philus, & C. Livius Salinator. In locum Furii T. Manlium Torquatum, in Livii M. Servilium pontifices legerunt.

CAPUT XI.

Novi consules primum omnium de provinciis ad senatum referunt: militum supplementum, maxime ad bellum Macedonicum, senatus decernit.

14. U. C. 581 PRincipio insequentis anni cum COSS. novi Q. Martius & Cn. Servilius de provinciis retulissent, primo quoque tempore aut comparare eos inter se Italiam & Macedoniam, aut sortiri placuit, priusquam id sors cerneret, in incertum, ne quid gratia momenti faceret, in utramque provinciam, quod res desideraret supplementi, decerni. In Macedoniam peditum Romanorum sex millia, sociorum nominis Latini sex millia: equites Romanos CCL. socios CCC. veteres milites dimitti, ita ut in singulas Romanas legiones ne plus sena millia peditum, CCC. equites essent. Alteri Cos. nullus certus finitus numerus civium Romanorum, quem in supplementum legeret: id modo finitum, ut duas legiones scriberet, quæ quina millia peditum & ducenos haberent, equites trecenos. Peditum Latinorum major quam collegæ decretus numerus: peditum X. millia, & DC. equites. quatuor præterea legiones scribi jussæ, quæ, si quo opus esset, educerentur. Tribunos milit. non permissum ut consules facerent, populus creavit. Sociis nominis Latini XVI. millia peditum, & mille equites imperati. Hunc exercitum parari tantum placuit, ut exiret, si quo res posceret. Macedonia maxime curam præbebat. in classem mille socii navales cives Romani, libertini ordinis ex Italia scribi jussi: totidem ut ex Sicilia scriberentur: & cui ea provincia evenisset, mandatum ut eos in Macedoniam, ubicunque classis esset, deportandos curaret. In Hispaniam tria millia peditum Romanorum in supplementum, CCC. equites decreti. Finitus ibi quoque in legiones militum numerus, peditum quina millia, treceni & triginta equites. Et sociis imperare prætor, cui Hispania obvenisset, jussus quatuor millia peditum, & CCC. equites.

CAPUT XII.

Prodigia, & eorum procuratio.

15. NOn sum nescius, ab eadem negligentia, qua nihil deos portendere vulgo nunc credant, neque nuntiari admodum nulla prodigia in publicum, neque in annales referri. cæterum & mihi vetustas res scribenti, nescio quo pacto, antiquus * fit animus: & quædam religio tenet, quæ illi prudentissimi viri publice suscipienda censuerint, ea pro dignis habere,

* al. fit.

bere,

bere, quæ in meos annales referam. Anagnia duo prodigia eo anno sunt nuntiata: facem in cœlo conspectam: & bovem feminam locutam publice ali. Minturnis quoque per eos dies cœli ardentis species affulserat. Reate imbri lapidavit. Cumis in arce Apollo triduum ac tres noctes lacrymavit. in urbe Romana duo æditui nuntiarunt; alter in æde Fortunæ anguem jubatum a compluribus visum esse: alter in æde Primigeniæ fortunæ, quæ in colle est, duo diversa prodigia, palmam in area enatam, & sanguine interdiu pluisse. Duo non suscepta prodigia sunt, alterum quod in privato loco factum esset: palmam enatam impluvio suo T. Martius Figulus nuntiabat: alterum, quod in loco peregrino, Fragellis in domo L. Atrei hasta, quam filio militi emerat, interdiu plus duas horas arsisse, ita ut nihil ejus ambureret ignis, dicebatur. Publicorum prodigiorum caussa libri a decemviris aditi, XL. majoribus hostiis quibus diis consules sacrificarent. & addiderant uti supplicatio fieret, cunctique magistratus circa omnia pulvinaria victimis majoribus sacrificarent, populusque coronatus esset. Omnia, uti decemviri præierunt, facta.

CAPUT XIII.

Creantur censores C. Claudius Pulcher, Tib. Sempronius Gracchus: cum esset difficilis consulibus delectus, id negotium prætoribus mandatur: quod ut perficiatur, censores edicto promulgato adjuvant.

Censoribus deinde creandis comitia edicta sunt. Petierunt censuram principes civitatis C. Valerius Lævinus, L. Postumius Albinus, P. Mutius Scævola, M. Junius Brutus, C. Claudius Pulcher, Tib. Sempronius Gracchus. Hos duos censores creavit populus Romanus. Cum delectus habendi major, quam alias propter Macedonicum bellum cura esset, Coss. plebem apud senatum accusabant, quod & juniores non responderent: adversus quos C. Sulpitius, & M. Claudius tribuni plebis caussam egerunt. *Non consulibus, sed ambitiosis consulibus delectum difficilem esse: neminem invitum militem ab iis fieri. Id ita ut esse scirent & Patres conscripti: prætores, quibus & vis imperii minor & auctoritas esset, delectum, si ita senatui videretur, perfecturos esse.* Id prætoribus magna patrum consensione non sine suggillatione consulum mandatum est. Censores ut eam rem adjuvarent, ita in concione edixerunt: *legem censui censendo dicturos esse, ut præter*

commune omnium civium jusjurandum hæc adjurarent: Tu minor annis sex & quadraginta es, tuque ex edicto C. Claudii, Tib. Sempronii censorum ad delectum prodito: & quotiescunque delectus erit, quem hic censores magistratum habebunt, si miles factus non eris, in delectum prodibis. Item quia fama erat, multos ex Macedonicis legionibus, incertis commeatibus per ambitionem imperatorum ab exercitu abesse, edixerunt de militibus P. Ælio, C. Popillio Coss. postque eos Coss. in Macedoniam scriptis, ut qui eorum in Italia essent, intra dies XXX. censi prius apud sese, in provinciam redirent. qui in patris aut avi potestate essent, eorum nomina ad se ederentur. Missorum quoque caussas sese cognituros esse: & quorum ante emerita stipendia gratiosa missio sibi visa esset, eos milites fieri jussuros. Hoc edicto literisque censorum per fora & conciliabula dimissis, tanta multitudo juniorum Romam convenit, ut gravis urbi 37 turba insolita esset. Præter delectum eorum, quos in supplementum mitti oportebat, quatuor a C. Sulpitio Prætore scriptæ legiones sunt, intraque undecim dies delectus est perfectus.

CAPUT XIV.

Consulum, Prætorumque provinciæ.

Consules deinde sortiti provincias sunt: nam prætores propter jurisdictionem maturius sortiti erant. Urbana C. Sulpitio, peregrina C. Decimio obtigerat. Hispaniam M. Claudius Marcellus, Siciliam Ser. Cornelius Lentulus, Sardiniam P. Fontejus Capito, classem C. Martius Figulus erat sortitus. consulum Cn. Servilio Italia, Q. Martio Macedonia obvenit: Latinisque actis Martius extemplo est profectus. Cæpione deinde referente ad senatum, quas ex novis legionibus duas legiones secum in Galliam duceret, decrevere Patres, ut C. Sulpitius, M. Claudius prætores ex his, quas scripsissent, legionibus, quas videretur, consuli darent. Indigne * patiente prætorum arbitrio consulem subjectum, dimisso senatu, ad tribunal prætorum stans postulavit, ex S. C. destinarent sibi duas legiones. Prætores consuli se in eligendo arbitrium fecerunt.

* al. Grō. patiēs consul

CAPUT XV.

Censura C. Claudii Pulchri, & Tib. Sempronii Gracchi, ipsorum maxime censorum periculo memorabilis.

Senatum deinde censores legerunt: M. Æmilius Lepidus princeps ab ter-

tertiis jam censoribus lectus. Septem e senatu ejecti sunt. In censu accipiendo populi, milites ex Macedonico exercitu, qui quam multi abessent ab signis, census docuit, in provinciam cogebant: caussas stipendiis missorum cognoscebant, & cujus nondum justa missio visa esset, ita jusjurandum adigebant. *Ex tui animi sententia tu ex edicto C. Claudii, Tib. Sempronii censorum in provinciam Macedoniam redibis, quod sine dolo malo facere poteris.* In equitibus recensendis tristis admodum eorum atque aspera censura fuit. Multis equos ademerunt. in ea re cum equestrem ordinem offendissent, flammam invidiæ adjecere edicto, quo edixerunt, *ne quis eorum, qui Q. Fulvio, A. Postumio censoribus publica vectigalia aut ultro tributa conduxissent, ad hastam suam accederet, sociusve aut affinis ejus conductionis esset.* Sæpe id querendo veteres publicani cum impetrare nequissent ab senatu, ut modum potestati censoriæ imponerent, tandem tribunum plebis P. Rutilium ex rei privatæ contentione iratum censoribus, patronum caussæ nacti sunt. Clientem libertinum parietem in Sacra via adversus ædes publicas demoliri jusserunt, quod publico inædificatus esset. appellati a privato tribuni, cum præter Rutilium nemo intercederet, censores ad pignora capienda miserunt, mulctamque pro concione privato dixerunt. Hinc contentione orta, cum veteres publicani se ad tribunum contulissent, rogatio repente sub unius tribuni nomine promulgatur. *Quæ publica vectigalia, ultro tributa, C. Claudius, & Tib. Sempronius locassent, ea rata locatio ne esset: de integro locarentur, & ut omnibus redimendi & conducendi promiscue jus esset.* Diem ad ejus rogationem concilio tribunus plebis dixit. Qui postquam venit, ut censores ad dissuadendum processerunt, Graccho dicente silentium fuit. cum Claudio obstreperetur, audientiam facere præcones jussit. Eo facto avocatam a se concionem tribunus questus, & in ordinem se coactum, ex Capitolio, ubi erat Concilium, abiit. Postero die ingentes tumultus ciere. Tib. Gracchi primum bona consecravit, quod in mulcta pignoribusque ejus, qui tribunum appellasset, intercessioni non parendo, se in ordinem coegisset. C. Claudio diem dixit, quod concionem ab se avocasset; & utrique censori perduellionem se judicare pronuntiavit, diemque comitiis a C. Sulpitio prætore urbano petiit. Non recusantibus censoribus, quo minus

nus primo quoque tempore judicium de se populus faceret, in ante dies octo & VII. Kal. Octob. comitiis perduellionis dicta dies. Censores extemplo in atrium Libertatis ascenderunt, & ibi signatis tabellis publicis, clausoque tabulario, & dimissis servis publicis, negarunt se prius quidquam publici negotii gesturos, quam judicium populi de se factum esset. Prior Claudius caussam dixit: & cum ex * XII. centuriis equitum octo censorem condemnassent, multæque aliæ primæ classis, extemplo principes civitatis in conspectu populi annulis aureis positis vestem mutarunt, ut supplices plebem circumirent. Maxime tamen sententiam vertisse dicitur Tib. Gracchus, quod cum clamor undique plebis esset, periculum Graccho non esse, conceptis verbis juravit, si collega damnatus esset, non expectato de se judicio, comitem exilii ejus futurum. Adeo tamen ad extremum spei venit reus, ut octo centuriæ ad damnationem defuerint. Absoluto Claudio tribunus plebis negavit se Gracchum morari.

* al. xviii.

CAPUT XVI.

Petentibus Aquilejensium legatis, numerus colonorum ibi augetur: legati missi ex Macedonia in Græciam ab A. Hostilio, prioris anni consule, socias civitates adeunt.

EO anno postulantibus a senatu Aquilejensium legatis ut numerum colonorum augeret, M. & D. familiæ ex S. C. scriptæ: triumvirique, qui eas deducerent, missi sunt, T. Annius Luscus, P. Decius Subulo, M. Cornelius Cethegus. eodem anno C. Popillius & Cn. Octavius legati, qui in Græciam missi erant, S. C. Thebis primum recitatum per omnes Peloponnesi urbes circumtulerunt, *ne qui ullam rem in bellum magistratibus Romanis conferret, præterquam quod senatus censuisset.* Hoc fiduciam in posterum quoque præbuerat, levatos se oneribus impensisque, quibus alia aliis imperantibus exhauriebantur. Achaico concilio Argis agitato benigne locuti auditique, egregia spe futuri status fidissima gente relicta, in Ætoliam trajecerunt. Ibi nondum quidem seditio erat, sed omnia suspecta, criminumque inter ipsos plena. ob quæ obsidibus postulatis, neque exitu rei imposito, in Acarnaniam inde profecti legati sunt. Thyrii concilium legatis Acarnanes

19.

nes dederunt. Ibi quoque inter factiones erat certamen. quidam principum postulare, ut præsidia in urbes suas inducerentur, adversus amentiam eorum, qui ad * Macedonicam gentem trahebant: pars recusare, ne quod bello captis & hostibus mos esset, id pacatæ & sociæ civitates ignominiæ acciperent. Justa deprecatio hæc visa. Larissam ad Hostilium proconsulem, ab eo enim missi erant, legati redierunt. Octavium retinuit secum, Popillium cum M. ferme militibus in hiberna Ambraciam misit.

*al. Macedonas.

CAPUT XVII.

Prospere Persei regis expeditiones in Illyrios proximos Macedoniæ.

20 Perseus principio hiemis egredi Macedoniæ finibus non ausus, ne qua in regnum vacuum irrumperent Romani sub tempus brumæ, cum inexsuperabiles ab Thessalia montes nivis altitudo facit, occasionem esse ratus frangendi finitimorum spes animosque, nequid averso se in Romanum bellum periculi subesset: cum a Thracia pacem Cotys, ab Epiro Cephalus repentina defectione a Romanis præstarent, Dardanos recens domuisset bello: solum infestum esse Macedoniæ latus, quod ab Illyrico pateret, cernens, neque ipsis quietis Illyriis, & aditum præbentibus Romanis, si domuisset proximos Illyriorum, Gentium quoque regem jamdiu dubium in societatem perlici posse: cum decem millibus peditum, quorum pars phalangitæ erant, & duobus millibus levium armatorum, & quingentis equitibus profectus Stuberam venit. Inde frumento complurium dierum sumto, jussoque apparatu oppugnandarum urbium sequi, tertio die ad Uscanam (Penestianæ terræ ea maxima urbs est) posuit castra: prius tamen, quam vim admoveret, missis qui tentarent nunc præfectorum præsidii, nunc oppidanorum animos: (erat autem ibi cum juventute Illyriorum Romanum præsidium) postquam nihil pacati referebant, oppugnare est adortus, & corona eam capere conatus est. Cum sine intermissione interdiu noctuque alii aliis succedentes, pars scalas muris, ignem portis inferrent, sustinebant tamen eam tempestatem propugnatores urbis: quia spes erat, neque hiemis vim diutius pati Macedonas in aperto posse, nec ab Romano bello tantum regi laxamenti fore, ut posset morari. Cæterum postquam vineas agi, turresque excitari viderunt, victa pertinacia est. Nam præterquam quod adversus vim pares non erant, ne frumenti

quidem aut ullius alterius rei copia intus erat, ut in nec opinata obsidione. Itaque cum spei nihil ad resistendum esset, C. Carvilius Spoletinus, & C. Afranius a præsidio Romano missi, qui a Perseo peterent, primo ut armatos suaque secum ferentes abire sineret: dein, si id minus impetrarent, vitæ tantum libertatisque fidem acciperent. Promissum id benignius est ab rege, quam præstitum: exire enim sua secum efferentibus jussis, primum arma ademit. His urbe egressis, & Illyriorum cohors (quingenti erant) & Uscanenses se urbemque

21 dediderunt. Perseus, præsidio Uscanæ imposito, multitudinem omnem deditorum, quæ prope numero exercitum æquabat, Stuberam abducit. Ibi Romanis (quatuor M. autem hominum erant) præter principes, in custodiam civitatum divisis, Uscanensibus Illyriisque venditis, in Penestiam exercitum reducit, ad Oæneum oppidum in potestatem redigendum, & alioqui opportune situm: & transitus ea est in Labeates, ubi Gentius regnabat. Prætereunti frequens castellum, Draudacum nomine, peritorum quidam regionis ejus, nihil Oæneo capto opus esse ait, nisi in potestate & Draudacum sit: opportunius etiam ad omnia positum esse. Admoto exercitu omnes extemplo dediderunt sese. Qua spe celeriore deditione erectus, postquam animadvertit quantus agminis sui terror esset, undecim alia castella eodem metu in potestatem redigit. Ad perpauca vi opus fuit: cætera voluntate dedita, & in his recepti M. & D. dispositi per præsidia milites Rom. Magno usui Carvilius Spoletinus erat in colloquiis, dicendo nihil in ipsos sævitum. Ad Oæneum perventum est, quod sine justa oppugnatione capi non poterat: & majore aliquanto quam cætera juventute, & validum oppidum mœnibus erat: & hinc amnis Artatus nomine, hinc mons præaltus & aditu difficilis cingebat. Hæc spem ad resistendum oppidanis dabant. Perseus, circumvallato oppido, aggerem a parte superiore ducere instituit, cujus altitudine muros superaret. Quod opus dum perficitur, crebris interim præliis, quibus per excursiones & mœnia sua oppidani tutabantur, & opera hostium impediebant, magna eorum multitudo variis casibus absumta est: & qui supererant, labore diurno nocturnoque & vulneribus inutiles erant. Ubi primum agger injunctus muro est, & cohors regia, quos Nicatoras appellant, transcendit: & scalis multis

simul partibus impetus in urbem est factus: puberes omnes interfecti sunt: conjuges liberosque eorum in custodiam dedit: prædæ alia militum cessere.

CAPUT XVIII.

Perseus Illyriorum regem Gentium tentat per legatos in societatem pellicere.

Stuberam inde victor revertens ad Gentium legatos, Pleuratum Illyrium exulantem apud se, & * Aputeum Macedonem a Beroea mittit. Iis mandat, ut exponerent æstatis ejus hiemisque acta sua adversus Romanos Dardanosque: adjicerent recentia in Illyrico hibernæ expeditionis opera: hortarentur Gentium in amicitiam secum & cum Macedonibus jungendam. Hi transgressi jugum Scordi montis per Illyrici solitudines, quas de industria populando Macedones fecerant, ne transitus faciles Dardanis in Illyricum aut Macedoniam essent, Scodram labore ingenti tandem pervenerunt. Lissi rex gentius erat, eo acciti legati mandata exponentes benigne auditi sunt. Qui responsum sine effectu tulerunt, *voluntatem sibi non deesse ad bellandum cum Romanis: cæterum ad conandum id quod velit, pecuniam maxime deesse.* Hæc Stuberam retulere regi, tum maxime captivos ex Illyrico vendenti. Extemplo iidem legati addito Glaucia ex numero custodum corporis, remittuntur, sine mentione pecuniæ, qua una barbarus inops impelli ad bellum poterat. Ancyram inde populatus Perseus, in Penestas rursum exercitum reducit: firmatisque Uscanæ, & circa eam per omnia castella quæ receperat, præsidiis, in Macedoniam sese recipit.

* al. Adæum.

22

CAPUT XIX.

Uscanam a Perseo rege occupatam frustra tentat recipere L. Cœlius legatus, Illyrii præses: a Penestis, & Partinis obsides exigit. Ap. Claudius Phanotem castellum in Epiro nequicquam oppugnat.

L. Cœlius, legatus Romanus, præerat Illyrico: qui moveri non ausus, cum in iis locis rex esset, post profectionem demum ejus conatus in Penestis Uscanam recipere, a præsidio, quod ibi Macedonum erat, cum multis vulneribus repulsus Lychnidum copias reduxit. Inde post dies paucos M. Trebellium Eregellanum cum satis valida manu in Penestas misit, ad obsides ab his urbibus, quæ in amicitia cum fide permanserant, accipiendos. Procedere etiam in Partinos (ii quoque obsides dare pepigerant) jussit: ab utraque gente sine tumultu exigi. Penestarum obsides Apolloniam, Partinorum Dyrrhachium (tum Epi-

23

damni

damni magis celebre nomen Græcis erat) missi. Ap. Claudius acceptam in Illyrico ignominiam corrigere cupiens, Phanotem Epiri castellum adortus oppugnare, & auxilia Athamanum Thesprotorumque præter Romanum exercitum ad sex M. hominum secum adduxit: neque operæ pretium fecit, Cleva, qui relictus a Perseo erat cum valido præsidio, defendente.

CAPUT XX.

Rex Perseus Stratum recipiendi caussa in Ætoliam vocatus venit: Stratii, mutato consilio, accedenti regi portas occludunt. ille abiens ab Aperantiis accipitur: inde in Macedoniam revertitur.

ET Perseus in Elimeam profectus: & circa eam exercitu lustrato, ad Stratum vocantibus Epirotis ducit. Stratus validissima tum urbs Ætoliæ erat. Sita est super Ambracium sinum, prope amnem Acheloum. Cum decem M. peditum eo profectus est, & equitibus CCC., quos pauciores propter angustias viarum & asperitatem duxit. Tertio die cum pervenisset ad Citium montem, vix transgressus propter altitudinem nivis, locum quoque castris ægre invenit. Profectus inde, magis quia manere non poterat, quam quod tolerabilis aut via aut tempestas esset; cum ingenti vexatione, præcipue jumentorum, altero die ad templum Jovis, quem Niceum vocant, posuit castra. Ad Arachthum inde flumen, itinere ingenti emenso, retentus altitudine amnis, mansit. Quo spatio temporis ponte perfecto, traductis copiis, diei progressus iter, obvium Archidamum principem Ætolorum, per quem ei Stratus tradebatur, habuit. Eo die ad finem agri Ætoli castra posita. Inde altero die ad Stratum perventum: ubi prope Acheloum amnem castris positis, cum expectaret effusos omnibus portis Ætolos in fidem suam venturos, clausas portas, atque ipsa ea nocte, qua venerat, receptum Romanum præsidium cum C. Popilio legato invenit. Principes, qui præsentis Archidami auctoritate compulsi regem accersierant, obviam egresso Archidami segniores facti, locum adversæ factioni dederant ad Popillium cum M. peditibus ab Ambracia accersendum. In tempore & Dinarchus præfectus equitum gentis Ætolorum, cum DC. peditibus, & equitibus C. venit. Satis constabat, eum tanquam ad Persea tendentem Stratum venisse: mutato deinde cum fortuna animo, Romanis se, adversus quos venerat, junxisse. Nec Popillius securior, quam debebat

bat esse, inter tam mobilia ingenia erat. claves portarum custodiamque murorum suæ extemplo potestatis fecit: Dinarchum Ætolosque cum juventute Stratiorum in arcem per præsidii speciem amovit. Perseus, ab imminentibus superiori parti urbis tumulis tentatis colloquiis, cum obstinatos, atque etiam telis procul arcentes videret, quinque M. passuum ab urbe trans Petitarum amnem posuit castra. Ibi concilio advocato, cum Archidamus Epirotarumque transfugæ retinerent, Macedonum principes non pugnandum cum infesto tempore anni censerent, nullis præparatis commeatibus, cum inopiam prius obsidentes, quam obsessi sensuri essent, maxime quod hostium haud procul inde hiberna erant, territus in Aperantiam castra movit. Aperantii eum propter Archidami magnam in ea gente gratiam auctoritatemque consensu omnium acceperunt. is ipse cum octingentorum militum præsidio his est præpositus. Rex* cum minore vexatione jumentorum hominumque quam venerat, in Macedoniam rediit.

* al. non 25

* * *

Hic desiderantur, quæ de Elonico traduntur in Epitoma a Perseo facta esse.

CAPUT XXI.

Clevas Persei regis præfectus adversus Ap. Claudium in Epiro rem prospere gerit: Perseus Illyriorum regem Gentium magis atque magis sollicitat.

Appium tamen ab obsidione Phanotis fama ducentis ad Stratum Persei summovit. Clevas cum præsidio impigrorum juvenum insecutus, sub radicibus prope inviis montium ad mille hominum ex agmine impedito occidit, ad ducentos cepit. Appius, superatis angustiis, in campo, quem Eleona vocant, stativa dierum paucorum habuit. Interim Clevas assumto Philostrato, qui Epirotarum gentem habebat, in agrum Antigonensem transcendit, Macedones ad depopulationem profecti. Philostratus cum cohorte sua in insidiis loco obscuro consedit. In palatos populatores cum erupissent ab Antigonea armati, fugientes eos persequentes effusius in vallem insessam ab hostibus præcipitant. ibi ad M. occisis, centum ferme captis, ubique prospere gesta re, prope stativa Appii castra movent,

vent, ne qua vis sociis suis ab Romano exercitu inferri possit. Appius nequicquam in his locis terens tempus, dimissis Chaonumque, & si qui alii Epirotæ erant, præsidiis, cum Italicis militibus in Illyricum regressus, per Parthinorum socias urbes in hiberna militibus dimissis, ipse Romam sacrificii caussa rediit. Perseus ex Penestarum gente M. pedites CC. equites revocatos Cassandriam, præsidio ut essent, misit. Ab Gentio eadem adferentes redierunt. Nec deinde alios atque alios mittendo tentare eum destitit, cum appareret quantum in eo præsidii esset, nec tamen impetrare ab homine posset, ut impensam in rem maximi ad omnia momenti faceret.

L. FLORI

DECADIS QUINTÆ

LIBRI QUARTI

EPITOME.

Q. Marius Philippus per saltus penetravit in Macedoniam: compluresque urbes occupavit. Rhodii misere legatos Romam, minantes ut Perseo essent auxilio, nisi populus Romanus cum eo pacem atque amicitiam conjungeret. indigne id latum. Cum id bellum L. Æmilio Paulo sequentis anni consuli iterum mandatum esset, Paulus in concione precatus est, ut quicquid diri populo Ro. immineret, supra domum suam converteretur: & in Macedoniam profectus Perseum vicit: universamque Macedoniam in potestatem redegit. antequam confligeret, dixit exercitui, ne miraretur quod luna nocte proxima defectura esset. Gentius quoque rex Illyriorum, cum rebellasset, ab Anicio prætore victus venit in deditionem: & cum uxore, & liberis, & propinquis Romam missus. Ab Alexandria legati a Cleopatra & Ptolemæo regibus venerunt, querentes de Antiocho rege Syriæ, quod is bellum inferret. Perseus, solicitatis in auxilium Eumene rege Pergami, & Gentio rege Illyriorum, quia is pecuniam, quam promiserat, minime dabat, ab eis relictus est.

DE-

DECADIS QUINTÆ

LIBER QUARTUS

CAPUT I.

Q. Martius Philippus COS., & C. Martius Figulus prætor proficiscentes ad bellum Macedonicum ab urbe discedunt: Corcyram pervenientes, COS. in Thessaliam ad exercitum, prætor Chalcidem ad classem, contendunt.

1 PRincipio veris, quod hiemem eam, qua hæc gesta sunt, insecutum est, ab Roma profectus Q. Martius Philippus COS. cum quinque millibus, * quos in supplementum legionum secum trajecturus erat, Brundusium pervenit. M. Popilius consularis, & alii pari nobilitate adolescentes tribuni mil. in Macedonicas legiones consulem secuti sunt. Per eos dies & C. Martius Figulus prætor, cui classis provincia evenerat, Brundusium venit: & simul ex Italia profecti, Corcyram altero die, tertio Actium Acarnaniæ portum tenuerunt. Inde consul ad Ambraciam egressus, itinere terrestri petit Thessaliam. Prætor superato * Leucata Corinthium sinum invectus, & Creusæ relictis navibus, terra & ipse per mediam Bœotiam diei unius expedito itinere, Chalcidem ad classem contendit. Castra eo tempore A. Hostilius in Thessalia circa Palæpharsalum habebat, sicut nulla re bellica memorabili gesta, ita ad cunctam militarem disciplinam ab effusa licentia formato milite, & sociis cum fide cultis, & ab omni genere injuriæ defensis. Audito successoris adventu, cum arma, viros, equos cum cura inexisset, ornato exercitu obviam * venienti consuli processit. Et primus eorum congressus ex dignitate eorum ipsorum ac Romani nominis, & in rebus deinde gerendis ** Proconf. enim ad exercitum *

* al. que

quod supplementum.

* al. liam. Leucate.

CAPUT II.

Q. Martius COS. antequam ex Thessalia contra Persea regem ducat exercitum, oratione adhortatur: superveniente deinde a Chalcide prætore C. Martio, de summa gerendi belli consultat.

PAucis post diebus consul concionem apud mi-

milites habuit. orsus a parricidio Persei perpetrato in fratrem, cogitato in parentem: adjecit post *scelere partum regnum, veneficia, cædes, latrocinio nefando petitum Eumenem, injurias in P. R. direptiones sociarum urbium contra fœdus: ea omnia quam diis quoque invisa essent, sensurum in exitu rerum suarum. Favere enim pietati fideique deos, per quæ P. R. ad tantum fastigii venerit. Vires deinde P. R. jam terrarum orbem complectentis cum viribus Macedoniæ, exercitus cum exercitibus comparavit. Quanto majores Philippi Antiochique opes non majoribus copiis fractas esse?* Hujus generis adhortatione accensis militum animis, consultare de summa gerendi belli cœpit. Eo & C. Martius prætor a Chalcide classe accepta venit. Placuit non ultra morando in Thessalia tempus terere, sed movere extemplo castra, atque pergere inde in Macedoniam: & prætorem dare operam, ut eodem tempore classis quoque invehatur hostium litoribus. Prætore dimisso consul menstruum jusso milite secum ferre, profectus decimo post die, quam exercitum acceperat, castra movit: & unius diei progressus iter, convocatis itinerum ducibus, cum exponere in concilio jussisset, qua quisque ducturus esset, summotis iis, * quam potissimum peteret, retulit ad concilium. Aliis per Pythium placebat via, aliis per Cambunios montes, qua priore anno duxerat Hostilius COS. aliis præter Ascuridem paludem. Restabat aliquantum viæ communis. itaque in id tempus, quo prope divortium itinerum castra posituri erant, deliberatio ejus rei differtur. In Perræbiam inde ducit, & inter Azorum & Dolichen stativa habuit, ad consulendum rursus, quam potissimum capesseret viam.

* al. qua Pythium via

CAPUT III.

Rex Perseus audiens Q. Martium COS. in Macedoniam adventare, omnes aditus occupat.

PEr eosdem dies Perseus, cum appropinquare hostem sciret, quod iter petiturus esset ignarus, omnes saltus insidere præsidiis statuit. In jugum Cambuniorum montium (Volustana ipsi vocant) X. millia levis armaturæ juvenum cum duce Asclepiodoro mittit: ad castellum quod super Ascuridem paludem erat (Lapathus vocatur locus) Hippias tenere saltum cum XII. millium Macedonum præsidio jussus. Ipse cum reliquis copiis primo circa Dium stativa habuit: deinde, adeo ut obtorpuisse inops consilii videretur, cum equitibus expeditis litore

nunc

nunc Heracleam, nunc Philam percurrebat, eodem inde cursu Dium repetens.

CAPUT IV.

Q. Martius COS. ex Thessalia per invios saltus ducit ingenti periculo exercitum in Macedoniam.

Interim consuli sententia stetit eo saltu ducere, ubi propter Octolophum diximus regis castra Philippi fuisse. Præmitti tamen IV. M. armatorum ad loca opportuna præoccupanda placuit, queis prepositi sunt M. Claudius & Q. Martius consulis filius. confestim & universæ copiæ sequebantur. Cæterum adeo ardua & aspera & confragosa via fuit, ut præmissi expediti biduo quindecim millium passuum ægre itinere confecto castra posuerint: turrim Eudieru, quem cepere locum, appellant. Inde postero die VII. M. progressi, tumulo haud procul hostium castris capto, nuntium ad consulem remittunt, *perventum ad hostem esse, loco se tuto & ad omnia opportuno consedisse: ut, quantum extendere iter posset, consequeretur.* Solicito consuli & propter itineris difficultatem, quod ingressus erat, & eorum vicem, quos paucos inter media præsidia hostium præmiserat, nuntius ad Ascuridem paludem occurrit. Addita igitur & ipsi fiducia est, conjunctisque copiis castra tumulo qui tenebatur, qua aptissimum ad loci naturam erat, sunt acclinata. Non hostium modo castra, quæ paullo plus mille passuum aberant, sed omnis regio ad Dium & Philam, oraque maris, late patente ex alto jugo prospectu, oculis subjicitur. Quæ res accendit militi animos, postquam summam belli, ac regias omnes copias, terramque hostilem tam e propinquo conspexerunt. Itaque cum alacres, protinus duceret ad castra hostium, consulem hortarentur, dies unus fessis labore viæ ad quietem datus est. Tertio die parte copiarum ad præsidium castrorum relicta, consul ad hostem ducit. Hippias nuper ad tuendum saltum ab rege missus erat: qui, ex quo castra Romana in tumulo conspexit, præparatis ad certamen animis suorum, venienti agmini COS. obvius fuit: & Romani expediti ad pugnam exierant, & hostes, levis armatura erat, promtissimum genus ad lacessendum certamen. Congressi igitur extemplo tela conjecerunt: multa utrinque vulnera temerario incursu & accepta & illata. pauci utriusque partis ceciderunt. Irritatis in posterum diem animis, majoribus copiis atque infestius concursum ab illis, si loci satis ad explicandam aciem fuisset. jugum montis in angustum dorsum cu-

cuneatum, vix ternis ordinibus armatorum in fronte patuit. Itaque paucis pugnantibus, cætera multitudo, præcipue qui gravium armorum erant, spectatores pugnæ stabant. levis armatura etiam per anfractus jugi procurrere, & ab lateribus cum levi armatura conserere, per iniqua atque æqua loca pugnam petere: ac pluribus ea die vulneratis, quam interfectis, prælium nocte diremtum est. Tertio die egere consilio Romanus imperator: nam neque manere in jugo inopi, neque regredi sine flagitio atque etiam periculo: sed cedenti ex superioribus locis instare hostis poterat: nec aliud restabat, quam audacter commissum pertinaci audacia, quæ prudens interdum in exitu est, corrigere. Ventum quidem erat eo, ut, si hostem similem antiquis Macedonum regibus habuisset consul, magna clades accipi potuerit. Sed cum ad Dium per litora cum equitibus vagaretur rex, & ab XII. M. prope clamorem & strepitum pugnantium audiret, nec auxit copias, integros fessis submittendo, neque ipse, quod plurimum intererat, certamini affuit, cum Romanus imperator major LX. annis, & prægravis corpore, omnia militaria munera ipse impigre obiret. egregie ad ultimum in audacter commisso perseveravit: & Popillio relicto in custodia jugi, per invia transgressus, præmissis qui repurgarent iter. Attalum & Misagenem, cum suæ gentis utrumque auxiliaribus præsidio esse saltum aperientibus jubet. Ipse equites impedimentaque præ se habens, cum legionibus agmen cogit. Inenarrabilis labor descendentibus cum ruina jumentorum sarcinarumque; progressis vixdum IV. millia passuum nihil optabilius esse, quam redire qua venerant, si possent. Hostilem prope tumultum agmini elephanti præbebant: qui ubi ad invia venerant, dejectis rectoribus cum horrendo stridore pavorem ingentem equis maxime incutiebant, donec traducendi eos ratio inita est. Per proclive sumto fastigio, longi duo validi asseres ex inferiore parte, in terra defigebantur, distantes inter se paullo plus quam quanta belluæ latitudo est. in eos transversi incumbentes tigni ad tricenos longi pedes, ut pons esset, injungebantur: humusque insuper injiciebatur. modico deinde infra intervallo similis alter pons: inde tertius, & plures ex ordine, qua rupes obscissæ erant, fiebant. Solido procedebat elephas in pontem: cujus priusquam in extremum pro-

procederet, succisis asseribus collapsus pons usque alterius initium pontis prolabi eum leniter cogebat. alii elephanti pedibus insistentes, alii clunibus subsidentes prolabebantur. ubi planicies altera pontis excepisset eos, rursus simili ruina inferioris pontis deferebantur, donec ad æquiorem vallem perventum est. Paullo plus VII. M. * o die Romani processerunt. Minimum pedibus itineris confectum: plerunque provolventes se simul cum armis aliisque oneribus, cum omni genere vexationis processerunt: adeo ut ne dux quidem & auctor itineris inficiaretur, parva manu deleri omnem exercitum potuisse. Nocte ad modicam planiciem pervenerunt, neque an infestus is locus esset, septus undique, circunspiciendi spatium fuit. vix tandem ex insperato stabilem ad insistendum nactis locum, postero quoque die in tam cava valle opperiri Popillium, ac relictas cum eo copias necesse fuit: quos & ipsos cum ab nulla parte hostis terruisset, locorum asperitas hostiliter vexavit. Tertio die conjunctis copiis eunt per saltum, quem incolæ Callipeucem appellant. quarto inde die per æque invia, sed assuetudine peritius, & meliore cum spe, quod nec hostis usquam apparebat, & mari appropinquabant, degressi in campos, inter Heracetum & Libethrum posuerunt castra peditum, quorum pars major tumulos tenebat: ii vallem, campi quoque partem, ubi eques tenderet, amplectebantur.

CAPUT V.

Rex Perseus, instante jam Q. Martio cos., subito terrore trepidus ab Dio Pydnam demigrat: consul, jusso Sp. Lucretio occupare castella circa Tempe ab hoste relicta, ad Dium pervenit: progressus, cogitur deinde annonæ caritate ad Dium regredi.

Lavanti regi dicitur 6 nunriatum hostes adesse: quo nuntio cum pavidus exiluisset e solio, victum se sine prælio clamitans proripuit: & subinde per alia atque alia pavida consilia, & imperia trepidans, duobus ex amicis Pellam alterum Asclepiodotum, ubi pecunia deposita erat, ex præsidiis revocat, omnesque aditus aperit bello. Ipse ab Dio auratis statuis omnibus raptim, ne præda hosti essent, in classem congestis, ocyus demigrare Pydnam cogit: & quæ temeritas consulis videri potuisset, quod eo processisset, unde invito hoste regredi nequiret, eam non inconsultam audaciam fecit. Duos enim saltus, per quos inde evadere possent, habebant Romani, unum per Tempe in Thessaliam,

faliam, alterum in Macedoniam præter Dium, quæ utraque regiis tenebantur præsidiis. Itaque si dux intrepidus X. dies primam speciem appropinquantis terroris sustinuisset, neque receptus Romanis per Tempe in Thessaliam, neque commeatibus pervehendis eo patuisset iter. Sunt enim Tempe saltus, etiamsi non bello fiat infestus, transitu difficilis. nam præter angustias per quinque millia, qua exiguum jumento onusto iter est, rupes utrinque ita abscissæ sunt, ut despici vix sine vertigine quadam simul oculorum animique possit. terret & sonitus & altitudo per mediam vallem fluentis Penei amnis. Hic locus tam suapte natura infestus per quatuor distantia loca præsidiis regis fuit insessus. Unum in primo aditu ad Gonnum erat: alterum ad Condylon castello inexpugnabili: tertium circa Lapathunta, quem Characa appellant: quartum viæ ipsi, qua & media, & angustissima vallis est, impositum: quam vel decem armatis tueri facile est. Intercluso per Tempe simul aditu commeatibus, simul reditu, ipsi montes, per quos descenderant, repetendi erant. quod ut furto fefellerant: ita propalam, tenentibus superiora cacumina hostibus, non poterant: & experta difficultas spem omnem incidisset. Supererat nihil aliud in temere commisso, quam in Macedoniam ad Dium per medios evadere hostes: quod, nisi dii mentem regi ademissent, ipsum ingentis difficultatis erat. Nam cum Olympi radices montis paullo plus quam mille passuum ad mare relinquant spatium, cujus dimidium loci occupat ostium late restagnans Baphyri amnis, partem planitiæ aut Jovis templum aut oppidum tenet: reliquum perexiguum fossa modica valloque claudi poterat. & saxorum ad manum silvestrisque materiæ tantum erat, ut vel murus objici, turresque excitari potuerint. Quorum nihil cum dispexisset cæcata mens subito terrore, nudatis omnibus præsidiis, patefactisque bello, ad Pydnam refugit. Cos. plurimum & præsidii & spei cernens in stultitia & segnitie hostis, remisso nuntio ad Sp. Lucretium Larissam, ut castella relicta ab hoste circa Tempe occuparet: præmisso Popillio ad explorandos transitus circa Dium, postquam patere omnia in omnes partes animadvertit, secundis castris pervenit ad Dium: metarique sub ipso templo, ne quid sacro in loco violaretur, jussit. Ipse urbem ingressus, sicut non magnam, ita exornatam pu-

publicis locis & multitudine ſtatuarum, munitamque egregie, vix ſatis credere in tantis rebus ſine cauſſa relictis non aliquem ſubeſſe dolum. unum diem ad exploranda circa omnia moratus caſtra movet: ſatiſque credens paratam frumenti copiam fore, eo die ad amnem nomine Mityn proceſſit. Poſtero die progreſſus Agaſſam urbem tradentibus ſeſe ipſis recepit: & ut reliquorum Macedonum animos ſibi conciliaret, obſidibus contentus ſine præſidio relinquere ſe eis urbem, immuneſque ac ſuis legibus victuros eſt pollicitus. Progreſſus inde dieì iter, ad Aſcordum flumen poſuit caſtra: & quantum procederet longius a Theſſalia, eo majorem rerum omnium inopiam ſentiens, regreſſus ad Dium eſt: dubitatione omnibus exemta, quid interclulo ab Theſſalia patiendum fuiſſet, cui procul inde abſcedere tutum non eſſet. Perſeus contractis in unum omnibus copiis ducibuſque, increpare præfectos præſidiorum, ante omnes Aſclepiodotum atque Hippiam: ab his dicere clauſtra Macedoniæ tradita Romanis eſſe: cujus culpæ reus nemo juſtius, quam ipſe fuiſſet.

CAPUT VI.

Retro ab Dio cedente ad Philam conſule, ut commeatus a Sp. Lucretio accipiat, rex Perſeus, quæ nuper amiſerat, recuperat.

Conſuli poſtquam ex alto conſpecta claſſis ſpem fecit cum commeatu naves venire (ingens enim caritas annonæ, ac prope inopia erat) ab invectis jam portum audit, onerarias naves Magneſiæ relictas eſſe. Incerto inde quidnam agendum foret (adeo ſine ulla ope hoſtis quæ aggravaret, cum ipſa difficultate rerum pugnandum erat) peropportunæ literæ a Sp. Lucretio allatæ ſunt, caſtella ſe, quæ ſuper Tempe eſſent, & circa Philam, tenere omnia, frumentique in iis & aliarum in uſum rerum copiam inveniſſe. His magnopere lætus Coſ. ab Dio ad Philam ducit: ſimul ut præſidium ejus firmaret, ſimul ut militi frumentum, cujus tarda ſubvectio erat, divideret. Ea profectio famam haudquaquam ſecundam habuit. nam alii metu receſſiſſe eum ab hoſte ferebant; quia manenti imperatori prælio dimicandum foret: alii ignarum belli, quæ in dies fortuna novaret, ut qui offerentibus ſeſe rebus omiſiſſet e manibus ea, quæ mox

mox repeti non possent. Simul enim cessit possessione Dii, excitavit hostem, ut tunc tandem sentiret recuperanda esse, quæ prius culpa amissa forent. Audita enim profectione consulis, regressus Dium, quæ disjecta ac vastata ab Romanis erant, reficit: pinnas mœnium decussas reponit, ab omni parte muros firmat: deinde quinque millia passuum ab urbe citra ripam Enipei amnis castra ponit, amnem ipsum transitu perdifficilem pro munimento habiturus. Fluit ex valle Olympi montis, æstate exiguus, hibernis idem incitatus pluviis: & supra rupes ingentes gurgitibus facit, & intra prorupta in mare evolvendo terram præaltas voragines, cavatoque medio alveo ripas utrinque præcipites. Hoc flumine Perseus septum iter hostis credens, extrahere reliquum tempus ejus æstatis in animo habebat.

CAPUT VII.

M. Popillius a Martio Cos. immissus Heracleam, adjuvante a mari classe, expugnat: hujus in muri parte capienda quorundam Romanorum juvenum excellit industria.

INter hæc Cos a Phila Popillium cum duobus millibus armatorum Heracleam mittit. Abest a Phila v. m. ferme passuum, media regione inter Dium Tempeque, in rupe amni imminente positum. Popillius priusquam armatos muris admoveret, misit qui magistratibus principibusque suaderent, fidem clementiamque Romanorum, quam vim, experiri mallent. Nihil ea consilia moverunt, quia ignes ad Enipeum ex regis castris apparebant. Tum terra marique (& classis appulsa ab litore stabat) simul armis, simul operibus machinisque oppugnari cœpit. Juvenes etiam quidam Romani, ludicro circensi ad usum belli verso, partem humillimam muri ceperunt. Mos erat tum, nondum hac effusione inducta bestiis * omnium gentium* circum complendi, varia spectaculorum conquirere genera: nec, semel quadrigis, semel desultore misso, vix unius horæ tempus utrumque curriculum complebat. Inter cætera sexageni ferme juvenes, interdum plures, ab apparitoribus ludi armati inducebantur. Horum inductio in parte simulacrum decurrentis exercitus erat, ex parte elegantioris exercitii quam militaris artis, propiorque gladiatorium armorum usum. Cum alios decursus edidissent motus, quadrato agmine facto, scutis super capita den-

al. omniũ generum

densatis, stantibus primis, secundis summissioribus, tertiis magis & quartis, postremis etiam genu nixis, fastigiatam, sicut tecta ædificiorum sunt, testudinem faciebant. Hinc L. ferme pedum spatio distantes duo armati procurrebant, comminatique inter se ab ima in summam testudinem per densata scuta cum evasissent, nunc velut propugnantes per oras extremæ testudinis, nunc in media inter se concurrentes, haud secus quam stabili solo persultabant. Huic testudini simillima parti muri admota, cum armati superstantes fuissent, propugnatoribus muri fastigio altitudinis æquabantur, depulsisque iis, in urbem duorum signorum milites transcenderunt. Id tantum dissimile fuit, quod & in fronte extrema, & ex lateribus soli non habebant super capita elata scuta, ne nudarent corpora, sed prætecta pugnantium more. ita nec ipsos tela ex muro missa subeuntes læserunt, & testudini injecta imbris in modum lubrico fastigio innoxia ad imum labebantur.

CAPUT VIII.

Consul Martius, Heracleam petens, hiberna præparat: rex Perseus, recepto a pavore animo, quorum pudet, trepidationis conscios interficit.

ET Cos. capta jam Heraclea castra eo promovit, tanquam Dium, atque inde summoto rege, in Pieriam etiam progressurus. Sed hiberna jam præparans vias commeatibus subvehendis ex Thessalia muniri jubet, & eligi horreis opportuna loca, tectaque ædificari, ubi diversari portantes commeatus possent. Perseus tandem 10 a pavore eo, quo attonitus fuerat, recepto animo, malle imperiis suis non obtemperatum esse, cum trepidans gazam in mare dejici Pellæ, Thessalonicæ navalia jusserat incendi. Andronicus Thessalonicam missus traxerat tempus, id ipsum quod accidit, pœnitentiæ relinquens locum. Incautior Nicias Pellæ projiciendo pecuniæ partem, quod fuerat nactus: sed in rem emendabilem visus lapsus esse, quod per urinatores omne ferme extractum est. tantusque pudor regi pavoris ejus fuit, ut urinatores clam interfici jusserit, deinde Andronicum quoque, & Niciam, ne quis tam dementis imperii conscius existeret.

CAPUT IX.

C. Martius prætor classe circumvectus multas Macedoniæ maritimas urbes frustra aggreditur: vanus est præsertim conatus primum in oppugnatione Thessalonicæ, deinde Cassandreæ, quam adoritur prætor adjutus viribus Eumenis, & Prusiæ regum.

INter hæc C. Martius cum classe ab Heraclea Thessalonicam profectus, & agrum pluribus locis expositis per litora armatis late vastavit: & procurrentes ab urbe secundis aliquot præliis trepidos intra mœnia compulit. jamque ipsi urbi terribilis erat, cum dispositis omnis generis tormentis, non vagi modo circa muros temere appropinquantes, sed etiam qui in navibus erant, saxis tormento emicantibus percutiebantur. Revocatis igitur in naves militibus, omissaque Thessalonicæ oppugnatione, Æniam inde petunt. XV. millia passuum ea urbs abest, adversus Pydnam posita, fertili agro. Pervastatis finibus ejus, legentes oram Antigoneam perveniunt. ibi egressi in terram, primo & vastarunt agros passim, & aliquantum prædæ contulerunt ad naves. dein palatos eos adorti Macedones mixti pedites equitesque, fugientes effuse ad mare persecuti, D. ferme occiderunt, & non minus ceperunt. nec aliud quam ultima necessitas, cum recipere se tuto ad naves prohiberentur animos militum Romanorum simul desperatione alia salutis, simul indignitate irritavit. redintegrata in litore pugna est. adjuvere & qui in navibus erant. Ibi Macedonum ducenti ferme cæsi, par numerus captus. Ab Antigonea classis profecta ad agrum Pallenensem, exscensionem ad populandum fecit. Finium is ager Cassandrensium erat, longe fertilissimus omnis oræ, quam prætervecti fuerant. Ibi Eumenes rex XX. tectis navibus ab Elea profectus obvius fuit, & quinque missæ a Prusia rege tectæ naves. Hac virium accessione animus crevit prætori, ut Cassandream oppugnaret. Condita est a Cassandro rege in ipsis faucibus, quæ Pallenensem agrum cæteræ Macedoniæ jungunt, hinc Toronaico, hinc Macedonico septa mari. Eminet namque in altum lingua, in qua sita est: nec minus quam in altum magnitudine Atho mons excurrit, obversa in regionem Magnesiæ duobus imparibus promontoriis, quorum majori Posideum est nomen, minori Canastræum. Divisis partibus oppugnare adorti. Ro-

manus ad Clitas quas vocant, munimenta cervis etiam objectis, ut viam intercluderet, a Macedonico ad Toronaicum mare perducit. ab altera parte Euripus est, inde Eumenes oppugnabat. Romanis in fossa complenda, quam nuper objecerat Perseus, plurimum erat laboris. Ibi quærenti prætori, quia nusquam cumuli apparebant, quo regesta e fossa terra foret, monstrati sunt fornices, non ad eandem crassitudinem qua * veterem murum, sed simplici laterum ordine * structos esse. Consilium igitur cepit, transfosso pariete iter in urbem patefacere. Fallere autem ita se posse, si muros a parte alia scalis adortus, tumultu injecto in custodiam ejus loci propugnatores urbis avertisset. Erant in præsidio Cassandreæ præter non contemnendam juventutem oppidanorum DCCC. Agrianes, & MM. Penestarum Illyriorum a Pleurato inde missi, bellicosum utrunque genus. His tuentibus muros cum subire Romani summa vi niterentur, momento temporis parietes fornicum perfossi urbem patefecerunt. quod si qui irrupere, armati fuissent, extemplo cepissent. Hoc ubi perfectum esse opus militibus nuntiatum est, clamorem alacres gaudio repente tollunt, aliis parte alia in urbem irrupturis. 12 Hostes primum admiratio cepit, quidnam sibi repentinus clamor vellet. Postquam patere urbem accepere, præfecti præsidii, Pytho, & Philippus pro eo, qui occupasset aggredi, opus factum esse rati, cum valida manu Agrianum Illyriorumque erumpunt: Romanosque, qui alii aliunde coibant, convocabanturque, ut signa in urbem inferrent, incompositos atque inordinatos fugant, persequunturque ad fossam: in quam compulsos ruina cumulant. DC. ferme ibi interfecti, omnesque prope qui inter murum fossamque deprehensi erant, vulnerantur. ita suo ipse conatu perculsus prætor, segnior ad alia factus consilia erat: & ne Eumeni quidem, simul a mari, simul a terra aggredienti, quidquam satis procedebat. Placuit igitur utrique, custodiis firmatis, ne quod præsidium ex Macedonia intromitti posset, quoniam vis aperta non processisset, operibus mœnia oppugnare. Hæc parantibus his, X. regii lembi ab Thessalonica cum delectis Gallorum auxiliaribus missi, cum in salo stantes hostium naves conspexissent, ipsi obscura nocte simplici ordine quam

poterant proxime litus tenentes, intrarunt urbem. Huius novi præsidii fama absistere oppugnatione simul Romanos regemque coegit. circumvecti promontorium ad Toronem classem appulerunt. Eam quoque oppugnare adorti, ubi valida defendi manu animadverterunt, irrito incœpto Demetriadem petunt. Ibi cum appropinquantes repleta mœnia armatis vidissent, prætervecti ad Jolcon classem appulerunt, inde agro vastato Demetriadem quoque aggressuri.

CAPUT X.

In Thessalia ab oppugnatione Melibœæ, & Demetriadis Macedones submovent Romanos: Eumenes rex, juncta Demetriade, ut fama est, amicitia cum Perseo rege, ab Romanis abscedens, in regnum suum abit.

13 INter hæc & COS. ne segnis sederet tantum in agro hostico, M. Popillium cum V. millibus militum ad Melibœam urbem oppugnandam mittit. Sita est in radicibus Ossæ montis, qua parte in Thessaliam vergit, opportune imminens super Demetriadem. Primus adventus hostium perculit incolas loci: collectis deinde ex nec opinato pavore animis, discurrunt armati ad portas ac mœnia, qua suspecti aditus erant: spemque extemplo inciderunt capi primo impetu posse. Obsidio igitur parabatur, & opera oppugnationum fieri cœpta. Perseus cum audisset simul Melibœam a consulis exercitu oppugnari, simul classem Jolci stare, ut inde Demetriadem aggrederetur, Euphranorem quendam ex ducibus cum delectis duobus millibus Melibœam mittit. eidem imperatum, ut, si a Melibœa submovisset Romanos, Demetriadem prius occulto itinere intraret, quam ab Jolco ad urbem castra moverent Romani. & ob oppugnatoribus Melibœæ, cum in superioribus locis repente apparuisset, cum trepidatione multa relicta opera sunt, ignisque injectus. ita a Melibœa abscessum est. Euphranor, soluta unius urbis obsidione, Demetriadem extemplo ducit. Nec tum mœnia modo, sed agros etiam confiderunt se a populationibus tueri posse: & eruptiones in vagos populatores non sine vulneribus hostium factæ sunt. Circumvecti mœnia sunt prætor & rex, situm urbis contemplantes, si qua parte tentare aut opere aut vi possent. Fama fuit, per Cydam Cretensem, & Antimachum, qui Demetriadi præerat, tractatas inter Eumenem & Persea conditiones

ditiones amicitiæ. ab Demetriade certe abscessum est. Eumenes ad consulem navigat: gratulatus quod prospere Macedoniam intrasset, Pergamum in regnum abit. Martius Figulus prætor, parte classis in hiberna Sciathum missa, cum reliquis navibus Oreum Bœotiæ petit, eam urbem aptissimam ratus, unde exercitibus, qui in Macedonia, quique in Thessalia erant, mitti commeatus possent. De Eumene rege longe diversa tradunt. Si Valerio Antiati credas, nec classe adjutum ab eo prætorem esse, cum sæpe eum literis accersisset, tradit: nec cum gratia ab consule profectum in Asiam, indignatum, quod, ut iisdem castris tenderet, permissum non fuerit: nec ut equites quidem Gallos, quos secum adduxerat, relinqueret, impetrari ab eo potuisse. Attalum fratrem ejus & remansisse apud consulem, & sinceram ejus fidem æquali tenore, egregiamque operam in eo bello fuisse.

CAPUT XI.

Studium in Romanos tum Gallorum reguli cujusdam, pollicentis auxilia ad Macedonicum bellum, tum Pamphilorum, donum mittentium Romam, renovandæ amicitiæ caussa.

DUm bellum in Macedonia geritur, legati transalpini ab regulo Gallorum (Balanos ipsius traditur nomen, gentis ex qua fuerit non traditur) Romam venerunt, pollicentes ad Macedonicum bellum auxilia. Gratiæ ab Senatu actæ, muneraque missa, torquis aureus duo pondo, & pateræ aureæ quatuor pondo, equus phaleratus, armaque equestria. Secundum Gallos Pamphili legati coronam auream ex XX. millibus Philippeorum factam in curiam intulerunt: petentibusque iis, ut id donum in cella Jovis opt. max. ponere, & sacrificare in Capitolio liceret, permissum: benigneque amicitiam renovare volentibus legatis responsum, & binum millium æris singulis missum munus. 14

CAPUT XII.

Introducitur in Senatum Prusiæ regis, & Rhodiorum legatio de pace cum Perseo reconcilianda: Rhodii addunt superbe minas, nisi pax componatur.

TUm ab rege Prusia, & paullo post ab Rhodiis de eadem re longe aliter differentes legati auditi sunt. utraque legatio de pace reconcilianda cum rege Perseo egit. Prusiæ preces magis, quam * postulatio fuere, profitentis, *& ad id tempus se cum Romanis stetisse, &, quoad bellum foret, staturum. Cæterum cum ad se a Perseo legati venissent de finiendo cum Romanis bello, & iis pollicitum deprecatorem apud senatum futurum, petere, si possent inducere in animum, ut finiant iram, se quoque in gratia reconciliatæ pacis posse uti.* Hæc regii. Legati Rhodii superbe commemoratis erga P. R. beneficiis, & pene victoriæ, utique de Antiocho rege, majore parte ad se vindicata, adjecerunt: *cum pax inter Macedonas Romanosque esset, sibi amicitiam cum rege Perseo cœptam. eam se invitos, nullo ejus in se merito, quoniam ita Romanis visum sit in societatem se belli trahere, interrupisse. Tertium se annum multa ejus incommoda belli sentire, mari intercluso inopia insulam premi, amissis maritimis vectigalibus atque commeatibus. Cum id ultra pati non possent, legatos alios ad Persea in Macedoniam misisse, qui ei denuntiarent, Rhodiis placere pacem eum componere cum Romanis: se Romam eadem nuntiatum missos: per quos stetisset quominus belli finis fieret, adversus eos quid sibi faciendum esset, Rhodios consideraturos esse.* Ne nunc quidem hæc sine indignatione legi audirive posse certum habeo: inde existimari potest, qui habitus animorum audientibus ea patribus fuerit. Claudius nihil responsum auctor est: tantum S. C. recitatum, quo Caras & Lycios liberos esse juberet P. R. literasque extemplo ad utranque gentem, ut scirent indicatum, mitti. qua audita re, principem legationis, cujus magniloquentiam vix curia paullo ante ceperat, corruisse. Alii responsum esse tradunt: *P. R. & principio ejus belli, haud vanis auctoribus compertum habuisse*, Rhodios *cum Perseo rege adversus Rempub. suam occulta consilia iniisse. & si id ante dubium fuisset, legatorum paullo ante verba ad certum redegisse: & plerunque ipsam se fraudem, etiam si initio cautior fuerit, detegere. Rhodios nuntio in orbe terrarum arbitria belli pacisque agere: deorum nutu arma sumturos posituros que*

*al. postulata.

15

rosque Romanos esse. Jam non deos fœderum testes, sed Rhodios habituros. Ita ne tandem iis pareatur, exercitusque de Macedonia deportentur? Visuros esse quid sibi faciundum sit. quid Rhodii visuri sint, ipsos scire: populum certe Romanum devicto Perseo, quod propediem sperent fore, visurum, ut pro meritis cujusque in eo bello civitatis gratiam dignam referat. Munus tamen legatis in singulos binum millium æris missum est: quod ii non acceperunt.

CAPUT XIII.

Lectis in senatu literis Q. Martii COS. ex Macedonia, quæ ille petit necessaria ad bellum, ea parandi negotium datur C. Sulpitio prætori. Onesimus, nobilis Macedo, qui, quod bellum cum Romanis improbaret, ab rege Perseo transfugerat, benigne, ac liberaliter a senatu habetur.

16 Literæ deinde recitatæ L. Q. Martii consulis sunt, *quemadmodum saltu superato in Macedoniam transisset; ibi & ex aliis locis commeatus a prætore prospectos in hiemem habere, & ab Epirotis XX. millia modium tritici, X. hordei sumsisse, ut pro eo frumento pecunia Romæ legatis eorum curaretur. Vestimenta militibus ab Roma mittenda esse: equis CC. ferme opus esse, maxime Numidis, nec sibi in his locis ullam copiam esse.* S. C. ut ea omnia ex literis consulis fierent, factum est. C. Sulpitius prætor VI. M. togarum, XXX. tunicarum, & equos, deportanda in Macedoniam, præbendaque arbitratu consulis locavit: & legatis Epirotarum pecuniam pro frumento solvit. Et Onesimum Pythonis filium nobilem Macedonem in senatum introduxit. Is pacis semper auctor regi fuerat, monueratque, sicut pater ejus Philippus institutum usque ad ultimum vitæ diem servabat quotidie bis in die fœderis icti cum Romanis perlegendi, ut eum morem, si non semper, crebro tamen usurparet. Postquam deterrere eum a bello nequiit, primo subtrahere sese per alias atque alias caussas, ne interesset iis quæ non probabat, cœpit: postremo cum suspectum se esse cerneret, & proditionis interdum crimine insimulari, ad Romanos transfugit: magnoque usui consuli fuit. Eo introductus in curiam cum memorasset, senatus in formulam sociorum eum referri jussit: locum, lautia præberi: agri Tarentini, qui publicus P. R. esset, ducenta jugera dari, & ædes Tarenti emi. uti ea curaret, C. Decimio prætori mandatum.

CAPUT XIV.

Census a C. Claudio Pulchro, & Tib. Sempronio Graccho censoribus habetur: emtis in publicum ædibus, Sempronius Basilicam, quæ postea Sempronia appellata est, faciendam curat.

CEnsores censum Idibus Decembris severius, quam ante habuerunt: multis equi ademti, inter quos P. Rutilio, qui tribunus pleb. eos violenter accusarat. tribu quoque is motus, & * operarius factus, ad opera publica facienda. Cum eis dimidium ex vectigalibus ejus anni attributum ex S. C. a quæstoribus esset, Tib. Sempronius ex ea pecunia, quæ ipsi attributa erat, ædes P. Africani pone Veteres ad Vortumni signum lanienasque & tabernas conjunctas in publicum emit: basilicamque faciendam curavit, quæ postea Sempronia appellata est.

*al. ærarius.

CAPUT XV.

Novi magistratus creantur: COSS. sunt L. Æmilius Paullus, & C. Licinius Crassus: fit deinde & a COSS. & a prætoribus provinciarum sortitio: L. Æmilius, cui Macedonia evenit, ad curam strenue gerendi belli convertit animum: eo petente, senatus legatos mittit in Macedoniam ad inspicienda, quæ nosci in rem est.

17 JAm in exitu annus erat, & propter Macedonici maxime belli curam in sermonibus homines habebant, quos in annum consules ad finiendum tandem id bellum crearent. Itaque S. C. factum est, ut Cn. Servilius primo quoque tempore ad comitia habenda veniret. S. C. Sulpitius prætor ad consulem post paucos dies recitavit, quibus ante diem in * urbem venturum. * & COS. maturavit, & comitia eo die, qui dictus erat, sunt perfecta. Consules creati L. Æmilius Paullus iterum, XIV. anno postquam primum COS. fuerat, & C. Licinius Crassus. Prætores postero die facti, Cn. Bæbius Tamphilus, L. Anicius Gallus, Cn. Octavius, P. Fontejus Balbus, M. Æbutius Helva, C. Papirius Carbo. Omnia ut maturius agerentur, belli Macedonici stimulabat cura. Itaque designatos extemplo

templo sortiri placuit provincias, ut, utri Macedonia consuli, cuique prætori classis evenisset, sciretur: ut jam inde cogitarent pararentque quæ bello usui forent; senatumque consulerent, si qua re consulto opus esset. Latinas, ubi magistratum inissent, quod per religiones posset, primo quoque tempore fieri placere, neque consulem, cui eundum in Macedoniam esset, teneri. His decretis, consulibus Italia, & Macedonia, prætoribus, præter duas jurisdictiones in urbe, classis, & Hispania, & Sicilia, & Sardinia provinciæ nominatæ sunt. Consulum Æmilio Macedonia, Licinio Italia evenit. Prætores Cn. Bæbius urbanam, L. Anicius peregrinam, & si quo senatus censuisset, Cn. Octavius classem, P. Fontejus Hispaniam, M. Æbutius Siciliam, C. Papirius Sardiniam est sortitus. Extemplo apparuit omnibus, non segniter id bellum L. Æmilium gesturum, præterquam quod alius vir erat, etiam quod dies noctesque intentus, ea sola quæ ad id bellum pertinerent, animo agitabat. Jam omnium primum a senatu petit, ut legatos in Macedoniam mitterent ad exercitus visendos classemque, & comperta referenda, quid aut terrestribus aut navalibus copiis opus esset. Præterea ut explorarent copias regias, quantum possent, quaque provincia nostra, qua hostium foret: utrum intra saltus castra Romani haberent, an jam omnes angustiæ exuperatæ, & in æqua loca pervenissent: qui fideles nobis socii, qui dubii, suspensæque ex fortuna fidei, qui certi hostes viderentur: quanti præparati commeatus, & unde terrestri itinere, unde navibus supportarentur: quid ea æstate terra marique rerum gestarum esset: ex his bene cognitis certa in futurum consilia capi posse ratus. Senatus Cn. Servilio COS. negotium dedit, ut is in Macedoniam quos L. Æmilio videretur, legaret. Legati biduo post profecti, Cn. Domitius Henobarbus, A. Licinius Nerva, L. Bæbius.

CAPUT XVI.

Nunciatum prodigium procuratur: nonnulli sacerdotes moriuntur: ludi Circenses majore, quam antea, magnificentia celebrantur.

Bis in exitu anni ejus lapidatum esse nuntiatum est in Romano agro, simul in Vejentibus novendiale sacrum factum est. Sacerdotes eo anno mortui sunt, P. Quintilius Varus flamen Martialis, & M. Claudius Marcellus decemvir, in cujus locum

Cn. Octavius suffectus. Et jam magnificentia crescente notatum est, ludis Circensibus P. Cornelii Scipionis Nasicæ, & P. Lentuli ædilium curulium, LXIII. Africanas, & XL. ursos & elephantos lusisse.

CAPUT XVII.

Quia legati ad res inspiciendas missi nondum redierunt, placet Æmilio consuli nihil de Macedonia provincia sua ad senatum referre.

19 U. C. 582 L. Æmilio Paullo, C. Licinio COSS. Idibus Martiis principio insequentis anni cum in expectatione patres fuissent, maxime quidnam consul de Macedonia, cujus ea provincia esset, referret; *nihil se habere* Paullus *quod referret, cum nondum legati redissent*, dixit, *Cæterum Brundusii legatos jam esse, bis ex cursu Dyrrhachium* * *ejectos. Cognitis mox, quæ nosci prius in rem esset, relaturum: id fore intra perpaucos dies. Et ne quid profectionem suam teneret, pridie Idus Apriles Latinis esse constitutam diem. Sacrificio rite perfecto, se & Cn. Octavium, simul senatus censuisset, exituros esse: C. Licinio collegæ suo fore curæ se absente, ut si qua parari mittive ad id bellum opus sit, parentur mittanturque. Interea legationes exterarum nationum audiri posse.*

* al. rejectos.

CAPUT XVIII.

Legati Alexandrini ab Ptolemæo, & Cleopatra regibus queruntur apud Senatum de bello eis illato ab Antiocho Syriæ rege: moti Patres legatos ad bellum inter reges finiendum mittunt.

Sacrificio rite perfecto, primi Alexandrini legati ab Ptolemæo & Cleopatra regibus vocati sunt. Sordidati, barba & capillo promisso, cum ramis oleæ ingressi curiam procubuerunt: & oratio quam habitus fuit miserabilior. Antiochus Syriæ rex, qui obses Romæ fuerat, per honestam speciem majoris Ptolemæi reducendi in regnum, bellum cum minore fratre ejus, qui tum Alexandriam tenebat, gerens, & ad Pelusium navali prælio victor fuerat, & tumultuario opere ponte per Nilum facto transgressus cum exercitu, obsidione ipsam Alexandriam tenebat: nec procul abesse, quin potiretur regno opulentissimo, videbatur. Ea legati querentes orabant senatum, *ut opem regno regibusque amicis imperio ferrent. Ea merita P. R. in Antiochum, eam apud omnes reges gentesque auctoritatem esse, ut si legatos misissent, qui denuntiarent non placere senatui sociis regibus bellum fieri, extemplo abscessurus a mœnibus Alexandriæ,*

driæ, abducturusque exercitum in Syriam esset. Quod si cunctentur facere, brevi extorres regno Ptolemæum, & Cleopatram Romam venturos cum pudore quodam P. R. quod nullam opem in ultimo discrimine fortunarum tulissent. Moti patres precibus Alexandrinorum, extemplo C. Popillium Lænatem, C. Decimium, & C. Hostilium legatos ad finiendum inter reges bellum miserunt. Prius Antiochum, dein Ptolemæum adire jussi, & nuntiare, ni absistatur bello, per utrum stetisset, eum non pro amico nec pro socio habituros esse.

CAPUT XIX.

Reversi Romam ex Macedonia legati nunciant, in statu parum secundo res ibi esse: Senatus, referente L. Æmilio Cos., quæ ad bellum gerendum pertinent, decernit.

20 His intra triduum simul cum legatis Alexandrinis profectis, legati ex Macedonia quinquatribus ultimis adeo expectati venerunt, uti, nisi vesper esset, extemplo senatum vocaturi consules fuerint. Postero die senatus fuit, legatique auditi sunt. Ii nuntiant, *majore periculo, quam emolumento exercitum per invios saltus in Macedoniam inductum. Pieriam, quo processisset, regem tenere: castra castris prope ita collata esse, ut flumine Enipeo interjecto arceantur: neque regem pugnandi potestatem facere, nec nostris vim ad cogendum esse: hiemem etiam asperam rebus gerendis intervenisse: in otio militem ali, nec plus quam VI. dierum frumentum habere. Macedonum dici XXX. millia armatorum esse. Si Ap. Claudio circa Lychnidum satis validus exercitus foret, potuisse ancipiti bello distinere regem: nunc & Appium, & quod cum eo præsidii sit, in summo periculo esse: nisi propere aut justus exercitus eo mittatur, aut illi inde deducantur. Ad classem se ex castris profectos sociorum navalium partem morbo audisse absumtam, partem, maxime qui ex Sicilia fuerint, domos suas abisse, & homines navibus deesse: qui sint, neque stipendium accepisse, neque vestimenta habere. Eumenem, classemque ejus, tanquam vento allatas naves, sine caussa, & venisse, & abisse: nec animum ejus regis constare satis visum.* Sicut omnia de Eumene dubia, Attali egregie constantem fidem nuntiabant.

21 Legatis auditis, tunc de bello referre sese L. Æmilius dixit. Senatus decrevit, *ut in octo legiones parem numerum tribunorum consules & populus crearent: creari autem neminem eo anno placere, nisi qui honorem gessisset.* Tum ex omnibus tri-

tribunis militum uti L. Æmilius in duas legiones in Macedoniam, quos eorum velit, eligat: & ut solenni Latinarum perfecto, L. Æmilius COS. Cn. Octavius prætor, cui classis obtigisset, ut in provinciam proficiscantur. Additus est his tertius L. Anicius prætor, cujus inter peregrinos jurisdictio erat. Eum in provinciam Illyricum circa Lychnidum Ap. Claudio succedere placuit. Delectus cura C. Licinio consuli imposita. is VII. millia civium Romanorum, & equites CC. scribere jussus, & sociis nominis Latini septem millia peditum imperare, CCCC. equites, & Cn Servilio Galliam obtinenti provinciam literas mittere, ut DC. equites conscriberet. hunc exercitum ad collegam primo quoque tempore mittere in Macedoniam jussus, neque in ea provincia plus quam duas legiones esse. eas repleri, ut sena M. peditum, trecenos haberent equites. cæteros equites peditesque in præsidiis disponi. Qui eorum idonei ad militandum non essent, dimitti. X. præterea millia peditum imperata sociis, & DCCC. equites. Id præsidii additum Anicio præter duas legiones, quas portare in Macedoniam est jussus, quina millia peditum, & ducenos habentes, trecenos equites: & in classem V. millia navalium socium sunt scripta. Licinius consul duabus legionibus obtinere provinciam jussus, eo addere sociorum X. millia peditum & DC. equites.

CAPUT XX.

L. Æmilius Cos., satis omnibus ad bellum Macedonicum præparatis, populum in concione alloquitur: in provinciam deinde cum Cn. Octavio prætore, cui classis obtigerat, proficiscitur.

22 Senatusconsultis perfectis, L. Æmilius COS. e curia in concionem processit, orationemque talem habuit. *Animadvertisse videor, Quirites, majorem mihi sortito Macedoniam provinciam gratulationem factam, quam cum aut consul essem consalutatus, aut quo die magistratum inissem; neque id ob aliam caussam, quam quia bello in Macedonia, quod diu trahitur, existimatis dignum majestate P. R. exitum per me imponi posse. deos quoque huic favisse sorti spero, eosdemque in rebus gerendis affuturos esse. Hæc partim opinari, partim sperare possum. Illud affirmare pro certo habeo audeoque, me omni ope adnisurum esse, ne frustra vos hanc spem de me conceperitis. Quæ ad bellum opus sunt, & senatus decrevit, & (quoniam extemplo proficisci placet, neque ego in mora sum)*

C.

C. Licinius collega, vir egregius, æque enixe parabit, ac si ipse id bellum gesturus esset. Vos, quæ scripsero senatui aut vobis, credite: rumore credulitate vestra ne alatis, quorum auctor nemo extabit. Nam nunc quidem quod vulgo fieri hoc præcipue bello animadverti, nemo tam famæ contemtor est, cujus non debilitari animus possit. In omnibus circulis, atque etiam (si diis placet) in conviviis sunt, qui exercitum in Macedoniam ducant: ubi castra locanda sint, sciant, quæ loca præsidiis occupanda, quando aut quo saltu intranda Macedonia, ubi horrea ponenda; qua terra, mari subvehantur commeatus, quãdo cum hoste manus conserendæ, quando quiescendum sit. Nec quid melius faciendum sit, modo statuunt, sed quicquid aliter quam ipsi censuere, factum est, consulem veluti dicta die accusant. Hæc magna impedimenta res gerentibus sunt. Neque enim omnes tam firmi & constantis animi contra adversum rumorem esse possunt, quam Fabius fuit; qui suum imperium minui per vanitatem populi maluit, quam secunda fama male rem gerere. Non sum is, qui non existimem admonendos duces esse: imo eum qui de sua unius sententia omnia gerat, superbum judico magis quam sapientem. Quid ergo est? Primum a prudentibus, & proprie rei militaris peritis, & usu doctis monendi imperatores sunt: deinde ab his, qui intersunt gerendis rebus, qui loca, qui hostem, qui temporum opportunitatem vident, qui in eodem velut navigio participes sunt periculi. Itaque si quis est, qui, quod e Repub. sit, suadere se mihi in eo bello, quod gesturus sum, confidat, ne deneget operam Reip.: & in Macedoniam mecum veniat: nave, equo, tabernaculo, viatico etiam a me juvabitur. Si quem id facere piget, & otium urbanum militiæ laboribus præoptat, e terra ne gubernaverit. Sermonum satis ipsa præbet urbs: loquacitatem suam contineat. nos castrensibus consiliis contentos futuros esse sciat. Ab hac concione, Latinis quæ pridie Kal. Aprilis fuerunt, in monte sacrificio rite perpetrato, protinus inde & Cos. & prætor Cn. Octavius in Macedoniam profecti sunt. Traditum est memoriæ, majore quam solita frequentia prosequẽtium consulum celebratũ, ac prope certa spe ominatos esse homines, finem esse Macedonico bello, maturumque reditum cum egregio triumpho consulis fore.

CA-

CAPUT XXI.

Rex Perseus Illyriorum regem Gentium, pacta pecunia, in societatem pertrahit: mittit deinde cum Illyriis legatis qui ad bellum contra Romanos incitent Rhodios: eodem tempore Eumenem quoque, & Antiochum solicitat.

23 DUm hæc in Italia geruntur, Perseus quod jam inchoatum perficere, quia impensa pecuniæ facienda erat, non inducebat in animum, ut Gentium Illyriorum regem sibi adjungeret; hoc, postquam intrasse saltum Romanos, & adesse discrimen ultimum belli animadvertit, non ultra differendum ratus, cum per Hippiam legatum CCC. argenti talenta pactus esset, ita ut obsides ultro citroque darentur, Pantaucum misit ex fidissimis amicis ad ea perficienda. Medione Labeatidis terræ Pantaucus regi Illyrio occurrit: ibi & jusjurandum ab rege & obsides accepit. Missus & a Gentio est legatus nomine Olympio, qui jusjurandum a Perseo obsidesque exigeret. Cum eodem ad pecuniam accipiendam missi sunt, & auctore Pantauco qui Rhodum legati cum Macedonibus irent, Parmenio & Morcus destinantur. Quibus ita mandatum, uti, jurejurando obsidibusque & pecunia accepta, tum demum Rhodum proficiscerentur. Duorum simul regum nomine incitari Rhodios ad bellum Romanum posse. Adjunctam civitatem, penes quã unam tum rei navalis gloria esset, nec terra nec mari spem relicturam Romanis. Venientibus Illyriis, Perseus ab Enipeo amni ex castris cum omni equitatu profectus, ad Dium occurrit. Ibi ea quæ convenerunt, circumfuso agmine equitum facta, quos adesse fœderi sancitæ cum Gentio societatis volebat rex, aliquantum eam rem ratus animorum iis adjecturam. & obsides in conspectu omnium dati acceptique: & Pellam ad thesauros regios missis, qui pecuniam acciperent, qui Rhodum irent cum Illyriis legatis, Thessalonicæ conscendere jussi. Ibi Metrodorus erat, qui nuper ab Rhodo venerat, auctoribusque Dione & Polyarato principibus civitatis ejus, affirmabat Rhodios paratos ad bellum esse. Is princeps junctæ cum Illyriis legationis datus est. 24 Eodem tempore ad Eumenem & ad Antiochum communia mandata, quæ subjicere conditio rerum poterat. *Natura inimica inter se esse liberam civitatem, & regem. Singulos P. R. aggredi, & quod indignius sit, regum viribus reges oppugnare. Attala*

talo adjutore patrem suum oppressum: Eumene adjuvante, & quadam ex parte etiam Philippo patre suo, Antiochum oppugnatum: in se nunc & Eumenem & Prusiam armatos esse. Si Macedoniæ regnum sublatum foret, proximam Asiam esse, quam jam ex parte sub specie liberandarum civitatum suam fecerint: deinde Syriã. Jam Prusiam Eumeni honore præferri, jam Antiochum victorem præmio belli ab Ægypto arceri. Hæc cogitantem providere jubebat, *ut aut ad pacem secum faciendam compelleret Romanos, aut perseverantes in bello injusto communes duceret omniũ regum hostes.* Ad Antiochum aperta mandata erant, ad Eumenem per speciem captivorum redimendorum missus legatus erat: verum occultiora quædam agebantur, quæ in præsentia invisum quidem & suspectum Romanis Eumenem falsis gravioribus criminibus onerarunt. Proditor enim ac prope hostis habitus, dum inter se duo reges captantes fraude & avaritia certant.

CAPUT XXII.

Eumenes a Perseo rege ad partes Romanorum deserendas solicitatus, tandem quia pactam pecuniam non accipit, eum relinquit: eadem avaritia alienantur a rege & Gallorum auxilia, quæ in Macedoniam advenerant, & rex Illyriorum Gentius, qui interim falsa spe instigatus, hostem in Romanos, violatis legatis, se gerit.

CYdas erat Cretensis ex intimis Eumenis: hic prius ad Amphipolim cum Chimaro quodam populari suo militante apud Persea, inde postea ad Demetriadem semel cum Menecrate quodam, iterum cum Antiocho regiis ducibus sub ipsis mœnibus urbis collocutus fuerat. * Eropon quoque, qui tum missus est, duabus ad eundem Eumenem jam ante legationibus functus erat. Quæ colloquia occulta, & legationes infames quidem erant, sed quid actum esset, quidve inter reges convenisset, ignorabatur. Res autem ita se habuit. Eumenes neque favit victoriæ Persei, neque bello eum invadere in animo habuit, non tam quia paternæ inter eos inimicitiæ erant, quam ipsorum odiis inter se accensæ. Non ea regum æmulatio, ut æquo animo Persea tantas adipisci opes, tantamque gloriam,

*al. Cryphõ.

25

riam, quanta Romanis victis eum manebat, Eumenes visurus fuerit. Cernebat & Persea jam inde ab initio belli omni modo spem pacis tentasse, & in dies magis, quo propior admoveretur terror, nihil neque agere aliud, neque cogitare: Romanos quoque, quia traheretur diutius spe ipsorum bellum, & ipsos duces & senatum non abhorrere a finiendo tam incommodo ac difficili bello. Hac utriusque partis voluntate explorata, quod fieri etiam sua sponte tædio validioris, metu infirmioris credebat posse, in eo suam operam venditare concilianda gratia magis cupiit. Nam modo ne juvaret bello Romanos terra marique, modo pacis patrandæ cum Romanis paciscebatur mercedem, ne bello interesset, M. & D. talenta. In utroque non fidem modo se, sed obsides quoque dare paratum esse ostendebat. Perseus ad rem inchoandam promtissimus erat, cogente metu, & de obsidibus accipiendis sine dilatione agebat, conveneratque ut accepti Cretam mitterentur. ubi ad pecuniæ mentionem ventum erat, ibi hæsitabat, & utique alteram in tanti nominis regibus turpem ac sordidam, & danti & magis accipienti mercedem esse. Malebat in spem Romanæ pacis non recusare impensam, sed eam pecuniam perfecta re daturum: interea Samothracæ in templo depositurum. Ea insula cum ipsius ditionis esset, videre Eumenes nihil interesse an Pellæ pecunia esset: id agere ut partem aliquam præsentem ferret. Ita nequicquam inter se captati nihil præter infamiam movere. Nec hæc tantum Perseo per avaritiam est dimissa res, cum * pecuniam tutam, & pacem habere per Eumenem, quæ vel parte regni redimenda esset, * ac receptus protrahere inimicum mercede onustum, & hostes merito ei Romanos posset facere: sed etiam Gentii regis parata societas, & tum Gallorum effusorum per Illyricum ingens agmen oblatum avaritia dimissum est. Veniebant X. millia equitum, par numerus peditum, & ipsorum jungentium cursum equis, & invicem prolapsorum equitum vacuos capientium ad pugnam equos. Hi pacti erant, eques denos præsentes aureos, pedes quinos, mille dux eorum. Venientibus his Perseus ab Enipeo ex castris profectus obviam cum dimidia copiarum parte, denuntiare per vicos urbesque quæ viæ propinquæ sunt, cœpit, ut commeatus expedirent; fru-

26

*al pe cu ni tan tula

*al aut

frumenti, vini, pecorum ut copia esset. Ipse equos phalerasque & sagula donum principibus ferre, & parum auri quod inter paucos divideret: multitudinem credens trahi spe posse. Ad * Almanam urbem pervenit, & in ripa fluminis Axii posuit castra. circa Desudabam in Mædica exercitus Gallorum consederat, mercedem pactam opperiens. Eo mittit Antigonum ex purpuratis unum, qui juberet multitudinem Gallorum ad Bylazora (Pæoniæ is locus est) castra movere; principes ad se venire frequentes. LXXV. millia ab Axio flumine, & castris regis aberant. Hæc mandata ad eos cum pertulisset Antigonus, adjecissetque per viam quanta omnium præparata cura regis copia multitudini foret, quibusque muneribus principes advenientes vestis, argenti, equorumque excepturus rex esset: de his quidem se coram cognituros respondent. Illud, quod præsens pepigissent, interrogant, *ecquid aurum, quod in singulos pedites equitesque dividendum esset, secum adduxisset?* Cum ad id nihil responderetur, Clondicus regulus eorum, *Abi, renuntia ergo*, inquit, *regi, nisi aurum obsidesque accepissent, nusquam inde Gallos longius vestigium motu*ros. Hæc relata regi cum essent, advocato consilio, cum quid omnes suasuri essent appareret, ipsæ pecuniæ quam regni melior custos, instititde perfidia, & feritate Gallorum disserere. *Multorum jam ante cladibus expertum, periculosum esse tantam multitudinem in Macedoniam accipere, ne graviores eos socios habeant, quam hostes Romanos. Quinque millia equitum sat esse, quibus & uti ad bellum possent, & quorum multitudinem ipsi non timeant*. Apparebat in omnibus mercedem multitudinis timere, nec quidquam aliud: sed cum suadere consulenti nemo auderet, remittitur Antigonus, qui renuntiaret quinque millium equitum opera tantum uti regem, contemnere multitudinem aliam. Quod ubi audivere barbari, cæterorum quidem fremitus fuit indignantium se frustra excitos sedibus suis: Clondicus rursus interrogat, *ecquid ipsis quinque millibus quod convenisset numeraret?* Cum adversus id quoque misceri ambages cerneret, inviolato fallaci nuntio (quod vix speraverat ipse posse contingere) retro ad Istrum, perpopulati Thraciam, qua vicina erat viæ, redierunt. Quæ manus quieto sedente rege ad Enipeum, adversus Romanos Perræbiæ saltum in Thes-

*al. Almanã.

27

Thessaliam traducta, non agros tantum nudare populando potuit, ne quos inde Romani commeatus expectarent: sed ipsas excindere urbes, tenente ad Enipeum Perseo Romanos, ne urbibus sociis opitulari possent. Ipsis quoque Romanis de se cogitandum fuisset, quando neque manere amissa Thessalia, unde exercitus alebatur, potuissent, neque progredi, cum ex adverso castra Macedonum essent: quo facto Perseus Romanorum animos confirmavit, & Macedonum, * qui ea pependerant spe, haud mediocriter debilitavit. Eadem avaritia Gentium regem sibi alienavit. Nam cum CCC. talenta Pellæ missis a Gentio numerasset, signare eos pecuniam passus est. Inde X. talenta ad Pantaucum missa, eaque præsentia dari regi jussit: reliquam pecuniam signatam Illyriorum signo portantibus suis præcipit parvis itineribus veherent: dein cum ad finem Macedoniæ ventum esset, subsisterent ibi, ac nuntios ab se opperirentur. Gentius exigua parte pecuniæ accepta, cum assidue a Pantauco ad lacessendos hostili facto Romanos stimularetur, M. Perpernam & L. Petillium legatos, qui tum forte ad eum venerant, in custodiam conjecit. Hoc audito Perseus, contraxisse eum necessitatem ratus ad bellum utique cum Romanis, ad revocandum qui pecuniam portabat, misit, velut nihil aliud agens, quam ut quanta maxima posset præda ex victo Romanis reservaretur. Et ab Eumene Eropon, ignotis quæ occulte acta erant, rediit. De captivis actum esse & ipsi evulgaverant: & Eumenes consulem vitandæ suspicionis caussa certiorem fecit.

CAPUT XXIII.

Prosperi regis Persei conatus adversus classem Eumenis.

Perseus post reditum ab Eumene Eropontis spe dejectus, Antenorem & Callippum præfectos classis cum XL. lembis (adjectæ ad hunc numerum quinque pristes erant) Tenedum mittit, ut inde sparsæ per Cycladas insulas naves, Macedoniam cum frumento petentes, tutarentur. Cassandreæ deductæ naves, in portus primum qui sub Atho monte sunt, inde Tenedum placido mari cum trajecissent, stantes in portu Rhodias apertas naves Eudamumque præfectum earum, * inviolatas, atque etiam benigne appellatos dimiserunt. Cognito deinde in latere altero quinquaginta onerarias suarum, stantibus in ostio portus Eumenis rostratis, quibus Damius præerat,

28

*al. inviolatos.

erat, inclusas esse, circumvectus propere, ac summotis terrore hostium navibus, onerarias, datis qui prosequerentur X. lembis, in Macedoniam mittit, ita ut in tutum prosecuti redirent Tenedum. Nono post die ad classem jam ad Sigeum stantem redierunt. Inde Subota (insula est interjecta Eleæ & Atho) trajiciunt. Forte postero die quam Subota classis tenuit, quinque & XXX. naves, quas hippagogos vocant, ab Elea profectæ cum equitibus Gallis equisque Phanas promontorium Chiorum petebant, unde transmittere in Macedoniam possent, Attalo ab Eumene mittebantur. Has naves per altum ferri cum ex specula signum datum Antenori esset, profectus a Subotis, inter Erythrarum promontoriũ Chiumque, qua arctissimum fretum est, iis occurrit. Nihil minus credere præfecti Eumenis, quam Macedonum classem in illo vagari mari: nunc Romanos esse, nunc Attalum, aut remissos aliquos ab Attalo ex castris Romanis Pergamum petere. Sed cum jam appropinquantium forma lemborum haud dubia esset, & concitatio remorum, directæque in se proræ hostes appropinquare aperuissent, tunc injecta trepidatio est, cum resistendi spes nulla esset, inhabilique navium genere, & Gallis vix quietem ferentibus in mari. Pars eorum, qui propiores continenti litori erant, in Erythream enarunt: pars velis datis ad Chium naves ejecere, relictisque equis effusa fuga urbem petebant. Sed propius urbem lembi accessuque commodiore cum exposuissent armatos, partim in via fugientes Gallos adepti Macedones ceciderunt, partim ante portam exclusos: clauserant enim Chii portam ignari qui fugerent aut sequerentur: DCCC. ferme Gallorum occisi, CC. vivi capti: equi pars in mari fractis navibus absumti, partim nervos succiderunt in litore Macedones XX. eximiæ equos formæ cum captivis, eosdem X. lembos, quos ante miserat, Antenor devehere Thessalonicam jussit, & primo quoque tempore ad classem reverti, Phanis se eos expectaturum. Triduũ ferme classis ad urbem stetit. Phanas inde progressi sunt, & spe celerius reversis X. lembis evecti Ægeo mari Delum trajecerunt.

CA-

CAPUT XXIV.

Romani, Macedones, & Eumenis navales socii, Delum venientes, nihil, propter sanctitatem loci, inter se hostiliter faciunt: Persei præfectus Antenor, Ægeum mare percurrens, in omnes naves, præterquam Macedonum, impetum facit.

29 DUm hæc geruntur, legati Romani C. Popillius & C. Decimius, & C. Hostilius a Chalcide profecti, tribus quinqueremibus Delum cum venissent, lembos ibi Macedonum XL. & V. regis Eumenis quinqueremes invenerunt. Sanctitas templi insulæque inviolatos præstabat omnes. Itaque permixti Romanique & Macedones, & Eumenis navales socii, in templo, inducias religione loci præbente, versabantur. Antenor Persei præfectus, cum aliquas alto præferri onerarias naves ex speculis significatum foret, parte lemborum ipse insequens, parte per Cycladas disposita, præterquam si quæ Macedoniam peterent, omnes aut supprimebat, aut spoliabat naves, quibus poterat Popillius aut Eumenis naves, succurrebat: sed victi nocte binis aut ternis plerunque lembis Macedones fallebant.

CAPUT XXV.

Advenientes Rhodum legati Macedones, Illyriique cum ea civitate jungunt societatem.

PEr id fere tempus legati Macedones Illyriique simul Rhodum venerunt: quibus auctoritatem addidit non lemborum modo adventus passim per Cycladas atque Ægeum vagantium mare, sed etiam conjunctio ipsa regum Persei Gentiique, & fama cum magno numero peditum, equitumque venientium Gallorum. Et jam cum accessissent animi Dioni ac Polyarato, qui Persei partium erant, non benigne modo responsum regibus est, sed palam pronuntiatum, bello finem se auctoritate sua impositoros esse. itaque ipsi quoque reges æquos adhiberent animos ad pacem accipiendam.

CAPUT XXVI.

Expeditio L. Anicii prætoris adversus Illyriorum regem Gentium, qui victus, veniens in deditionem, cum uxore, liberis, & propinquis Romam mittitur.

30 JAm veris principium erat, novique duces in provinciam venerant: COS. Æmilius in Macedoniam, Octavius Oreum ad classem, Anicius in Illyricum, cui bellandum adversus Gentium. Patre Pleurato rege Illyriorum, & matre Eu-

Eurydica genitus, fratres duos Pl:torem utroque parente, Caravantium matre eadem natum habuit. Hoc propter ignobilitatem paternam minus suspecto, Platorem occidit, & duos amicos ejus, Ettritum & Epicadum, impigros viros, quo tutius regnaret. Fama fuit Honuni Dardanorum principis filiam Etutam pacto fratri eum invidisse, tanquam his nuptiis adjungenti sibi Dardanorum gentem. & similius id vero fecit ducta ea virgo. Platore interfecto, gravis deinde demto fratris metu popularibus esse cœpit, & violentiam insitam ingenio intemperantia vini accendebat. Cæterum, sicut ante dictum est, ad Romanum incitatus bellum, Lissum omnes copias contraxit. XV. M. armatorum fuerunt. Inde fratre in Caviorum gentem vi aut terrore subigendam cum mille peditibus & quinquaginta equitibus misso, ipse ad Bassaniam urbem quinque millia ab Lisso ducit. Socii erant Romanorum: itaque per missos nuntios prius tentati, obsidionem pati quam dedere sese maluerunt. Caravantium in Caviis Durnium oppidum advenientem benigne accepit, Caravantis altera urbs exclusit: & cum agros eorum effuse vastaret, aliquot palati milites agrestium concursu interfecti sunt. Jam & Ap. Claudius, adsumtis ad eum exercitum quem habebat, Bulinorum & Apolloniatium & Dyrrhachinorum auxiliis, profectus ex hibernis circa Genusuum amnem castra habebat, audito fœdere inter Persea & Gentium, & legatorum violatorum injuria accensus, bellum haud dubie adversus eum gesturus. Anicius prætor eo tempore Apolloniæ auditis quæ in Illyrico gererentur, præmissisque ad Appium literis, ut se ad Genusuum opperiretur, triduo & ipse in castra venit: & ad ea, quæ habebat auxilia, assumtis Parthinorum juventutis duobus millibus peditum, & equitibus CC. (peditibus Epicadus, equitibus Agalsus præerat) parabat ducere in Illyricum, maxime ut Bassanitas solveret obsidione. tenuit impetum ejus fama lemborum vastantium maritimam oram. LXXX. erant lembi auctore Pantauco missi a Gentio ad Dyrrhachinorum & Apolloniatium agros populandos. Tum classis ad

Per-

* * * *

Persequebatur hic res gestas ab Anicio prætore adversus Gentium, maxime vero eas quas mari gesserat: desideratur etiam initium earum rerum quas terra gessit; statim enim loquitur de deditione urbium.

31 to eo tradiderunt se. Deinceps & urbes regionis ejus idem faciebant, adjuvante inclinationem animorum clementia in omnes & justitia prætoris Romani. Ad Scodram inde ventum est, id quod belli caput fuerat, non eo solum quod Gentius eam sibi ceperat velut regni totius arcem, sed etiam quod Labeatium gentis munitissima longe est, & difficilis aditu. Duo cingunt eam flumina, Claufala latere urbis quod in orientem patet præfluens, Barbana ab regione occidentis ex Labeatide palude oriens. Hi duo amnes confluentes incidunt Oriūdi flumini: quod ortum ex monte Scodro, multis, & aliis auctum aquis mari Adriatico infertur. Mons Scodrus, longe altissimus regionis ejus, ab oriente Dardaniam subjectam habet, a meridie Macedoniam, ab occasu Illyricum. Quanquam munitum situ naturali oppidum erat, gensque id tota Illyriorum & rex ipse tuebatur, tamen prætor Romanus, quia prima successerant prospere, fortunam totius rei principia secuturam esse ratus, & repentinum valiturum terrorem, instructo exercitu ad mœnia succedit. Quod si clausis portis muros portarumque turres dispositis armatis defendissent, vano cum incœpto mœnibus pepulissent Romanos. Nunc porta egressi prælium loco æquo majore animo commiserunt quam sustinuerunt. Pulsi enim, & fuga conglobati, cum CC. amplius in ipsis faucibus portæ cecidissent, tantum intulerunt terrorem, ut oratores extemplo ad prætorem mitteret Gentius Teuticum & Bellum principes gentis, per quos inducias peteret, ut deliberare de statu rerum suarum posset. Triduo in hoc dato, cum castra Romana quingentos ferme passus ab urbe abessent, navem conscendit, & flumine barbana navigat in lacum Labeatum, velut secretum locum petens ad consultandum: sed ut apparuit, falsa spe excitus,

Ca-

Caravantium fratrem multis millibus armatorum actis ex ea regione, in quam missus erat, adventare. qui postquam evanuit rumor, tertio post die navem eandem secundo amni Scodram demisit: præmissisque nuntiis ut sibi appellandi prætoris potestas fieret; copia facta, in castra venit. Et principium orationis ab accusatione stultitiæ orsus suæ, postremo ad preces lacrymasque effusus, genibus prætoris accidens, in potestatem sese dedit. Primo bonum animum habere jussus, ad cœnam etiam invitatus, in urbem ad suos rediit, & cum prætore eo die honorifice est epulatus: deinde in custodiam C. Cassio tribuno militum traditus, vix gladiatorio accepto X. talentis ab rege rex, ut in eam fortunam recideret. Anicius, Scodra recepta, nihil prius quam requisitos Petillium Perpernamque legatos ad se duci jussit, quibus splendore suo restituto, Perpernam extemplo mittit ad comprehendendos amicos cognatosque regis: qui Medeonem Labeatium gentis urbem profectus, Etlevam uxorem cum filiis duobus Scerdileto Pleuratoque, & Caravantium fratrem Scodram in castra adduxit. Anicius bello Illyrico intra XXX. dies perfecto, nuntium victoriæ Perpernam Romam misit, & post dies paucos Gentium regem ipsum cum parente conjuge ac liberis ac fratre aliisque principibus Illyriorum. Hoc unum bellum prius perpetratum quam cœptum Romæ auditum est.

CAPUT XXVIII.

Perseus, advenientibus Æmilio Cos., & Octavio prætore, præsidiis regnum suum munit.

Quibus diebus hæc agebantur, Perseus quoque in magno terrore erat, propter adventum simul Æmilii novi consulis, quem cum ingentibus minis adventare audiebat, simul Octavii prætoris. Nec minus terroris a classe Romana & periculo maritimæ oræ habebat. Thessalonicæ Eumenes & Athenagoras præerant cum parvo præsidio MM. cetratorum. Eo & Androclen præfectum mittit, jussum sub ipsis navalibus castra habere. Æniam M. equites cum Antigono misit ad tutandam maritimam oram, ut quocumque litore applicuisse naves hostium audissent, extemplo ferrent agrestibus opem. V. M. Macedonum missa ad præsidium Pythii & Petræ, quibus præpositi erant Histiæus & Theogenes & Milo. His profectis, ripam munire Enipei flu-

*al. ope- ri huic minis aggressus est: quia sicco alveo transiri poterat Huic ut * omnis multitudo vacaret, feminæ ex propinquis urbibus coactæ cibaria in castra afferebant. iles jussus ex propinquis ... lvis

CAPUT XXIX.

Orsus erat dicere, quæ Perseus rex ad famam adventus Pauli Cos. parassent; cujus narrationis pars extrema intercidit, una cum initio expositionis ejus, qua, quæ Paulus moliri cœpit, ubi in Macedoniam pervenit, prodit.

Æmilius cos. inopiam aquarum in monte Olympo levat.

53 postremo sequi se utrarios ad ma e, quod minus CCC. passus aberat, jussit, & in litore alios alibi modicis intervallis fodere. montes ingentis altitudinis spem faciebant eo magis, quia nullos apertos evergerent rivos, occultos continere latices, quorum venæ in mare permanantes undæ miscerentur Vix deducta summa arena erat, cum scaturigines turbidæ primo & tenues emicare, dein liquidam multamque fundere aquam velut deum dono cœperunt. Aliquantum ea quoque res duci famæ & auctoritatis apud milites adjicit.

CAPUT XXX.

Consulis Pauli Æmilii egregia cura, ut in exercitu omnia recto ordine fiant, & ad nutum, imperiumque ducis.

JUssis deinde militibus expedire arma, ipse cum tribunis primisque ordinibus vadit ad contemplandos transitus, qua descensus facilis armatis, qua in ulteriorem ripam minime iniquus ascensus esset. His satis exploratis, illa quoque primum ut ordine ac sine tumultu omnia in agmine ad nutum imperiumque ducis fierent, providit. Ubi omnibus simul pronuntiaretur quod fieret, neque omnes exaudirent, incerto imperio accepto alios ab se adjicientes, plus eo quod imperatum sit, alios minus facere: clamores deinde dissonos oriri omnibus locis, & prius hostes quam ipsos quid paretur scire.

ſcire. Placere igitur, tribunum militum primo pilo legionis ſecretum edere imperium: illum, & dein ſingulos proximo cuique in ordine cẽturioni dicere, quid opus facto ſit, ſive a primis ſignis ad noviſſimum agmen, ſive ab extremis ad primos perferendum imperium ſit. Vigiles etiam novo more ſcutum in vigiliam ferre vetuit: non enim in pugnam vigilem ire, ut armis utatur, ſed vigilandum, ut cum ſenſerit hoſtium adventum, recipiat ſe, excitetque ad arma alios. Scuto præ ſe erecto ſtare galeatos: deinde ubi feſſi ſint, innixos pilo, capite ſuper marginem ſcuti poſito ſopitos ſtare: ut fulgentibus armis procul conſpici ab hoſte poſſit, ipſe nihil provideat. Stationum quoque morem mutavit. armati omnes, & frænatis equis equites diem totum perſtabant. id cum æſtivis diebus urente aſſiduo ſole fieret, tot horarum æſtu & languore ipſos equoſque feſſos integri ſæpe adorti hoſtes vel pauci plures vexabant. Itaque ex matutina ſtatione ad meridiem decedi, & in poſtmeridianam ſuccedere alios juſſit. ita nunquam fatigatos recens hoſtis aggredi poterat. Hæc

34 cum ita fieri placere concione advocata pronuntiaſſet, adjecit urbanæ concioni convenientem orationem: *Unum imperatorem in exercitu providere & conſulere, quid agendum ſit, debere, nunc per ſe, nunc cum iis quos advocaverit in conſilium. qui non ſint advocati, eos nec palam, nec ſecreto jactare conſilia ſua. Militem hæc tria curare debere, corpus ut quam validiſſimum & perniciſſimum habeat, arma apta, *animum* paratum ad ſubita imperia: cætera ſcire de ſe dis immortalibus & imperatori ſuo curæ eſſe. In quo exercitu milites, conſul, & imperator rumoribus vulgi circumagatur, ibi nihil ſalutare eſſe. Se, quod ſit officium imperatoris, proviſurum, ut bene gerendæ rei occaſionem eis præbeat. illos nihil quod futurum ſit quærere. ubi datum ſignum ſit, tum militarem operam navare.* Ab his præceptis concionem dimiſit, vulgo etiam veteranis fatentibus, ſe illo primum die tamquam tyrones quid agendum eſſet in re militari, didiciſſe. Non ſermonibus tantum his, cum quanto aſſenſu audiſſent verba conſulis, oſtenderunt, ſed rerum præſens effectus erat. Neminem totis mox caſtris quietum videres: acuere alii gladios, alii galeas bucculaſque, ſcuta alii loricaſque tergere, alii aptare corpori arma, experirique ſub his

(margin: 34; al. cibum)

brorum agilitatem, quatere alii pila, alii micare gladiis, mucronemque intueri: ut facile quis cerneret, ubi primum conserendi manum cum hoste data occasio esset, aut victoria egregia, aut morte memorabili * inituros bellum. Perseus quoque, cum adventu consulis simul & veris principio strepere omnia moverique apud hostes velut novo bello cerneret, mota a Phila castra in adversa ripa posita, nunc ad contemplanda opera sua circumire ducem, haud dubie transitus speculantem,

* al. finituros.

* * * * *

CAPUT XXXI.

Hic enarrabantur ea, quæ Perseus post Pauli adventum adversus eum se comparans egit, de quibus scribere erat ingressus. Horum autem verborum hæc erat sententia: Nuntiatum est Gentium regem „ superatum, ipsumque cum regno in po„ testate Romanorum esse Quæ res Roma„ nis auxit animos, Macedonibus, regique „ eorum haud mediocriter attulit terrorem.

norum esse. Quæ res Romanis auxit animos: Macedonibus regique eorum haud mediocrem attulit terrorem. Et primo supprimere in occulto famam ejus rei est conatus, missis qui Pantaucum inde venientem appropinquare castris vetarent: sed jam & pueri quidam visi ab suis erant inter obsides Illyrios ducti: & quo quæque accuratius * curantur, eo facilius loquacitate regiorum ministrorum emanant.

35

* al. celantur.

CA-

CAPUT XXXII.

Legati Rhodiorum venientes cum mandatis de pace ad Æmilium cos., castra ad Enipeum flumen habentem, iniquis auribus audiuntur: Cos., agitato de ratione belli consilio, quia per flumen vim in hostem facere difficile est, statuit aggredi alia via: interim missis qui maritimam Macedoniæ oram vastarent, ipse ut hostem distineat, in ipso Enipei alveo certamina committit.

SUb idem tempus Rhodii legati in castra venerunt, cum iisdem de pace mandatis, quæ Romæ ingentem iram patrum excitavere. Multo iniquioribus animis a castrensi consilio auditi sunt. Itaque cum alii præcipites sine responso agendos castris, * pronuntiavit post diem quintumdecimum se responsum daturum. Interim, ut appareret quantum pacificantium Rhodiorum auctoritas valuisset, consultare de ratione belli gerendi cœpit. Placebat quibusdam, & maxime majoribus natu, per Enipei ripam munitionesque vim facere: confertis & vim facientibus resistere Macedonas non posse: ex tot castellis aliquanto altioribus ac munitioribus, quæ validis præsidiis insedissent, priore anno dejectos. Aliis placebat Octavium cum classe Thessalonicam petere: & populatione maritimæ oræ distringere copias regias, ut, altero ab tergo se ostendente bello, circumactus ad interiorem partem regni tuendam nudare aliqua parte transitus Enipei cogeretur. Ipsi natura & operibus inexuperabilis ripa videbatur, & præterquam quod tormenta ubique disposita essent, missilibus etiam melius & certiore ictu hostes uti audierat. Alio spectabat mens tota ducis: dimissoque concilio Perræbos mercatores, Schœnum & Menophilum, notæ & fidei jam sibi & prudentiæ homines, accersitos, secreto percunctatur, quales ad Perræbiam transitus sint. Cum loca non iniqua esse dicerent, præsidiis autem regis obsideri, spem cepit, si nocte improviso valida manu aggressus nec opinantes esset, dejici præsidia posse. Jacula enim & sagittas & cætera missilia in tenebris, ubi, quid petatur, procul provideri nequeat, inutilia esse: gladio cominus geri rem in permixta turba, quo miles Romanus vincat. His ducibus usurus, prætorem Octavium accersitum, exposito quid pararet, Heracleam cum classe petere jubet, & mille hominibus

decem dierum cocta cibaria habere. Ipse P. Scipionem Nasicam, Q. Fabium Maximum filium suum cum quinque delectis millibus Heracleam mittit, velut classem conscensuros ad maritimam oram interioris Macedoniæ, quod in consilio agitatum erat, vastandam. Secreto indicatum cibaria his præparata ad classem esse, ne quid eos moraretur. Inde jussi duces itineris ita dividere viam, ut quarta vigilia tertio die Pythium adoriri possent. Ipse postero die, ut distineret regem ab circumspectu rerum aliarum, prima luce medio in alveo cum stationibus hostium prælium commisit: pugnatumque utrinque est levi armatura: nec gravioribus armis in tam inæquali alveo pugnari poterat. Descensus ripæ utriusque in alveum trecentorum ferme passuum erat; medium spatium torrentis alibi aliter cavati paullo plus quam mille passus patebat. ibi in medio, spectantibus utrinque ex vallo castrorum, hinc rege, hinc consule cum suis legionibus, pugnatum est. Missilibus procul regia auxilia melius pugnabant: cominus stabilior & tutior aut parma, aut scuto Ligustino Romanus erat. Meridie fere receptui cani suis consul jussit. ita eo die diremtum prælium est, haud paucis utrinque interfectis. Sole orto postero die, irritatis certamine animis, etiam acrius concursum est: sed Romani non ab his tantum, cum quibus contractum certamen erat, sed multo magis ab ea multitudine, quæ disposita in turribus stabat, omni genere missilium telorum ac saxis maxime vulnerabantur. Ubi propius ripam hostium subissent, tormentis missa etiam ad ultimos perveniebant. Multo pluribus eo die amissis, consul paullo serius recepit suos. Tertio die prælio abstinuit, digressus ad imam partem castrorum, veluti per devexum in mare brachium transitum tentaturus.

CAPUT XXXIII.

PErseus quod in oculis erat. * *

* * *

Jam aggressurus erat dicere, quemadmodum Perseus Nasicæ, & Fabio, qui cum magna manu Perseum ab alia parte ut adorirentur missi erant. * Igitur & hæc desiderantur, & quemadmodum Paulus post sit consecutus Nasicam.

al. b- i- s- et.

P. Æmilius cos. fessos itinere, atque æstu milites in pugnam, cujus facultatem dat Perseus, non ducit; quamvis, ut oblata occasione utatur, suadeat Nasica.

36 anni post circumactum solstitium erat, hora diei jam ad meridiem vergebat: iter multo pulvere & incalescente sole factum erat: lassitudo & sitis jam sentiebatur, & meridie instante magis accessurum utrumque apparebat: statuit sic affectos recenti atque integro hosti non objicere. Sed tantus ardor in animis ad dimicandum utrinque erat, ut consuli non minore arte ad suos eludendos, quam ad hostes opus esset. Nondum omnibus instructis, instabat tribunis militum, ut maturarent instruere: circumibat ipse ordines, animos militum hortando in pugnam accendebat. Ibi primo alacres signum poscebant: deinde quantum increscerct æstus, & vultus minus vigentes, & voces segniores erant, & quidam incumbentes scutis nixique pilis stabant. Tum jam aperte primis ordinibus imperat, metarentur frontem castrorum, & impedimenta constituerent. Quod ubi fieri milites sensere, alii gaudere palam, quod fessos viæ labore, flagrantissimo æstu non coegisset pugnare. Legati circa imperatorem ducesque externi erant, inter quos & Attalus, omnes approbantes, cum pugnaturum consulem credebant. Neque enim ne his cunctationem aperuerat suam. Tunc mutatione consilii subita cum alii silerent, Nasica unus ex omnibus ausus est monere consulem, *ne hostem quidem * ludificatos priores * imperatores, fugiendo certamen manibus * emittere. vereri ne nocte abeat, sequendus maximo labore, ac periculo in intima Macedoniæ, exercitusque, sicut prioribus ducibus, per calles saltusque Macedonicorum montium vagando circumagatur. Se magnopere suadere, dum in campo*

* al. ludificatum. * al. emitteret.

campo patenti hostem habeat, aggrediatur, nec oblatam occasionem vincendi amittat. Consul nihil offensus libera admonitione tam clari adolescentis: *Et ego,* inquit *animum istum habui, Nasica, quem tu nunc habes: & quem ego nunc habeo, tu habebis. Multis belli casibus didici, quando pugnandum, quando abstinendum pugna sit. Non operæ sit stanti nunc in acie docere, quibus de caussis hodie quiesse melius sit: rationes alias reposcito, nunc auctoritate veteris imperatoris contentus eris.* Conticuit adolescens. haud dubie videre aliqua impedimenta pugnæ consulem, quæ sibi non apparerent. 37 Paulus postquam metata castra, impedimentaque collocata animadvertit, ex postrema acie triarios primos subducit; deinde principes, stantibus in prima acie hastatis: si quid hostis moveret: postremo hastatos, ab dextro primum cornu singulorum paullatim signorum milites subtrahens. Ita pedites equitibus cum levi armatura ante aciem hosti oppositis, sine tumultu abducti. nec ante quam prima frons valli ac fossa perducta est, ex statione equites revocati sunt. Rex quoque, cum sine detrectatione paratus pugnare eo die fuisset, contentus, quod per hostem moram fuisse pugnæ scirent, & ipse in castra copias reduxit.

CAPUT XXXIV.

C. Sulpitius Gallus, tribunus militum, Romano exercitui futuram proxima nocte lunæ defectionem, ne eam rem in prodigium accipiat, prædicit.

Castris permunitis C. Sulpitius Gallus tribunus militum secundæ legionis, qui prætor superiore anno fuerat, consulis permissu ad concionem militibus vocatis pronuntiavit, *nocte proxima, ne quis id pro portento acciperet, ab hora secunda usque ad quartam horam noctis lunam defecturam esse: id quia naturali ordine statis temporibus fiat, & sciri ante & prædici posse. Itaque quemadmodum, quia certi solis lunæque & ortus & occasus sint, nunc pleno orbe, nunc senescente exiguo cornu fulgere lunam non mirarentur: ita ne obscurari quidem, cum condatur umbra terræ, trahere in prodigium debere.* Nocte, quam pridie Non. septembris insecuta est dies, edita hora luna cum defecisset, Romanis militibus Galli sapientia prope divina videri: Macedonas, ut triste prodigium, occasum regni perniciemque gentis portendens movit, nec aliter vates. clamor ululatusque in castris Macedonum fuit, donec luna in suam lucem emersit.

CAPUT XXXV.

Æmilius Cos., antequam prælio cum Perseo congrediatur, militibus dilatæ pugnæ rationem reddit: acie deinde confligens, regem ingenti clade superat, & fugat.

POstero die tantus utrique ardor exercitui ad concurrendum fuerat, ut & regem & consulem suorum quidam, quod sine prælio discessum esset, accusarent. Regi promta defensio erat, non eo solum quod hostis prior aperte pugnam detrectans in castra copias reduxisset: sed etiam quod eo loco signa constituisset, quo phalanx, quam inutilem vel mediocris iniquitas loci efficeret, promoveri non posset. Consul ad id, quod pridie prætermisisse pugnandi occasionem videbatur, & locum dedisse hosti, si nocte abire vellet; tunc quoque per speciem immolandi terere videbatur tempus, cum luce prima signum propositum pugnæ ad exeundum in aciem fuisset. Tertia demum hora, sacrificio rite perpetrato, concilium advocavit, atque ibi, quod rei gerendæ tempus esset, loquendo & intempestive consultando videbatur quibusdam extrahere: post sermones tamen consul orationem habuit. 38 P. *Nasica egregius adolescens, ex omnibus unus, quibus hesterna die pugnari placuit,* * *denunciavit mihi suum consilium: idem postea, ita ut transisse in sententiam meam videri posset, tacuit. Quibusdam aliis absentem carpere imperatorem, quam præsentem monere, melius visum est. Et tibi, P. Nasica, & quicumque idem, quod tu, occultius senserunt, non gravabor reddere dilatæ pugnæ rationem. Nam tantum abest, ut me hesternæ quietis pœniteat, ut servatum a me exercitum eo consilio credam. In qua me opinione esse ne quis sine caussa vestrum credat, recognoscat agedum mecum, si videtur, quam multa pro hoste, & adversus nos fuerint. Jam omnium primum quantum numero nos præstent, neminem vestrum nec ante ignorasse, & hesterno die* ** *implicatam intuentes aciem, animadvertisse certum habeo. Ex hac nostra paucitate, quarta pars militum præsidio impedimentis relicta erat: nec ignavissimum quemque relinqui ad custodiam sarcinarum scitis. Sed fuerimus omnes: parvum hoc tandem esse credimus, quod ex his castris, in quibus hac nocte mansimus, exituri in aciem hodierno, aut summum crastino die, si ita videbitur, diis bene juvantibus, sumus? Nihil ne interest, utrum militem, quem neque viæ labor hodie neque operis fatigaverit, requietum, integrum in tentorio suo arma*

* al. denunciavit.

** al. explicatam.

 ma

ma capere jubeas, atque in aciem plenum virium, vigentem & corpore & animo educas, an longo itinere fatigatum, & onere fessum, madentem sudore, * ardentibus siti faucibus, ore atque oculis repletis pulvere, torrentem meridiano sole, hosti objicias recenti, quieto, qui nulla re ante consumtas vires ad prælium adferat? Quis, pro deum fidem, ita comparatus vel iners atque imbellis fortissimum virum non vicerit? quid quod, hostes per summum otium instruxerant aciem, reparaverant animos, stabant compositis suis quisque ordinibus: nobis tunc repente trepidandum in acie instruenda erat, & incompositis concurrendum? At Hercule aciem quidem inconditam inordinatamque habuissemus, castra munita, provisam aquationem, tutum ad eam iter præsidiis impositis, explorata circa omnia: an nihil nostri habentes præter nudum campum in quo pugnaremus? Majores vestri castra munita, portum ad omnes casus exercitus ducebant esse, unde ad pugnam exirent, quo jactati tempestate pugnæ receptum haberent. Ideo cum munimentis ea sepissent, præsidio quoque valido firmabant: quod qui castris exutus erat, etiamsi pugnando acie vicisset, pro victo haberetur. Castra sunt victori receptaculum, victo perfugium. Quam multi exercitus, quibus minus prospera pugnæ fortuna fuit, intra vallum compulsi, tempore suo, interdum momento post eruptione facta victorem hostem pepulerunt? Patria altera est militaris hæc sedes, vallumque pro mœnibus: & tentorium suum cuique militi domus ac penates sunt. Sine ulla sede vagi dimicassemus, ut quo victores nos reciperemus? His difficultatibus & impedimentis pugnæ illud opponitur. Quid si hostis hac interposita nocte abisset, quantum rursus sequendo eo penitus in ultimam Macedoniam exhauriendum laboris erat? Ego autem neque mansurum eum, neque in aciem copias educturum fuisse certum habeo, si cedere hinc statuisset. Quanto enim facilius abire fuit cum procul abessemus, quam nunc cum in cervicibus sumus? Nec falleret nos, nec interdiu nec nocte abeundo. Quid autem est nobis optatius, quam ut quorum castra prealta fluminis ripa tuta, vallo insuper septa ac crebris turribus oppugnare adorti sumus, eos relictis munimentis agmine effuso abeuntes, in patentibus campis ab tergo adoriamur? Hæ dilatæ pugnæ ex hesterno die in hodiernum caussæ fuerunt. Pugnare enim & ipsi mihi placet: & ideo quia per Enipeum amnem septa ad hostem via erat, alio saltu dejectis hostium

* al. arē-tib.

39

stium præsidiis novum iter aperui, neque priusquam debellavero, absistam. Post hanc orationem silentium fuit, partim traductis in sententiam ejus, partim verentibus nequicquam offendere in eo, quod utcunque prætermissum revocari non posset. Ac ne illo ipso quidem die aut consule, aut rege optante pugnatum est. rege, quod nec fessos ut pridie ex via, neque trepidantes in acie instruenda & vixdum compositos aggressurus erat: consule, quod in novis castris non ligna, non pabulum convectum erat, ad quæ petenda ex propinquis agris magna pars militum e castris exierat. neutro imperatorum volente, fortuna, quæ plus consiliis humanis pollet, contraxit certamen. Flumen erat haud magnum propius hostium castris, ex quo & Macedones & Romani aquabantur, præsidiis ex utraque ripa positis, ut id facere tuto possent. Duæ cohortes a parte Romanorum erant, Marrucina & Peligna: duæ turmæ Samnitium equitum, quibus præerat M. Sergius Silus legatus: & aliud pro castris stativum erat præsidium. sub C. Cluvio legato tres cohortes Firmana, Vestina, Cremonensis; duæ turmæ equitum, Placentina, & Æsernina. Cum otium ad flumen esset, neutris lacessentibus, hora circiter quarta jumentum, e manibus curantium elapsum, in ulteriorem ripam effugit. Quod cum per aquam ferme genu tenus altam tres milites sequerentur, Thraces duo id jumentum ex medio alveo in suam ripam trahentes ** altero eorum occiso, receptoque eo jumento ad stationem suorum se recipiebant. Octingentorum Thracum præsidium in hostium ripa erat. ex his pauci primo ægre passi popularem in suo conspectu cæsum, ad persequendos interfectores fluvium transgressi sunt: dein plures, postremo omnes, & cum præsidio

* * *

Persecuturus erat, quemadmodum utrinque exercitus ad prælium concurrissent, initio pugnæ in flumine orto. Ergo cum commissum prælium esset, atque acriter ab utraque parte pugnaretur, Paulus legionem, inquit, in prælium ducit.

CAPUT XXXVI.

41 prælium ducit. Movebat imperii majestas, gloria viri, ante omnia ætas, quod major LX. annis juvenum munia in parte præcipua laboris periculique capessebat. Intervallum quod inter cetratos & phalanges erat, implevit legio, atque aciem hostium interrupit. A tergo cetratis erat, frontem adversus clypeatos habebat: aglaspides appellabantur. Secundam legionem L. Albinus consularis ducere adversus Leucaspidem phalangem jussus: ea media acies hostium fuit. In dextrum cornu, unde circa fluvium commissum prælium erat, elephantes inducti, & ala sociorum: & hinc primum fuga Macedonum est orta. Nam sicut pleraque nova commenta mortalium in verbis vim habent, * experiendo, cum agi, non quemadmodum agantur, edisseri oportet, sine ullo effectu evanescunt; ita tum elephanti in acie nomen tantum sine usu fuerunt. Elephantorum impetum subsecuti sunt socii nominis Latini, pepuleruntque lævum cornu. In medio secunda legio missa dissipavit phalangem. neque ulla evidentior caussa victoriæ fuit, quam quod multa passim prælia erant, quæ fluctuantem turbarunt primo, deinde disjecerunt phalangem: cujus confertæ, & intentis horrentis hastis intolerabiles vires sunt. Si carptim aggrediendo circumagere immobilem longitudine & gravitate hastam cogas, confusa strue implicantur: si vero aut ab latere, aut ab tergo aliquid tumultus increpuit, ruinæ modo turbantur: sicut tum adversus catervatim incurrentes Romanos, & interrupta multifariam acie obviam ire cogebantur: & Romani quacunque data intervalla essent, insinuabant ordines suos. Qui si universa acie in frontem adversus instructam phalangem concurrissent, quod Pelignis principio pugnæ incaute congressis adversus cetratos evenit, induissent se hastis, nec confertam aciem sustinuissent. Cæterum sicut peditum passim cædes fiebant, nisi qui abjectis armis fugerunt, sic equitatus prope integer pugna excessit. Princeps fugæ rex ipse erat. jam a Pydna cum sacris alis equitum Pellam petebat, confestim * Costocus sequebatur, Odrysarumque equitatus. cæteræ quoque Macedonum alæ integris abibant ordinibus: quia interjecta peditum acies, cujus cædes victores tenebant, immemores fecerat sequendi equites. Diu phalanx a fronte, a lateribus, ab

42

* al. exemplo, eum agi, non quemadmodum agantur, edisseri oportet.

* al. Cotys.

ab tergo cæsa est; postremo qui ex hostium manibus elapsi erant, inermes ad mare fugientes, quidam aquam etiam ingressi, manus ad eos qui in classe erant tendentes, suppliciter vitam orabant: & cum scaphas concurrere undique ab navibus cernerent, ad excipiendos sese venire rati, ut caperent potius quam occiderent, longius in aquam quidam etiam natantes progressi sunt. Sed cum hostiliter e scaphis cæderentur, retro qui poterant nando repetentes terram, in aliam fœdiorem pestem incidebant: elephanti enim ab rectoribus ad litus acti exeuntes obterebant elidebantque Facile conveniebat Romanis nunquam una acie tantum Macedonum interfectum: cæsa enim ad XX. millia hominum sunt, ad sex millia, qui Pydnam ex acie perfugerant, vivi in potestatem pervenerunt: & vagi e fuga quinque millia hominum capta. Ex victoribus ceciderunt non plus centum, & eorum multo major pars Peligni: vulnerati aliquanto plures sunt. Quod si maturius pugnari cœptum esset, ut satis diei victoribus ad persequendum superesset, deletæ omnes copiæ forent: nunc imminens nox & fugientes texit, & Romanis pigritiem ad sequendum locis ignotis fecit. Perseus ad Pieriam sylvam via militari frequenti agmine equitum & regio comitatu fugit. Simul in sylvam ventum est, ubi plures diversæ semitæ erant, & nox appropinquabat, cum perpaucis maxime fidis via divertit. Equites sine duce relicti alii alia in civitates suas dilapsi sunt: perpauci inde Pellam celerius, quam ipse Perseus, quia recta expedita via ierant, pervenerunt. Rex ad mediam ferme noctem terrore & variis difficultatibus viæ vexatus est. In regia Perseo qui Pellæ præerat Euctus regiique pueri præsto erant: contra ea amicorum qui alii alio casu servati ex prælio Pellam venerant, cum sæpe accersiti essent, nemo ad eum venit. Tres erant tantum cum eo fugæ comites, Evander Cretensis, Neo Bœotius, & Archidamus Ætolus. Cum iis jam metuens ne qui venire ad se abnuerent, majus aliquid mox auderent, quarta vigilia profugit. Secuti sunt eum admodum quingenti Cretenses: petebat Amphipolim, sed nocte a Pella exierat, properans ante lucem Axium amnem trajicere, eum finem sequendi propter difficultatem transitus fore ratus Romanis. Consulem, cum se in castra victor recepisset,

43

44

pisset, ne sincero gaudio frueretur, cura de minore filio stimulabat. P. Scipio is erat, Africanus & ipse postea deleta Carthagine appellatus, naturalis consulis Pauli: adoptione Africani nepos. Is decimumseptimum tunc annum agens, quod ipsum curam augebat, dum effuse sequitur hostes, in partem aliam turba ablatus erat: & serius cum redisset, tunc demum recepto sospite filio, victoriæ tantæ gaudium consul sensit.

CAPUT XXXVII.

Perlata Amphipolim fama adversæ Macedonum pugnæ, Diodorus præfectus timens, ne Thraces, qui in præsidio sunt, urbem diripiant, eos callide consilio dimittit.

AMphipolim cum jam fama pugnæ pervenisset, concursusque matronarum in templum Dianæ, quam Tauropolon vocant, ad opem exposcendam fieret, Diodorus, qui præerat urbi, metuens, ne Thraces, quorum duo millia in præsidio erant, urbem in tumultu diriperent, ab subornato ab se per fallaciam in tabellarii speciem literas in foro medio accepit. Scriptum in iis erat, *ad Emathiam classem Romanam appulsam esse, agrosque circa vexari: orare præfectos Emathiæ, ut præsidium adversus populatores mittat.* His lectis hortatur Thracas, *ut ad tuendam Emathiæ oram proficiscantur: magnam eos cædem prædamque palatis passim per agros Romanis facturos.* simul elevat famam adversæ pugnæ: *quæ si vera foret, alium super alium recentes ex fuga venturos fuisse.* Per hanc caussam Thracibus ablegatis, simul transgressos eos Strymonem vidit, portas clausit.

CAPUT XXXVIII.

Æmilius Cos. de victo Perseo rege victoriæ nuntios Romam mittit: accepta in deditionem fere omni Macedonia, regem fugientem insequitur.

TErtio die Perseus quam pugnatum erat, Amphipolim venit: inde oratores cum caduceo ad Paulum misit. Interim Hippias & Milo & Pantaucus principes amicorum regis Beræam, quo ex acie confugerant, ipsi ad consulem profecti Romanis dedunt: hoc idem & aliæ deinceps metu perculsæ parabant facere. COS. nuntiis victoriæ Q. Fabio filio, & L. Lentulo, & Q. Metello cum literis Romam missis, spolia jacentis hostium exercitus peditibus concessit; equitibus prædam circumjecti agri, dum ne amplius duabus noctibus a castris abessent. Ipse propius mare ad Pydnam castra movit. Berœa primum, deinde

45

inde Thessalonica, & Pella, & deinceps omnis ferme Macedonia intra biduum dedita. Pydnæi, qui proximi erant, nondum miserant legatos: multitudo incondita plurium simul gentium, turbaque quæ ex acie fuga in unum compulsa erat, consilium & consensum civitatis impediebat: nec clausæ modo portæ, sed etiam inædificatæ erant. Missi Milo & Pantaucus sub muros ad colloquium Solonis, qui præsidio erat: per eum emittitur militaris turba. oppidum deditum militibus datur diripiendum. Perseus una tantum spe Bisaltarum auxilii tentati, ad quos nequicquam miserat legatos, in concionem processit, Philippum secum filium habens, ut & ipsos Amphipolitanos, & equitum peditumque, qui aut semper secuti, aut fuga eodem delati erant, adhortando animos confirmaret. Sed aliquoties dicere incipientem cum lacrymæ præpedissent, quia ipse dicere nequit, Evandro Cretensi editis quæ agi cum multitudine vellet, de templo descendit. Multitudo sicut ad conspectum regis fletumque tam miserabilem & ipsa ingemuerat lacrymaveratque, ita Evandri orationem aspernabatur: & quidam ausi sunt media ex concione succlamare, *Abite hinc, ne qui pauci supersumus, propter vos pereamus.* Horum ferocia vocem Evandri clausit. Rex in domum se recepit, pecuniaque & auro argentoque in lembos qui in Strymone stabant, delatis, & ipse ad flumen descendit. Thraces navibus se committere non ausi, domos dilapsi, & aliæ militaris generis turbæ. Cretenses spem pecuniæ secuti. & quoniam in dividendo plus offensionum quam gratiæ erat, L. talenta iis posita sunt in ripa diripienda. Ab hac direptione cum per tumultum naves conscenderent, lembum unum in ostio amnis multitudine gravatum merserunt. Galepsum eo die, postero Samothracam, quam petebant, perveniunt: ad duo millia talentum pervecta eo dicuntur. Paulus per omnes deditas civitates dimissis qui præessent, ne qua injuria in nova pace victis fieret, retentisque apud se caduceatoribus regis, P. Nasicam ignarum fugæ regis Amphipolim misit cum modica peditum equitumque manu, simul ut Sinticem evastaret, & ad omnes conatus regis impedimento esset. inter hæc Meliboea a Cn. Octavio capitur diripiturque: ad Æginium, ad quod oppugnandum Cn. Anicius le-

46

legatus missus erat, CC eruptione ex oppido facta amissi sunt, ignaris Æginiensibus debellatum esse. COS a Pydna profectus cum toto exercitu die altero Pellam pervenit: & cum castra M. passus inde posuisset, per aliquot dies ibi stativa habuit, situm urbis undique aspiciens, quam non sine caussa delectam esse regiam advertit. Sita est in tumulo vergente in occidentem hibernum: cingunt paludes inexuperabilis altitudinis æstate & hieme, quas restagnantes faciunt lacus. In ipsa palude, qua proxima urbi est, velut insula eminet aggeri operis ingentis imposita, qui & murum sustineat, & humore circumfusæ paludis nihil lædatur. Muro urbis conjuncta procul videtur: divisa est intermurali amni, & eadem ponte juncta: ut nec oppugnante externo aditum ab ulla parte habeat, nec si quem ibi rex includat, ullum nisi per facillimæ custodiæ pontem effugium. Et gaza regia in eo loco erat: sed tum nihil præter CCC talenta, quæ missa Gentio regi, deinde retenta fuerant, inventum est. Per quos dies ad Pellam stativa fuerunt, legationes frequentes, quæ ad gratulandum convenerant, maxime ex Thessalia, auditæ sunt. Nuntio deinde accepto Persea Samothracam trajecisse, profectus a Pella consul quartis castris Amphipolim pervenit. Effusa omnis obviam turba cuivis indicio erat, non bono ac justo rege ob ra- * *

Quædam pauca desunt de gratulatione Amphipolitanorum; Amphipolim enim Paulus venerat.

L. FLORI

DECADIS QUINTÆ

LIBRI QUINTI

EPITOME.

Perseus ab Æmilio Paulo in Samothracia captus est. Cum Antiochus Syriæ rex Ptolemæum & Cleopatram Ægypti reges obsideret: & missis ad eum a senatu legatis qui juberent ab obsidione socii regis absistere, editisque mandatis consideraturum se ille quid faciendum esset, respondisset: unus legatorum Popillius virga regem circumscripsit: jussitque, antequam circulo excederet, responsum daret. quia asperitate effecit ut Antiochus bellum omitteret. Legationes gratulantium populorum ac regum in senatum admissæ. Rhodiorum, qua eo bello contra populum Romanum fuerant, exclusa, postero die cum de eo quæreretur, ut iis bellum indiceretur: caussam in senatu patriæ suæ legati egerunt. nec tanquam hostes, nec tanquam socii dimissi. Macedonia in provinciæ formam redacta est. Æmilius Paulus repugnantibus militibus suis propter minorem prædam, & contradicente Servio Sulpitio Galba, triumphavit: & Perseum cum tribus filiis ante currum duxit. cujus triumphi lætitia, ne solida ei contingeret, duorum filiorum funeribus insignita est: quorum alterius mors patris triumphum præcessit: alterius secuta est. Lustrum conditum est a censoribus. Censa sunt civium capita CCCXII. millia, DCCCV. Prusias Bithyniæ rex Romam, ut senatui gratularetur ob victoriam ex Macedonia partam, venit, & Nicomedem filium suum senatui commendavit. rex plenus adulationis libertum se P. R. esse dicebat.

DECADIS QUINTÆ

LIBER QUINTUS

CAPUT I.

Romæ victoriam Æmilii Cos. de Perseo rege populus ante certum nuntium auguratur: augurii deinde lætitiam renovant legati ex Macedonia venientes: ab his expositis rebus a Cos. feliciter gestis, supplicationes senatus decernit: exercitus, qui, si res posceret, in Macedoniam profecturi erant, dimittuntur: interim allato de victo ab Anicio prætore Illyriorum rege Gentio, ob eam quoque rem supplicatio decernitur.

1 Victoriæ nuntii Quintius Fabius, & Lucius Lentulus, & Quintus Metellus, quanta potuit adhiberi festinatio, celeriter Romam cum venissent, præcerptam tamen ejus rei lætitiam invenerunt. Quarto post die quam cum rege est pugnatum, cum in circo ludi fierent, murmur repente populi tota spectaculi pervasit, *pugnatum in Macedonia, & devictum regem esse.* dein fremitus increbuit: postremo clamor, plaususque velut certo nuntio victoriæ allato est exortus. Mirari magistratus, & quærere auctorem repentinæ lætitiæ: qui postquam nullus erat, evanuit quidem tanquam incertæ rei gaudium, omen tamen lætum insidebat animis. Quod postquam veris nuntiis Fabii Lentulique & Metelli adventu firmatum est, cum victoria ipsa, tum augurio animorum suorum lætabantur. Et aliter traditur circensis turbæ non minus similis veri lætitia. ad X. Kal. Oct. ludorum Romanorum secundo die, C. Licinio consuli ad quadrigas mittendas exscendenti, tabellarius qui se ex Macedonia venire diceret, reddidisse laureatas literas dicitur. quadrigis missis consul currum conscendit: & cum per circum reveheretur ad foros publicos, laureatas tabellas populo ostendit. Quibus conspectis repente immemor spectaculi populus in medium decurrit. eo senatum consul vocavit, recitatisque tabellis, ex auctoritate patrum pro foris publicis, denuntiavit populo, *L. Æmilium collegam*

legam signis collatis cum rege Perseo pugnasse: Macedonum exercitum cæsum fusumque, regem cum paucis fugisse: civitates omnes Macedoniæ in ditionem P. R. venisse. His auditis clamor cum ingenti plausu ortus: ludis relictis, domos magna pars hominum ad conjuges liberosque lætum nuntium portabant. Tertiusdecimus dies erat ab eo, quo in Macedonia pugnatum est. Postero die senatus in curia habitus, supplicationesque decretæ: & S. C. factum est, ut consul quos præter milites sociosque navales conjuratos haberet, dimitteret: de militibus sociisque navalibus dimittendis referretur, cum legati ab L. Æmilio consule, a quibus præmissus tabellarius esset, * venissent. Ad VI. Kal. Oct. hora fere secunda legati urbem ingressi sunt. ingentem secum occurrentium quacumque ibant prosequentiumque trahentes turbam, in forum ad tribunal perrexerunt. Senatus forte in curia erat. eo legatos COS. introduxit. Ibi tantum temporis retenti, dum exponerent, *quantæ regiæ copiæ peditum equitumque fuissent, quot millia ex his cæsa, quot capta forent, quam paucorum militum jactura tanta hostium strages facta, quam cum paucis rex fugisset: existimari Samothraciam petiturum, paratam classem ad persequendum esse, neque terra neque mari elabi posse*. eadem hæc paullo post in concionem traducti exposuerunt: renovataque lætitia, cum COS. edixisset, *ut omnes ædes sacræ aperirentur, pro se quisque ex concione ad gratias agendas ire diis*: ingentique turba non virorum modo, sed etiam feminarum, conferta tota urbe deorum immortalium templa adjerunt. Senatus revocatus in curiam supplicationes ob rem egregie gestam ab L. Æmilio COS. in quinque dies circa omnia pulvinaria decrevit, hostiisque majoribus sacrificari jussit. Naves, quæ in Tiberi paratæ instructæque stabant, ut si rex posset resistere, in Macedoniam mitterentur, subduci, & in navalibus collocari: socios navales dato annuo stipendio dimitti, & cum is omnes qui in consulis verba juraverant: & quod militum Corcyræ, Brundisii, ad mare Superum, aut in agro Larinati esset (omnibus his locis dispositus exercitus fuerat, cum quo si res posceret, C. Licinius collegæ ferret opem) hos omnes milites dimitti placuit. Supplicatio pro concione populi indicta est ex ante diem V. Idus Oct. cum eo die in quinque dies.

3 dies. Ex Illyrico duo legati C. Licinius Nerva, & P. Decius nuntiarunt, exercitum Illyriorum cæsum, Gentium regem captum in ditione P. R. & Illyricum esse. Ob eas res gestas ductu auspicioque L. Anicii prætoris senatus in triduum supplicationes decrevit: ut Latinæ edictæ à consule sunt, in ante diem IV. & III. & prid. Id. Nov.

CAPUT II.

Post nuntiatam victoriam de rege Perseo, vocatos Rhodiorum legatos, qui ante superbe egerant de bello cum rege finiendo, senatus coarguit.

TRadidere quidam legatos Rhodios nondum * missos post victoriam nuntiatam, velut ad ludibrium stolidæ superbiæ, in senatum vocatos esse. Ibi Agepolim principem eorum ita locutum, *missos esse legatos ab Rhodiis ad pacem inter Romanos & Persea faciendam, quod id bellum grave atque incommodum Græciæ omni, sumtuosum ac damnosum ipsis Romanis esset. Fortunam perbene fecisse, quando finito aliter bello, gratulandi sibi de victoria egregia Romanis opportunitatem dedisset*. Hæc ab Rhodio dicta. Responsum ab senatu esse, *Rhodios nec utilitatum Græciæ, neque cura impensarum P. R. sed pro Perseo legationem eam misisse. Nam si ea fuisset cura quæ simularetur, tum mittendos legatos fuisse, cum Perseus in Thessaliam exercitu inducto per biennium Græcas urbes alias obsideret, alias denuntiatione armorum terreret. Tum nullam pacis ab Rhodiis mentionem factam: postquam superator saltus, transgressosque in Macedoniam Romanos audirent, & inclusum teneri Persea, tunc Rhodios legationem misisse, non ad ullam aliam rem, quam ad Persea ex imminenti periculo eripiendum*. Cum hoc responso legatos 4 dimissos. Per eosdem dies & M. Marcellus ex provincia Hispania decedens, Marcolica nobili urbe capta, X. pondo auri, & argenti ad summam sestertium decies in ærarium retulit.

* al. admissos.

CAPUT III.

COS. Æmilius, advenientibus a Perseo rege devicto ignobilibus legatis, miseram ejus conditionem deflet: offensus deinde regii nominis titulo in literis adhibito, legatos sine responso dimittit: nomine in alteris literis mutato, impetrat rex legatos, quibuscum de conditionibus agat: his a COS. missis, nihil proficitur.

PAullus Æmilius COS. cum castra, ut supra dictum est, ad Syras terræ Odomantidicæ haberet, cum literas ab rege Perseo per

per ignobiles tres legatos cerneret, & ipse illacrymasse dicitur sorti humanæ, quod qui paullo ante non contentus regno Macedoniæ, Dardanos Illyriosque oppugnasset, Bastarnarum excivisset auxilia, is tum amisso exercitu, extorris regno, in parvam insulam compulsus, supplex, fani religione non viribus suis tutus esset. Sed postquam regem Persea consuli Paulo S. legit, miserationem omnem stultitia ignorantis fortunam suam exemit. Itaque quanquam in reliqua parte literarum minime regiæ preces erant, tamen sine responso ac sine literis ea legatio dimissa est. Sensit Perseus, cujus nominis obliviscendum victo esset: itaque alteræ literæ cum privati nominis titulo missæ & petiere & impetravere, ut aliqui ad eum mitterentur, cum quibus loqui de statu & conditione suæ fortunæ posset. Missi sunt tres legati, P. Lentulus, A. Postumius Albinus, A. Antonius. nihil ea legatione perfectum est, Perseo regium nomen omni vi amplectente: Paullo, ut se suaque omnia in fidem & clementiam P. R. permitteret, contendente.

CAPUT IV.

Rex Perseus a Cn. Octavio prætore in Samothraca capitur.

DUm hæc aguntur, classis Cn. Octavii Samothracam est appulsa. Is quoque præsenti admoto terrore, modo minis, modo spe perlicere, ut se traderet, cum conaretur, adjuvit in hoc eum res seu casu contracta, seu consilio. L. Atilius illustris adolescens, cum in concione esse populum Samothracum animum advertisset, a magistratibus petiit, ut sibi paucis alloquendi populi potestatem facerent. Permisso, *Utrum nos hospites Samothraces, vere accepimus, an falso sacram hanc insulam, & augusti totam atque inviolati soli esse?* Cum creditæ sanctitati assentirentur omnes, *Cur igitur*, inquit, *pollutam homicida sanguine regis Eumenis violavit? & cum omnis præfatio sacrorum eos, quibus non sunt puræ manus, sacris arceat, vos penetralia vestra contaminari cruento latronis corpore sinetis?* Nobilis fama erat apud omnes Græciæ civitates Eumenis regis per Evandrum Delphis prope perpetrata cædes. Itaque præterquam quod in potestate Romanorum sese insulamque totam & templum cernebant esse: ne immerito quidem ea sibi exprobrari, rati, Theondam,

dam, qui summus magistratus apud eos erat (regem ipsi appellant) ad Persea mittunt, qui nuntiaret, *argui cædis Evandrum Cretensem: esse autem judicia apud sese more majorum comparata de iis, qui incestas manus intulisse intra terminos sacratos templi dicantur. Si confideret Evander, innoxium se rei capitalis argui, veniret ad caussam dicendam: si committere se judicio non auderet, liberaret religione templum, ac sibimetipse consuleret*. Perseus, evocato Evandro, *judicium subeundi nullo pacto* auctor esse: *nec caussa nec gratia parem fore*. Suberat & ille metus, ne damnatus auctorem se nefandi facinoris protraheret. Reliqui quid esse, niũ ut fortiter moriatur? Nihil palam abnuere Evander, sed cum veneno se malle mori quam ferro dixisset, occulte fugam parabat. Quod cum renuntiatum regi esset, metuens ne, tanquam a se subtracto pœnæ reo, iram Samothracum in se converteret, interfici Evandrum jussit. Qua perpetrata temere cæde, subiit extemplo animum, in se nimirum receptam labem, quæ Evandri fuisset: ab illo Delphis vulneratum Eumenem, ab se Samothracæ Evandrum occisum: ita duo sanctissima in terris templa, se uno auctore sanguine humano violata. hujus rei crimen corrupto pecunia Theonda avertitur, ut renuntiaret populo Evandrũ sibi ipsum mortem conscisse. Cæterum tanto facinore in unicum relictum amicum, ab ipso per tot casus expertum, proditumque, quia non prodiderat, omnium ab se abalienavit animos: pro se quisque transire ad Romanos, fugæque consilium capere solum prope relictum coegerunt: Oroandemque Cretensem, cui nota Thraciæ ora erat, quia mercaturas in ea regione fecerat, appellat, ut se sublatum in lembum ad Cotyn deveheret. Demetrium est portus in promontorio quodam Samothracæ: ibi lembus stabat. Sub occasum solis deferuntur, quæ ad usum necessaria erant, defertur & pecunia quanta clam deferri poterat. Rex ipse nocte media cum tribus consciis fugæ per posticum ædium in propinquum cubiculo hortum, atque inde maceriam ægre transgressus, ad mare pervenit. Oroandes jam tum, dum pecunia deferretur, primis tenebris solverat navem, ac per altum Cretam petebat. Postquam in portu navis non inventa est, vagatus Perseus aliquandiu in litore, postremo timens lucem jam appropinquantem, in hospitium

tium redire non ausus, in latere templi prope angulum obscurum delituit. Pueri regii apud Macedonas vocabantur principum liberi, ad ministerium electi regis. ea cohors persecuta regem fugientem, ne tum quidem abscedebat, donec jussu Cn. Octavii pronuntiatum est per præconem, *regios pueros, Macedonasque alios, qui Samothracæ essent, si transirent ad Romanos, incolumitatem libertatemque, & sua omnia servaturos, quæ aut secum haberent, aut in Macedonia reliquissent*. Ad hanc vocem transitio omnium facta est, nominaque dabant ad C. Postumium tribunum militum. Liberos quoque parvos regios Ion Thessalonicensis Octavio tradidit: nec quisquam præter Philippum maximũ natu e filiis cum rege relictus. Tum sese filiumque Octavio tradidit, fortunam, deosque, quorum in templo erant, nulla ope supplicem juvantes accusans. In prætoriam navem imponi jussus, eodem & pecunia, quæ superfuit, delata est, extemploque classis Amphipolim repetit.

CAPUT V.

Captus rex Perseus in castra Romana adducitur; & a COS. Paullo Æmilio honorifice excipitur.

INde Octavius regem in castra ad COS. misit, præmissis literis ut in potestate eum esse, & adduci sciret. Secundam eam Paullus, sicut erat, victoriam ratus, victimas cecidit eo nuntio: & concilio advocato literas prætoris cum recitasset, Q. Ælium Tuberonem obviam regi misit, cæteros manere in prætorio frequentes jussit. Non alias ad ullum spectaculum tanta multitudo occurrit. Patrum ætate Syphax rex captus in castra Romana adductus erat: præterquam quod nec sua, nec gentis fama comparandus, tunc quoque accessio Punici belli fuerat, sicut Gentius Macedonici. Perseus caput belli erat, nec ipsius tantum patris, avique, quos sanguine ac genere contingebat, fama conspectum eum efficiebat: sed effulgebant Philippus ac Magnus Alexander, qui summum imperium in orbe terrarum Macedonum fecerant. Pullo amictus illo Perseus ingressus est castra, nullo suorum alio comite, qui socius calamitatis miserabiliorem eum faceret. progredi præ turba occurrentium ad spectaculum non poterat, donec

COS.

COS. lictores misisset, qui summovendo iter ad prætorium facerent. Consurrexit COS. & jussis sedere aliis, progressusque paullum introeunti regi dextram porrexit, summittentemque se ad pedes sustulit: nec attingere genua 8 passus, introductum in tabernaculum adversus advocatos in consilium considere jussit. Prima percontatio fuit, *qua subactus injuria contra P. R. bellum tam infesto animo suscepisset, quo se regnumque suum ad ultimum discrimen adduceret*. Cum responsum expectantibus cunctis, terram intuens diu tacitus fleret, rursum COS. *Si juvenis regnum accepisses, minus equidem mirarer ignorasse te quam gravis aut amicus, aut inimicus esset P. R. nunc vero cum & bello patris tui, quod nobiscum gessit, interfuisses, & pacis postea, quam cum summa fide adversus eum coluimus, meminisses, quod consilium, quorum & vim bello, & fidem in pace expertus esses, cum iis tibi bellum esse, quam pacem malle?* Nec interrogatus, nec accusatus cum responderet: * *Utcunque tamen hæc, sive errore humano, seu casu, seu necessitate inciderunt, bonum animum habe. multorum regum, populorum casibus cognita P. R. clementia non modo spem tibi, sed prope certam fiduciam salutis præbet*. Hæc Græco sermone Perseo, Latine deinde suis: *Exemplum insigne cernitis*, inquit, *mutationis rerum humanarum. vobis hoc præcipue dico, juvenes: ideo in secundis rebus nihil in quenquam superbe ac violenter consulere decet, nec præsenti credere fortunæ, cum quid vesper ferat, incertum sit. Is demum vir erit, cujus animum nec prospera flatu suo efferet, nec adversa infringet*. Consilio dimisso tuendi cura regis Q. Ælio mandatur. Eo 9 die & invitatus ad consulem Perseus, & alius omnis ei honos habitus est, qui haberi in tali fortuna poterat. Exercitus deinde in hiberna dimissus est: maximam partem copiarum Amphipolis, reliquas propinquæ urbes acceperunt.

CAPUT VI.

Macedonici regni ortus, incrementum, & finis.

HIc finis belli, cum quadriennium continuum bellatum esset inter Romanos ac Persea, fuit: idemque finis inclyti per Europæ plerunque atque Asiam omnem regni. XXXX. ab Carano, qui primus regnavit, Persea numerabant. Perseus Q. Fulvio, L. Manlio COSS. regnum accepit: a senatu rex est appellatus M. Junio

nio, A. Manlio COSS. regnavit XI. annos. Macedonum obscura admodum fama usque ad Philippum Amyntæ filium fuit: inde ac per eum crescere cum cœpisset, Europæ se tamen finibus continuit. Græciam omnem & partem Thraciæ atque Illyrici amplexa. Superfudit deinde se in Asiam, & XIII. annis, quibus Alexander regnavit, primum omnia, qua Persarum prope immenso spatio imperium fuerat, suæ ditionis fecit. Arabas hinc Indiamque, qua terrarum ultimus finis Rubrum mare amplectitur, peragravit. Tum maximũ in terris Macedonum regnum nomenque, inde morte Alexandri distractũ in multa regna, dum ad se quisque opes rapiunt lacerantes viribus, a summo culmine fortunæ ad ultimum finem centum quinquaginta annos stetit.

CAPUT VII.

Legati Romani, dum susceptam legationem peragentes Ægyptum petunt, Rhodum, vocati ab ea civitate, devehuntur. ibi C. Popillius acta pro Perseo adversus pop. Romanum cum acerbitate commemorat: leniori oratione usus C. Decimius, culpam omnem in pauces auctores vertit; facto decreto, ut hi capite damnentur, legati proficiscuntur.

Victoriæ Romanæ fama cum pervasisset in Asiam, Antenor qui cum classe lemborum ad Phanas stabat, Cassandream inde trajecit. C. Popillius, qui ad Delum præsidio navibus Macedoniam petentibus erat, postquam debellatum in Macedonia, & statione summotos hostium lembos audivit, dimissis & ipse Atticis navibus, ad susceptam legationem peragendam navigare Ægyptum pergit: ut prius occurrere Antiocho posset, quam ad Alexandriæ mœnia accederet. Cum præterveherentur Asiam legati, & Loryma venissent, qui portus XX. paullo amplius millia ab Rhodo abest, ex adverso urbi ipsi positus; principes Rhodiorum occurrunt, (jã enim eo quoque victoriæ fama perlata erat) orantes *ut Rhodum deveherentur: pertinere id ad famam salu-*

temque civitatis, noscere ipsos omnia quæ acta essent, agerenturque Rhodi, *& comperta per se, non vulgata fama Romam referre.* Diu negantes perpulerunt, ut moram navigationis brevem pro salute sociæ urbis paterentur. Postquam Rhodum ventum est, in concionem quoque eos iidem precibus pertraxerunt. Adventus legatorum auxit potius timorem civitati quam minuit. omnia enim Popillius, quæ singuli universique eo bello hostiliter dixerant fecerantque, retulit: & vir asper ingenio augebat atrocitatem eorum quæ dicerentur, vultu truci, & accusatoria voce: ut cum propriæ simultatis nulla caussa cum civitate esset, ex unius senatoris Romani acerbitate, qualis in se universi senatus animus esset, conjectarent. C. Decimii moderatior oratio fuit: qui *in plerisque eorum quæ commemorata a Popillio essent, culpam non penes populum, sed penes paucos concitatores vulgi esse* dixit: *eos venalem linguam habentes, decreta plena regiæ assentationis fecisse, & eas legationes misisse, quarum Rhodios semper non minus puderet, quam pœniteret: quæ omnia, si *potestas populo foret, in capita noxiorum versura.* Cum magno assensu auditus est, non magis eo quod multitudinis noxam elevabat, quam quod culpam in auctores verterat. itaque cum principes eorum Romanis responderent, nequaquam tamen tam grata oratio eorum fuit, qui, quæ Popillius objecerat, diluere utcumque conati sunt, quam eorum qui Decimio in auctoribus ad piaculum noxæ objiciendis assensi sunt. Decretum igitur extemplo, ut qui pro Perseo adversus Romanos dixisse quid aut fecisse convincerentur, capitis condemnarentur. Excesserunt urbe sub adventum Romanorum quidam, alii mortem sibi consciverunt. Legati non ultra quam quinque dies Rhodi morati, Alexandriam proficiscuntur. Nec eo segnius judicia ex decreto coram his facto Rhodi exercebantur: quam perseverantiam in exequenda re Decimii lenitas afferebat.

*al. animus.

CA-

CAPUT VIII.

Reconciliato cum fratre & sorore Ægypti regibus Ptolemæo, Antiochus, qui antea per honestam speciem eum in regnum reducendi quærebat Ægypto potiri, idem nunc tentat aperta vi: advenientes legati Romani, ei afferunt senatus mandata de bello omittendo: dicentem Antiochum, se consideraturum quid esset sibi faciendum, Popilius virga circumscribit, jubetque, priusquam circo excedat, dare responsum; & efficit ea asperitate, ut rex bello absistat.

11 CUm hæc gererentur, Antiochus frustra tentatus mœnibus * Alexandriæ abscesserat: cæteraque Ægypto potitus, relicto Memphi majore Ptolemæo, cui regnum quæri suis viribus simulabat, ut victorem mox aggrederetur, in Syriam exercitum abduxit. Nec hujus voluntatis ejus ignarus Ptolemæus, dum conterritum obsidionis metu minorem fratrem haberet, posse se recipi Alexandriæ & sorore adjuvante, & non repugnantibus fratris amicis, ratus; primum ad sororem, deinde ad fratrem amicosque ejus non prius destitit mittere, quam pacem cum iis confirmaret. Suspectum Antiochum effecerat, quod cætera Ægypto sibi tradita, Pelusii validum relictum erat præsidium: apparebat claustra Ægypti teneri, ut, cum vellet, rursus exercitum induceret. Bello intestino cum fratre eum exitum fore, ut victor fessus certamine nequaquam par Antiocho futurus esset. Hæc prudenter animadversa a majore cum assensu minor frater, quique cum eo erant acceperunt: soror plurimum adjuvit, non consilio modo, sed etiam precibus. Itaque cōsentientibus cunctis pace facta Alexandriam recipitur, ne multitudine quidem adversante: quæ in bello non per obsidionem modo, sed etiam postquam a mœnibus abscessum est, quia nihil ex Ægypto subvehebatur, omniū rerum attenuata inopia erat. His cum lætari Antiochum conveniens esset, si reducendi ejus caussa exercitum Ægyptum induxisset, quo specioso titulo ad omnes Asiæ & Græciæ civitates legationibus recipiendis, literisque dimittendis usus erat; adeo est offensus, ut multo acrius infestiusque adversus duos, quam ante adversus unum pararet bellum. Cyprum extemplo classem mitit. ipse primo vere cum exercitu Ægyptum petens in Cœlen Syriam processit. Circa Rhinocolura Ptolemæi legatis agentibus gratias, quod per eum regnum pa-

*al. ...ale- ...tan- ...lria.

patrium recepisset, petentibusque ut suum munus tueretur, & diceret potius quid fieri vellet, quam hostis ex socio factus vi atque armis ageret, respondit, *non aliter neque classem revocaturum, neque exercitum reducturum, nisi sibi & tota Cypro & Pelusio, agroque, qui circa Pelusiacum ostium Nili esset, cederet*: diemque præstituit, intra quam de conditionibus peractis responsum acciperet.

12 Postquam dies data induciis præteriit, navigantibus ostio Nili ad Pelusium per deserta Arabiæ * ad Memphim incolebant, & ab cæteris Ægyptiis partim voluntate, partim metu, ad Alexandriam modicis itineribus descendit. Ad Leusinen transgresso flumen, qui locus quatuor millia ab Alexandria abest, legati Romani occurrerūt. Quos cum advenientes salutasset, dextramque Popillio porrigeret, tabellas ei Popillius scriptum habentes tradit, atque omnium primum id legere jubet. Quibus perlectis, cum se consideraturum adhibitis amicis quid faciendum sibi esset dixisset: Popillius pro cætera asperitate animi, virga, quam in manu gerebat, circumscripsit regem, ac, *prius quam hoc circulo excedas*, inquit, *redde responsum senatui quod referam.* Obstupefactus tam violento imperio parumper cum hæsitasset, *Faciam*, inquit, *quod censet senatus.* Tum demum Popillius dextram regi tanquam socio atque amico porrexit. Die deinde finita cum excessisset Ægypto Antiochus, legati concordia etiam auctoritate sua inter fratres firmata, inter quos vixdum convenerat, pars Cyprum navigant: & inde quæ jam vicerat prælio Ægyptias naves, classem Antiochi dimittunt. Clara ea per gentes legatio fuit, quod haud dubie ademta Antiocho Ægyptus habenti jam, redditumque patrium regnum stirpi Ptolemæi fuerat.

CAPUT IX.

C. Licinii Crassi nulla re gesta memorabilis consulatus.

COss. ejus anni sicut alterius clarus consulatus insigni victoria, ita alterius obscura fama; quia materiam res gerendi non habuit. Jam primum cum legionibus ad conveniendum diem dixit, non auspicato templum intravit: vitio diem dictam esse augures, cum ad eos relatum est, decreverunt. Profectus in Galliam circa Macros campos ad montes Siciminam & Papinum stativa habuit: deinde circa eadem loca cum sociis nominis Latini hibernabat. Legiones Romanæ, quod vitio dies exercitui ad conveniendum dicta erat, Ro-

mæ

mæ manserant Et prætores, præter C. Papirium Carbonem, cui Sardinia evenerat, in provincias jere. eum jus dicere Romæ (nam eam quoque sortem habebat) inter cives & peregrinos Patres censuerunt.

CAPUT X.

Veniunt Romam legati tum Antiochi referentes, eum, jubentibus legatis Romanis, arma posuisse, gratulantesque de victo Perseo; tum Ptolemæi, & Cleopatræ, gratias agentes, quod per Senatum bello Antiochi liberata sit Ægyptus: literæ deinde afferuntur, Persea regem in Cos. Æmilii potestatem venisse.

13 ET * Popillius, & ea legatio, quæ missa ad Antiochum erat, Romam rediit: retulit controversias inter reges sublatas esse, exercitumque ex Ægypto in Syriam reductum. Post ipsorum regum legati venerunt: Antiochi legati referentes, *omni victoria potiorem pacem regi, quæ senatui placuisset, visam, eumque haud secus quam deorum imperio legatorum Romanorum jussis paruisse*. Gratulati deinde victoriam sunt, ad quam summa ope si quid impetratum foret, adfuturum regem fuisse. Ptolemæi legati communi nomine regis & Cleopatræ gratias egerunt. *plus eos S. P. Q. R. quam parentibus suis, plus quam diis immortalibus debere: per quos obsidione miserrima liberati essent: regnum patrium prope amissum recepissent*. Responsum ab senatu est, *Antiochum recte atque ordine fecisse, quod legatis paruisset, gratumque id esse S. P. Q. R. Regibus Ægypti Ptolemæo Cleopatræque si quid per se boni, commodique evenisset, id magnopere senatum lætari, daturumque operam, ut regni sui maximum semper præsidium positum esse in fide P. R. ducant*. Munera legatis ut ex instituto mittenda curaret, C. Papirio prætori mandatum. Literæ deinde e Macedonia allatæ, quæ victoriæ lætitiam geminarent: Persea regem in potestatem Cos. venisse.

*al. Ut.

CAPUT XI.

Ad dirimendam contentionem de finibus inter Pisanos Lunensesque senatus mittit legatos.

DImissis Legatis, disceptatum inter Pisanos Lunensesque legatos: Pisanis querentibus agro se a colonis Romanis pelli: Lunensibus affirmantibus, eum, de quo agatur, a triumviris agrum sibi assignatum esse. Senatus qui de finibus cognoscerent statuerentque, Quinqueviros misit, Q. Fabium Buteonem, P. Cornelium Blasionem. T. Sempronium Muscam, L. Nævium Bal-

bum, C. Appulejum Saturninum.

CAPUT XII.

Eumenes, fratresque ejus mittunt Romam legatos gratulatum de victo Perseo: veniens Massanissæ quoque filius Masgaba orationem admodum senatui gratam habet: senatus, dato benigno responso, honorifice dimittit.

ET ab Eumene & ab Attalo & ab Athenæo fratribus communis legatio de victoria gratulatum venit. Et Masgabæ regis Massanissæ filio Puteolis navem egresso præsto fuit obviam missus cum pecunia L. Manlius quæstor, qui Romam cum publico sumtu perduceret. Advenienti extemplo senatus datus est. Is adolescens ita locutus est, ut quæ rebus grata erant, gratiora verbis faceret. Commemoravit, *quos pedites equitesque, quos elephantos, quantum frumenti eo quadriennio pater suus in Macedoniam misisset. Sed duas res ei rubori fuisse: unam, quod rogasset eum per legatos senatus quæ ad bellum opus essent, & non imperasset: alteram, quod pecuniam ei pro frumento misisset. Massanissam meminisse regnum a populo Romano partum auctumque & multiplicatum habere: usu regni contentum, scire dominium & jus eorum qui dederint esse; Sumere itaque eosdem, non se rogare æquum esse: neque emere ea ex fructibus agri ab se dati, quæ ibi proveniant. Id Massanissæ satis esse, & fore, quod populo Romano superesset. Cum iis mandatis a patre profectum, postea consecutos equites, qui devictam Macedoniam nuntiarent, gratulatumque senatui juberent indicare, tantæ eam rem lætitiæ patri suo esse, ut Romam venire velit, Jovique Optimo Max. in Capitolio sacrificare, & grates agere: id, nisi molestum sit, ut ei permittatur, ab senatu petere.* Responsum regulo est: *Facere patrem ejus Massanissam, quod virum gratum bonumque facere deceat, ut pretium honoremque* * *debito beneficio addat. Et P. R. ab eo bello Punico forti fidelique opera adjutum, & illum favente P. R. regnum adeptum: æquitate sua postea trium regum bellis, deinceps omnibus functum officiis. Victoria vero Pop. R. lætari eum regem, mirum non esse, qui sortem omnem fortunæ regnique sui cum rebus Romanis immiscuisset. Grates diis pro pop. R. victoria apud suos penates ageret, Romæ filium pro eo acturum. Gratulatum quoque satis suo ac patris nomine esse. Ipsum relinquere regnum, & Africa excedere, præterquam quod illi inutile esset, non esse e* * *Republ. P. R. senatum censere.* petenti Masgabæ ut Anno

14

*al. verum bonum.

*al. e re P. R.

Amil-

Amilcaris filius obses in *al. locum * exigeret. Munera ex senatusconsulto emere regulo quæstor jussus ex C. pondo argenti, & prosequi eum Puteolos, omnemque sumtum, quoad in Italia esset, præbere, & duas naves conducere, quibus ipse comitesque regis in Africam deveherentur: & comitibus omnibus liberis servisque vestimenta data.

*al. ejus.

CAPUT XIII.

Cura senatus de ægro Brundusii Misagene regis Massanissæ filio.

Haud ita multo post de altero Massanissæ filio Misagene literæ allatæ sunt, missum eum ab L. Paullo post devictum Persea in Africam cum equitibus suis. navigantem dispersa classe in Adriatico mari Brundusium tribus navibus ægrum delatum. Ad eum cum iisdem muneribus, quæ data Romæ fratri ejus erant, L. Stertinius quæstor Brundusium missus; jussusque curare ut ædes hospi- * *

Hoc loco desiderantur comitia consularia, quibus Coss. creati sunt Q. Æmilius Petus, & M. Junius Pennus: & prætoria, quibus creati sunt prætores Q. Cassius, M. Juventius Thalna, Ti. Claudius Nero, Cn. Fulvius, C. Licinius Nerva, A. Manlius. Præterea initium expositionis rerum a censoribus Ti. Sempronio, & C. Claudio gestarum, de quibus loquitur, cum ait „ In quatuor tribus urbanas.

CAPUT XIV.

Censura Tib. Sempronii, & C. Claudii ea re præsertim memorabilis, quia a Sempronio libertini in unam tribum urbanam Esquilinam referuntur: hoc eodem anno destinatur a C. Cicerejo ædes, quam in Corsica prætor voverat Junoni Monetæ.

15 IN quatuor urbanas tribus descripti erant libertini, præter eos quibus filius quinquenni major ex S. C. esset. Eos, ubi proximo lustro censi essent, censeri jusserunt: & eos qui prædium prædiave rustica pluris sestertium XXX. millium haberent, censendi jus factum est. Hoc cum ita servatum esset, negabat Claudius, *suffragii lationem injussu populi censorem cuiquam homini, nedum ordini universo adimere posse. Neque enim si tribu movere posset, quod sit nihil aliud quam mutare jubere tribum, ideo omnibus V. & XXX. tribubus emovere posse: id est civitatem libertatemque eripere, non ubi censeatur finire, sed censu excludere*. Hæc inter ipsos disceptata: postremo eo descensum est, ut ex quatuor urbanis tribubus unã palam in atrio Libertatis sortirentur, in quam omnes, qui servitutem servissent, conjicerent. Exquilinæ sors exiit: in ea Tib. Gracchus pronuntiavit, libertinos omnes censeri placere. Magno ea res honori censoribus apud senatum fuit. gratiæ actæ & Sempronio, qui in bene cœpto perseverasset, & Claudio, qui non impedisset. Plures quam a superioribus & senatu emoti sunt, & equos vendere jussi: omnes iidem ab utroque & tribu remoti, & ærarii facti, neque ullius, quem alter notaret, ab altero levata ignominia. Petentibus ut ex instituto ad sarta tecta exigenda, & ad opera quæ locassent probanda, anni & bimensis tempus prorogaretur; Cn. Tremellius tribunus, quia lectus non erat in senatum, intercessit. Eodem anno C. Cicerejus ædem in monte Albano dedicavit, quinquennio postquam vovit. Flamen Martialis inauguratus est eo anno L. Postumius Albinus.

CAPUT XV.

Consulum, Prætorumque provinciæ.

16 U. C. 583 Q. Ælio, M. Junio COSS. de provinciis referentibus, censuere Patres duas provincias Hispaniam rursus fieri, quæ una per bellum Macedonicum fuerat: & Macedoniam Illyricumque eosdem L. Paullum & L. Anicium obtinere, donec de sententia legatorum & res bello turbatas, & statum alium ejus regni formando compo-

posuissent. COSS. Pisæ & Gallia decretæ cum binis legionibus peditum, & equitum quadringentenis. Prætorum sortes fuere, Q. Cassii urbana, M. Juventii Thalnæ inter peregrinos, Tib. Claudii Neronis Sicilia, Cn. Fulvii Hispania citerior, C. Licinii Nervæ ulterior. A. Manlio Torquato Sardinia obvenerat. nequiit ire in provinciam, ad res capitales quærendas ex S. C. retentus.

CAPUT XVI.

Prodigia procurantur: pro felici exitu Illyrici, atque Macedonici belli dona Diis a senatu decernuntur.

De prodigiis deinde nuntiatis senatus est consultus. Ædes deorum Penatium in Velia de cœlo tacta erat, & in oppido Minervio duæ portæ, & muri aliquantum. Anagniæ terra pluerat, & Lanuvii fax in cœlo visa erat. Et Galatiæ in publico agro M. Valerius civis Rom. nuntiabat e foco suo sanguinem per triduum & duas noctes manasse. Ob id maxime decemviri libros adire jussi, supplicationem in diem unum populo edixerunt, & L. capris in foro sacrificaverunt: & aliorum prodigiorum caussa diem alterum supplicatio circa omnia pulvinaria fuit, & hostiis majoribus sacrificatum est, & urbs lustrata. Inde quod ad honorem deum immortalium pertineret, decrevit senatus, *ut quoniam perduelles superati Perseus & Gentius reges cum Macedonia atque Illyrico in potestate P. R. essent, ut quanta dona Ap. Claudio, M. Sempronio COSS. ob devictum Antiochum regem data ad omnia pulvinaria essent, tanta Q. Cassius & M. Juventius prætores curarent danda.*

CAPUT XVII.

Nominantur a senatu legati, quorum de sententia & L. Paullus in Macedonia, & L. Anicius in Illyrico res componant.

17 Legatos deinde, quorum de sententia imperatores L. Paullus, L. Anicius componerent res, decreverunt: decem in Macedoniam, quinque in Illyricum. In Macedoniam sunt hi nominati, A. Postumius Luscus, C. Claudius, ambo censorii: C. Licinius Crassus collega in consulatu Paulli, tum prorogato imperio provinciam Galliam habebat. His consularibus addidere Cn. Domitium Ænobarbum, Ser. Cornelium Sullam, L. Junium, C. Antistium Labeonem, T. Numisium Tarquiniensem, A. Terentium Varronem. in Illyricum autem hi nominati, P. Ælius Ligus consularis, C. Cicerejus, & Cn. Bæbius Tamphilus, (hic priore anno, Cicerejus multis

ante annis prætor fuerat) P. Terentius Tusciveicanus, P. Manilius.

CAPUT XVIII.

Coss. M. Junius, & Q. Ælius provincias sortiuntur.

Moniti deinde COSS. a patribus, ut quoniam alterum ex his succedere C. Licinio, qui legatus nominatus erat, in Galliam oporteret, primo quoque tempore provincias aut compararent inter se, aut sortirentur, sortiti sunt. M. Junio Pisæ obvenerunt, (quem, prius quam in provinciam iret, legationes quæ undique Romam gratulatum convenerunt, introducere in senatum placuit (Q. Ælio Gallia.

CAPUT XIX.

De iis, quæ in devicta Macedonia & Illyrico senatui placet constitui, legatis eo profecturis mandata dantur.

Æterum quanquam tales viri mitterentur, quorum de consilio sperari posset imperatores nihil indignum nec clementia nec gravitate P. R. decreturos esse: tamen in senatu quoque agitata est summa consiliorum, ut inchoata omnia legati ab domo ferre ad imperatores 18 possent. *Omnium primum liberos esse placebat Macedonas atque Illyrios, ut omnibus gentibus appareret, arma P. R. non liberis servitutem, sed contra servientibus libertatem afferre: ut & in libertate gentes quæ essent, tutam eam sibi, perpetuamque sub tutela P. R. esse: & quæ sub regibus viverent, & in præsens tempus mitiores eos justioresque respectu P. R. habere se: & si quando bellum cum P. R. regibus fuisset suis, exitum ejus victoriam Romanis, sibi libertatem allaturum crederent. Metalli quoque Macedonici, quod ingens vectigal erat, locationesque prædiorum rusticorum tolli placebat. Nam neque sine publicano exerceri posse: & ubi publicanus est, ibi aut jus publicum vanum, aut libertatem socii nullam esse: ne ipsos quidem Macedonas idem exercere posse: ubi in medio præda administrantibus esset, ibi nunquam caussas seditionum & certaminis defore. Commune consilium gentis nullum esse, ne improbum vulgus a senatu aliquando libertatem salubri moderatione datam, ad licentiam pestilentem traheret. In quatuor regiones describi Macedoniam, ut suum quæque concilium haberet, placuit: & dimidium tributi, quam quod regibus ferre soliti erat, P. R. pendere.* Similia his & in Illyricum mandata: cætera ipsis imperatoribus legatisque relicta, in quibus præsens tractatio rerum certiora subjectura erat consilia.

CAPUT XX.

Venit Romam Attalus frater regis Eumenis gratulatum de victo Perseo, simulque conquestum apud senatum de Gallorum tumultu: solicitatus a quibusdam Romanorum ad eripiendum regnum fratri, ea spe fore, ut propter dubiam ejus fidem bello Macedonico, id impetret ab senatu, prudentis amici monitione ab ea cupiditate deterretur.

19 INter multas regnum gentiumque & populorum legationes Attalus frater regis Eumenis maxime convertit in se omnium oculos animosque. exceptus enim est ab his qui simul eo bello militaverunt, haud paullo benignius quam si ipse rex Eumenes venisset. adduxerant eum duæ in speciem honestæ res, una gratulatio conveniens in ea victoria, quam ipse adjuvisset: altera querimonia Gallici tumultus, Advertæque gladiis regnum in dubium adductum esse. Suberat & secreta spes honorum præmiorumque ab senatu, quæ vix salva pietate ejus contingere poterant. Erant enim quidam Romanorum quoque non boni auctores, qui spe cupiditatem ejus elicerent: *eam opinionem de Attalo, & Eumene Romæ esse, tanquam de altero Romanis certo amico, altero nec Romanis nec Persi fido socio. Itaque vix statui posse, utrum quæ pro se, an quæ contra fratrem petiturus esset, ab senatu magis impetrabilia forent; adeo universos omnia & huic tribuere, & illi vero negare.* Eorum hominum (ut res docuit) Attalus erat, qui quantum spes spopondisset, cuperent, ni unius amici prudens monitio velut frænos animo ejus gestienti secundis rebus imposuisset. Stratius cum eo fuit medicus, ad id ipsum a non securo Eumene Romam missus speculator rerum, quæ a fratre agerentur, monitorque fidus, si decedi fide vidisset. Is ad occupatas jam aures, solicitatumque jam animum cum venisset, aggressus tempestivis * temporibus rem prope prolapsam restituit: *aliis alia regna crevisse rebus* dicendo: *regnum eorum novum, nullis vetustis fundatum opibus, fraterna stare concordia, quod unus nomen regium, & præcipuum capitis insigne gerat, omnes fratres regnent. Attalum vero, quia ætate proximus, quis non pro rege habeat? neque eo solum quia tantas præsentes ejus opes cernat, sed quod haud ambiguum propediem regnaturum eum infirmitate ætateque Eumenis esset, nullam stirpem liberum habentis.* (necdum enim agnoverat eum qui postea regnavit.) *Quid*

* al. sermonibus.

attineret vim afferre rei sua sponte mox ad eum adventuræ? Accessisse etiam novam tempestatem regno tumultus Gallici, cui vix consensu & concordia regum resisti queat. Si vero ad externum bellum domestica seditio adjiciatur, sisti non posse: nec aliud eum, quam ne frater in regno moriatur, sibi ipsi spem propinquam regni erepturum. Si utraque gloriosa res esset, & servasse fratri regnum, & eripuisse: servati tamen regni, quæ juncta pietati sit, potiorem laudem fuisse. Sed enim vero cum detestabilis altera res, & proxima parricidio sit, quid ad deliberationem dubii superesse? Utrum enim partem regni petiturum esse, an totum erepturum? si partem, ambo infirmos distractis viribus, & omnibus injuriis obnoxios fore: si totum, privatum ne ergo majorem fratrem, an exulem illa ætate, illa corporis infirmitate, an ultimum mori jussurum? Egregium enim, ut fabulis traditus impiorum fratrum eventus taceatur, Persei exitum videri: qui ex fraterna cæde raptum diadema in templo Samothracum, velut præsentibus diis exigentibus pœnas, ad pedes victoris hostis prostratus posuerit. Eos ipsos, qui non illi amici, sed Eumeni infesti, stimulent eum, pietatem constantiamque laudaturos, si fidem ad ultimum fratri præstitisset. Hæc plus valuere in Attali animo. Itaque introductus in senatum, gratulatus victoriam, & sua merita eo bello, fratrisque, (si qua erant) & Gallorum defectionem, quæ nuper ingenti motu facta erat, exposuit. Petiit ut legatos mitteret ad eos, quorum auctoritate ab armis avocarentur. His pro regni utilitate editis mandatis, Ænum sibi & Maroneam petit. Ita destituta eorum spe, qui, fratre accusato, partitionem regni petiturum crediderant, curia excessit. Ut raro alias quisquam rex aut privatus tanto favore, tantoque omnium assensu est auditus, omnibus honoribus muneribusque & præsens est cultus, & proficiscentem prosecuti sunt. 20

CAPUT XXI.

Rhodiorum legati Romam venientes, quia bello Macedonico pro Perseo ea civitas stetit, neque hospitaliter habentur, neque eis senatus datur: de bello Rhodiis indicendo M. Juventius prætor, quia sibi id mandatum iri sperat, sine auctoritate senatus consulumque, ad populum refert.

INter multas Asiæ Græciæque legationes, Rhodiorum maxime legati civitatem converterunt. Nam cum primo in veste candida

da visi essent, quod & gratulantes decebat, &, si sordidam vestem habuissent, lugentium Persei casum præbere speciem poterant: postquam consulti ab Marco Junio consule Patres, stantibus in comitio legatis, an locum lautia senatumque darent, nullum hospitale jus in iis servandum censuerunt; egressus e curia consul, cum Rhodii gratulatum se de victoria, purgatumque civitatis crimina dicêtes venisse, petissent ut senatus sibi daretur, pronuntiat, *sociis, & amicis & alia comiter atque hospitaliter præstare Romanos, & senatum dare consuesse: Rhodios non ita meritos eo bello, ut amicorum * sociorum numero habendi sint*. His auditis prostraverunt se omnes humi, consulemque & cunctos qui aderant orantes, ne nova falsaque crimina plus obesse Rhodiis æquum censerent, quam antiqua merita, quorum ipsi testes essent. Extemplo veste sordida sumta domos principum cum precibus ac lacrymis circumibant orantes ut prius cognoscerent caussam, quam condemnarentur.

*al. aut soc.

21 Marcus Juventius Thalna prætor, cujus inter cives & peregrinos jurisdictio erat, populum adversus Rhodios incitabat: rogationemque promulgaverat, ut *Rhodus bellum indiceretur, & ex magistratibus ejus anni deligerent, qui ad id bellum cum classe mitteretur*, se eum sperans futurum esse. Huic actioni M. Antonius, & M. Pomponius tribuni plebis adversabantur. Sed & prætor novo maloque exemplo rē ingressus erat, quod ante non consulto senatu, non consulibus certioribus factis, de sua unius sententia rogationem ferret: *vellent juberentque Rhodiis bellum indici*: cum antea semper prius senatus de bello consultus esset, deinde ad populum latum * & tribuni plebis: cum ita traditum esset, ne quis prius intercederet legi, quam privatis suadendi dissuadêdique legem potestas facta esset: eoque persæpe evenisset, ut qui non professi essent se intercessuros, animadversis vitiis legis ex ratione dissuadentium, intercederent: & qui ad intercedendum venissent, desisterent victi auctoritatibus suadentium legem. Tum inter prætorem tribunosque omnia intempestive agendi certamen erat. Tribuni festinationem prætoris ante tempus intercedendo in adventum imperatoris.

Ex-

* * * *

Exciderunt pauca, quæ ad rem Rhodiorum, de quibus loquitur, pertinebant.

CAPUT XXII.

Rhodii, qui bella Macedonica favisse Perseo arguebantur, pro se in senatu dicunt.

Orationis prima verba exciderunt.

peccaverimusne, adhuc dubium est: pœnas, ignominias 22 *omnes jam patimur. Antea Carthaginiensibus victis, Philippo, Antiocho superatis cũ Romam venissemus, ex publico hospitio in curiam gratulatum vobis, P. C. ex curia in Capitolium ad deos vestros dona ferentes veniebamus: nunc ex sordido diversorio vix mercede recepti, ac prope hostium more extra urbem manere jussi, in hoc squalore venimus in curiam Romanam Rhodii, quos provinciis nuper Lycia atque Caria, quos præmiis atque honoribus amplissimis donastis. Et Macedonas Illyriosque liberos esse, ut audivimus, jubetis, cum servierint antequam vobiscum bellarent: (nec cujusquam fortunæ invidemus, imo agnoscimus clementiam pop. R.) Rhodios, qui nihil aliud quam quieverunt hoc bello, hostes ex sociis facturi estis? Certe quidem vos estis Romani, qui ideo felicia bella vestra esse, quia justa sint, præ vobis fertis: nec tam exitu eorum, quod vincatis, quam principiis, quod non sine caussa suscipiatis, gloriamini. Messana in Sicilia oppugnata, Carthaginienses, Athenæ oppugnatæ, & Græcia in servitutem petita, & adjutus Hannibal pecunia, auxiliis, Philippum hostem fecerunt. Antiochus ipse ultro ab Ætolis hostibus vestris accersitus, ex Asia classe in Græciam trajecit. Demetriade & Chalcide & saltu Thermopylarum occupato, de possessione imperii vos dejicere conatus. Cum Perseo, socii vestri oppugnati, alii interfecti reguli principesque gentium aut populorum, caussa belli vobis fuere. Quem tandem titulum nostra calamitas habitura est, si perituri sumus? Nondum segrego civitatis caussam a Polyarato & Dione civibus nostris, & iis quos ut traderemus, vobis adduximus. Si omnes Rhodii æque noxii essemus, quod nostrum in hoc bello crimen esset? Persei partibus favimus: & quemadmodum Antiochi Philippique bello, pro vobis adversus reges, sic nunc pro*

pro rege adversus vos stetimus. Quemadmodum soleamus socios juvare, & quam impigre capessere bella, C. Livium, L. Æmilium Regillum interrogate, qui classibus vestris in Asia præfuerunt. Nunquam vestræ naves pugnavere sine nobis: nostra classe pugnavimus semel ad Samum, iterum in Pamphylia adversus Hannibalem imperatorem: quæ victoria nobis eo gloriosior est, quod cum ad Samum magnam partem navium adversa pugna, & egregiam juventutem amisissemus, ne tanta quidem clade territi, iterum ausi sumus regiæ classi ex Syria venienti obviam ire. Hæc non gloriandi caussa retuli, neque enim ea nunc nostra est fortuna, sed ut admonerem quemadmodum adjuvare socios solerent Rhodii. 23 *Præmia Philippo & Antiocho devictis amplissima accepimus a vobis. Si quæ vestra nunc est fortuna deum benignitate, & virtute vestra, ea Persei fuisset, & præmia petitum ad victorem regem venissemus in Macedoniam, quid tandem diceremus? Pecunia ne a nobis adjutum, an frumento? auxiliis terrestribus, an navalibus? Quod præsidium tenuisse nos? Ubi pugnasse, aut sub illius ducibus, aut per nos ipsos? Si quæreret, ubi miles noster, ubi navi intra præsidia sua fuissent, quid responderemus? Caussam fortasse diceremus apud victorem, quemadmodum apud vos dicimus. Hoc enim legatos utroque de pace mittendo consecuti sumus, ut ne ab utraque parte gratiam iniremus, ab altera etiam crimen & periculum esset. Quanquam Perseus vere objiceret, id quod vos non potestis, P. C., nos principio belli misisse ad vos legatos, qui pollicerentur vobis quæ ad bellum opus esset: * navalibus, armis, juventute nostra, sicut prioribus bellis, ad omnia paratos fore. ne præstaremus, per vos stetit, qui de quacunque caussa tum aspernati nostra auxilia estis. Neque fecimus igitur quicquam tanquam hostes, neque bonorum sociorum defuimus officio, sed a vobis prohibiti præstare fuimus. Quid igitur? nihil ne factum, neque dictum est in civitate vestra Rhodii, quod nolletis, quo merito offenderetur pop. Rom.? Hinc jam non quod factum est defensurus sum, non adeo insania, sed publicam caussam a privatorum culpa segregaturus. Nulla enim est civitas, quæ non & improbos cives aliquando, & imperitam multitudinem semper habeat. Etiam apud vos fuisse audivi, qui assentando multitudini grassarentur: & secessisse aliquando a vobis plebem, nec in potestate vestra * P. R. fuisse. Si hoc in hac tam bene morata civitate accidere*

*al. navibus.

*2. Rep.

videre potuit, mirari quisquam potest, aliquos fuisse apud nos, qui regis amicitiam petentes, plebem nostram consiliis depravarent? qui tamen nihil ultra valuerunt, quam ut in officio cessaremus. Non præteribo id, quod gravissimum est in hoc bello, crimen civitatis nostræ. Legatos eodem tempore & ad vos & ad Persea de pace misimus. quod infelix consilium furiosus (ut postea audivimus) orator stultissimum fecit, quem sic locutum constat, tanquam C. Popillius legatus Romanus, quem ad summovendos a bello Antiochum & Ptolemæum regem misistis, loqueretur. Sed tamen ea (sive superbia, sive stultitia appellanda est), eadem quæ apud vos, & apud Persea fuit. Tam civitatum, quam singulorum hominum mores sunt: gentes quoque aliæ iracundæ, aliæ audaces, quædam timidæ: in vinum, in venerem proniores aliæ sunt. Atheniensium populum fama est celerem, & supra vires audacem esse ad conandum: Lacedæmoniorum cunctatorem, & vix in ea, quibus fidit, ingredientem. Non negaverim & totam Asiæ regionem inaniora parere ingenia: & nostrorum tumidiorem sermonem esse, quod excellere inter finitimas civitates videamur; & id ipsum non tam viribus nostris, quam vestris honoribus ac judiciis. Satis quidem & tunc in præsentia castigata illa legatio erat, cum tam tristi responso vestro dimissa. si tum parum ignominiæ pensum est, hæc certe tam miserabilis ac supplex legatio, etiam insolentioris, quam illa fuit, legationis satis magnum piaculum esset. Superbiam, verborum præsertim, iracundi oderunt, prudentes irrident: utique si inferioris adversus superiorem est, capitali pœna nemo unquam dignam judicavit. Id vero periculum erat, ne Romanos Rhodii contemnerent. etiam deos aliqui verbis ferocioribus increpant, nec ob id quenquam fulmine ictum audivimus. Quid igitur superat quod purgemus? si nec factum hostile ullum nostrum est, & verba tumidiora legati offensionem aurium, non perniciem civitatis meruerunt? Voluntatis nostræ tacite velut litem æstimari vestris inter vos sermonibus audio, P. C., favisse nos regi, & illum vincere maluisse: ideo bello persequendos esse credunt. Alii vestrum, voluisse quidem nos hoc, non tamen ob id bello persequendos esse: neque moribus, neque legibus ullius civitatis ita comparatum esse, ut si quis vellet inimicum perire, si nihil fecerit quo id fiat, capitis damnetur. His qui nos pœna non crimine liberant, gratiam quidem habemus: ipsi nobis hanc dici-

mus

mus legem, si omnes voluimus quod arguimur, non distinguimus voluntatem a facto: omnes plectamur. Si alii principum nostrorum vobis, alii reges faverunt, non postulo ut propter nos, qui partium vestrarum fuimus, regis fautores salvi sint: illud deprecor, ne nos propter illos pereamus. Non estis vos illis infestiores, quam civitas ipsa: & hoc qui sciebant, plerique eorum aut profugerunt, aut mortem sibi consciverunt; alii damnati a nobis in potestate nostra erunt, Patres conscripti. Cæteri Rhodii, sicut gratiam nullam meriti hoc bello, ita ne pœnam quidem sumus. Priorum nostrorum benefactorum cumulus, hoc quod nunc cessatum in officio est, expleat. Cum tribus regibus gessistis bella per hos annos. ne plus obsit nobis quod uno bello cessavimus, quam quod duobus bellis pro vobis pugnavimus. Philippum, Antiochum, Persea, tanquam tres sententias ponite, duæ nos absolvunt, una dubia est, ut gravior sit. Illi de nobis si judicarent, damnati essemus. vos judicate, Patres conscripti, sit Rhodus in terris, an funditus deleatur. Non enim de bello deliberatis, Patres conscripti, quod inferre potestis, gerere non potestis: cum nemo Rhodiorum arma adversus vos laturus sit. Si perseverabitis in ira, tempus a vobis petemus, quo hanc funestam legationem domum referamus: omnia libera capita, quicquid Rhodiorum virorum, fœminarum est, cum omni pecunia nostra naves conscendemus: ac relictis penatibus publicis privatisque Romam veniemus: & omni auro & argento, quidquid publici, quidquid privati est, in comitio, in vestibulo curiæ vestræ cumulato, corpora nostra conjugumque ac liberorum vestræ potestati permittemus, hic passuri quodcunque patiendum erit. procul ab oculis nostris urbs nostra diripiatur, incendatur. Hostes Rhodios esse Romani judicare possunt: est tamen & nostrum aliquod de nobis judicium, quo nunquam judicavimus nos vestros hostes: nec quicquam hostile, etiam si omnia patiemur, faciemus.

CAPUT XXIII.

Rhodii, dicta in senatu caussa, neque ut socii, neque ut hostes dimittuntur: liberati belli metu, quod ab Romanis sibi instare credebant, aliam legationem cum dono Romam mittunt: interim deficientes Cariæ urbes nonnullas parere cogunt.

25 SEcundum talem orationem universi rursus prociderunt, ramosque oleæ supplices jactantes, tandem excitati curia excesserunt. Tunc sententiæ interrogari cœptæ. Infe-

ſtiſſimi Rhodiis erant, qui conſules prætoreſve aut legati geſſerant in Macedonia bellum. Plurimum cauſſam eorum adjuvit M. Porcius Cato; qui aſper ingenio, tum lenem mitemque ſenatorem egit. Non inſeram, ſimulacrum viri copioſi, quæ dixerit referendo; ipſius oratio ſcripta extat, Originum quinto libro incluſa. Rhodiis reſponſum ita redditum eſt, *ut nec hoſtes fierent, nec ſocii permanerent.* Philocrates & Aſtymedes principes legationis erant partem cum Philocrate renuntiare Rhodum legationem placuit, partem cum Aſtymede Romæ ſubſiſtere: * quæ agerentur ſciret, certioreſque ſuos faceret. In præſentia deducere ante certam diem ex Lycia Cariaque juſſerunt præfectos. Hæc Rhodum nuntiata, quæ per ſe triſtia fuiſſent, quia majoris mali levatus erat timor, cum bellum timuiſſent, in gaudium renuntiata verterunt. Itaque extemplo coronam XX. millium aureorum decreverunt. * Theodotum præfectum claſſis in eam legationem miſerunt. Societatem ab Romanis ita volebant peti, ut nullum de ea re ſcitum populi fieret, aut literis mandaretur: quod niſi impetrarent, major repulſis ignominia eſſet. Præfecti claſſis id unius erat jus, ut agere de ea re ſine rogatione ulla perlata poſſet. Nam ita per tot annos in amicitia fuerant, ut ſociali fœdere ſe cum Romanis non illigarent: ob nullam aliam cauſſam, quam ne ſpem regibus abſcinderent auxilii ſui, ſi cui opus eſſet, neu ſibi ipſis fructus ex benignitate & fortuna eorum percipiendi. Tunc utique petenda ſocietas videbatur, non quæ tutiores eos ab aliis faceret (nec enim timebant quenquam præter Romanos) ſed quæ ipſis Romanis minus ſuſpectos. Sub idem fere tempus & Caunii deſcivere ab his, & Mylaſſenſes Euromenſium oppida occuparunt. Non ita fracti animi civitatis erant, ut non ſentirent, ſi Lycia & Caria ademtæ ab Romanis forent, cætera aut ſeipſa per defectionem liberarēt, aut a finitimis occupārentur. includi ſe inſulæ parvæ & ſterilis agri litoribus, quæ nequaquam alere tantæ urbis populum poſſet. Miſſa igitur juventute propere, & Caunios, quanquam Cybiratarum aſciverant auxilia, coegerunt imperio parere: & Mylaſſenſes Alabandæoſque, qui, Euromenſium provincia ademta, ad ipſos conjuncto exercitu venerunt, circa Orthoſiam acie vicerunt.

*al. qui quæ.

*al. Theætetum.

CA-

CAPUT XXIV.

1. *Anicius ex Illyrico profectus in Epirum, provinciam, redactis in potestatem omnibus oppidis, pacat: reversus in Illyricum, de sententia legatorum, quos ad id senatus misit, dat libertatem Illyriis, eosque in tres regiones dividit.*

6 Dum hæc ibi, alia in Macedonia, alia Romæ geruntur, interim in Illyrico L. Anicius, rege Gentio, sicut ante dictum est, in potestatem redacto, Scodræ, quæ regia fuerat, præsidio imposito Gabinium præfecit, Rhizoni & Olcinio urbibus opportunis C. Licinium. Præpositis his Illyrico, cum reliquo exercitu in Epirum est profectus. Ubi prima Phanota ei dedita, tota multitudine cum infulis obviam effusa. Hic præsidio imposito, in Molossidem transgressus: cujus oppidis præter Passaronem, & Tegmonem, & Phylacen, & Horreum, receptis, primum ad Passaronem ducit. Antinous & Theodotus principes ejus civitatis erant, insignes & favore Persei, & odio adversus Romanos, iidem universæ genti auctores desciscendi ab Romanis. Hi conscientia privatæ noxæ, quia ipsis nulla spes veniæ erat, ut communi ruina patriæ opprimerentur, clauserunt portas, multitudinem ut mortem servituti præponerent hortantes. Nemo adversus præpotentes viros hiscere audebat. Tandem Theodotus quidam nobilis & ipse adolescens, cum major a Romanis metus timorem a principibus suis vicisset, *Quæ vos rabies*, inquit, *agitat, qui duorum hominum noxæ* * *civitatis accessionem* * *facitis? Equidem pro patria qui lethum oppetissent, sæpe fando audivi: qui patriam pro se perire æquum censerent, hi primi inventi sunt. Quin aperimus portas, & imperium accipimus quod orbis terrarum accepit?* Hæc dicentem cum multitudo sequeretur, Antinous & Theodotus in primam stationem hostium irruperunt, atque ibi offerentes se ipsi vulneribus interfecti, urbs dedita est Romanis. Simili pertinacia Cephalonis principis clausum Tegmonem, ipso interfecto, per deditionem recepit. Nec Phylace nec Horreum oppugnationem tulerunt. Pacata Epiro, divisisque in hiberna copiis per opportunas urbes, regressus ipse in Illyricum, Scodræ, quo quinque legati ab Roma venerant, evocatis ex tota provincia principibus, conventum habuit. Ibi pro tribunali pronuntiavit de sententia consilii, *S. P. Q. R. Illyrios esse liberos jubere, præsidia*

* al. civitatē.

ex omnibus oppidis, arcibus & castellis sese deducturum. non solum liberos, sed etiam immunes jore Issenses, & Taulantios, Dassaritiorum Pirustas, Rhizonitas, Olciniatas, quod incolumi Gentio ad Romanos defecissent. Daorseis quoque immunitatem dare, quod relicto Caravantio cum armis ad Romanos transissent: Scodrensibus & Dassarensibus & Selepitanis ceterisque Illyriis vectigal dimidium ejus quod regi pendissent. Inde in tres partes Illyricum divisit. unam eam fecit, quæ supra dicta est, alteram Labeatas omnes. tertiam Agravonitas, & Rhizonitas, & Olciniatas, accolasque eorum. Hac formula dicta in Illyrico, ipse in Epiri Passaronem in hiberna rediit.

CAPUT XXV.

Paulus Æmilius, misso Q. Maximo filio ad diripiendas urbes nonnullas, quæ pertinacius pro Perseo steterant, præpositoque castris C. Sulpitio Gallo, ipse ex Macedonia in Græciam proficiscitur: hac peragrata, in Macedoniam revertitur: advocato Amphipolim Macedonum concilio, ex sententia, decem legatorum pronuntiat de statu Macedoniæ; quam liberam esse jussam, in quatuor regiones describit.

27 DUm hæc in Illyrico geruntur, Paulus ante adventum decem legatorum Q. Maximum filium jam ab Roma regressum, ad Æginium & Agassas diripiendas mittit: Agassas, quod dum Martio COS. tradidissent urbem, *petita ultro societate Romana, defecerant rursus ad Persea: Æginiensium novum crimen erat: famæ de victoria Romanorum fidem non habentes, in quosdam militum urbem ingressos hostiliter sævierant. Ad Æniorum quoque hostiliter urbem diripiendam L. Postumium misit, quod pertinacius quam finitimæ civitates in armis fuerant. Autumni fere tempus erat, cujus temporis initio circumeundam Græciam, visendaque quæ nobilitata fama magis auribus accepta sunt, quam oculis noscuntur, ut statuit; præposito castris C. Sulpitio Gallo, profectus cum haud magno comitatu, tegentibus latera Scipione filio & Athenæo Eumenis regis fratre, per Thessaliam Delphos petit inclytum oraculum. Ubi sacrificio Apollini facto, inchoatas in vestibulo columnas, quibus impositurі statuas regis Persei fuerant, suis statuis victor destinavit. Lebadiæ quoque templum Jovis Trophonii adiit, ibi cum vidisset os specus, per quod oraculo utentes sciscitatum deos descendunt, sacrificio Jovi Hercinnæq;

facto, quorum ibi templum est, Chalcidem ad spectaculum Euripi, * ævoque ante insulæ ponte continenti junctæ descendit. A. Chalcide Aulidem trajicit trium millium spatio distantem, portum inclytum statione quondam mille navium Agamemnoniæ classis: Dianæque templum, ubi navibus cursum ad Trojam, filia victimas aris admota, rex ille regum petiit. Inde Oropum Atticæ ventum est: ubi pro deo vates Amphilochus colitur, templumque vetustum est fontibus rivisque circa amœnum: Athenas inde, plenas quidem & ipsas vetustate famæ, multa tamen visenda habentes: arcem, portus, muros Pyræum urbi jungentes, navalia magnorum imperatorum, simulacra deorum hominumque omni genere & materiæ & artium insignia. 28 Sacrificio Minervæ præsidi arcis in urbe facto profectus, Corinthum altero die pervenit. Urbs erat tunc præclara ante excidium. arx quoque & isthmus præbuere spectaculum; arx inter omnia in immanem altitudinem edita, scatens fontibus: isthmus duo maria ab occasu & ortu solis finitima arctis faucibus dirimens. Sicyonem inde & Argos nobiles urbes adit: inde haud parem opibus Epidaurum, sed inclytam Æsculapii nobili templo, quod V. millibus passuum ab urbe distans, nunc vestigiis revulsorum donorum, tum donis dives erat, quæ remediorum salutarium ægri mercedem sacraverat deo. Inde Lacedæmonem adit, non operum magnificentia, sed disciplina institutisque memorabilem: unde per Megalopolim Olympiam ascendit. Ubi & alia quidem spectanda visa, & Jovem velut præsentem intuens, motus animo est. Itaque haud secus quam si in Capitolio immolaturus esset, sacrificium amplius solito apparari jussit. Ita peragrata Græcia, ut nihil eorum quæ quisque Persei bello privatim ac publice sensisset, inquireret, ne cujus metu solicitaret animos sociorum. Demetriadem cum revertit, in itinere sordidata turba Ætolorum occurrit. mirantique & percunctanti quid esset, defertur, DL. principes ab Lycisco & Tisippo circumsesso senatu per milites Romanos missos a Bæbio præside interfectos, alios in exilium actos esse, bonaque eorum, qui interfecti essent, & exulum possidere qui arguebant. Jussis Amphipolim adesse, ipse convento Cn. Octavio Demetriade, postquam fama accidit trajecisse jam mare X. legatos, omni-

* al. Eubæq;

omnibus aliis omissis Apolloniam ad eos pergit. Quo cum Perseus obviam Amphipoli nimis soluta custodia processisset (id diei iter est) ipsum quidem benigne allocutus est: cæterum postquam in castra ad Amphipolim venit, graviter increpuisse traditur C. Sulpitium: primum quod Persea tam procul a se vagari per provinciam passus est: deinde quod adeo indulsisset militibus, ut nudare tegulis muros urbis ad tegenda hibernacula sua pateretur; referrique tegulas, & resarciri tecta, sicut fuerant, jussit. Et Persea quidem cum majore filio Philippo traditos A. Postumio in custodiam misit: filiam cum minore filio a Samothrace accitos Amphipolim, omni liberali cultu habuit. Ipse ubi dies venit, quo adesse Amphipolidenos principes civitatum jusserat, literasque omnes quæ ubique depositæ essent, & pecuniam regiam conferri, cum X. legatis circumfusa omni multitudinine Macedonum, in tribunali consedit. Assuetis regio imperio, tamen novum formam terribilem præbuit tribunal, summotor aditus, præco, accensus, insueta omnia oculis auribusque, quæ vel socios, nedum hostes victos terrere possent. Silentio per præconem facto, Paulus Latine, quæ senatui, quæ sibi ex consilii sententia visa essent, pronuntiavit: ea Cn Octavius prætor (nam & ipse aderat) interpretata sermone Græco referebat. *Omnium primum liberos esse jubere Macedonas, habentes urbes easdem agrosque, utentes legibus suis, annuos creantes magistratus. tributum dimidium eius quod pependissent regibus, pendere P. R. Deinde in IV. regiones dividi Macedoniam. unam fore & primam partem, quod agri inter Strymonem & Nessum amnem sit: accessurum huic parti trans Nessum ad orientem versum, qua Perseus tenuisset vicos, castella, oppida, præter Ænum & Maroneam & Abdera: trans Strymonem autem vergentia ad occasum, Bisalticam omnem cum Heraclea, quam Sinticen appellant. Secundam fore regionem, quam ab ortu Strymo amplecteretur amnis, præter Sinticen Heracleam & Bisaltas: ab occasu, qua Axius terminaret fluvius, additis Pæonis, qui prope Axium flumen ad regionem orientis colerent. Tertia pars facta, quam Axius ab oriente, Peneus amnis ab occasu cingunt. ad septentrionem Bora mons objicitur. adjecta huic parti regio Pæoniæ, qua ab occasu præter Axium amnem porrigitur. Edessa quoque & Beræa eodem concesserunt. IV. regio trans Boram mor-*

29

montem, una parte confinis Illyrico, altera Epyro. Capita regionum ubi concilia fierent, primæ regionis Amphipolim, secundæ Thessalonicen, tertiæ Pellam, quartæ Pelagoniam fecit. Eo concilia suæ cujusque regionis indici, pecuniam conferri, ibi magistratus creari jussit. Pronuntiavit deinde, *neque connubium, neque commercium agrorum ædificiorumque inter se placere cuiquam extra fines regionis suæ esse. Metalla quoque auri atque argenti non exerceri, ferri & æris permitti. Vectigal exercentibus dimidium ejus impositum, quod pependissent regi. Et sale invecto uti vetuit. Dardani repetentibus Pæoniam, quod & sua fuisset, & continens esset finibus suis, omnibus dare libertatem pronuntiavit, qui sub regno Persei fuissent. Post non impetratam Pæoniam, salis commercium dedit. tertiæ regioni imperavit, ut Stobos Pæoniæ deveherent, pretiumque statuit. Navalem materiam & ipsos cædere, & alios pati vetuit. Regionibus, quæ affines barbaris essent* (excepta autem tertia omnes erant) *permisit ut præsidia armata in finibus extremis haberent.* Hæc pronunciata primo die conventus varie affecerunt animos. Libertas præter spem data arrexit, & levatum annuum vectigal. regionatim commerciis interruptis ita videri lacerata, tanquam animalia in artus alterum alterius indigentes distracta: adeo quanta Macedonia esset, quam divisui facilis, * & a se ipsa quæque contemta pars esset, Macedones quoque ignorabant. Pars prima Bisaltas habet fortissimos viros (trans Nessum amnem incolunt, & circa Strymonem) & multas frugum proprietates, & metalla, & opportunitatem Amphipolis, quæ objecta claudit omnes ab oriente sole in Macedoniam aditus. Secunda pars celeberrimas urbes Thessalonicen & Cassandriam habet, ad hoc Pallenem fertilem ac frugiferam terram. maritimas quoque opportunitates ei præbent portus ad Toronem ac montem Atho (Aneæ vocant hunc) alii ad insulam Eubœam, alii ad Hellespontum opportune versi. Tertia regio nobiles urbes Edessam & Berœam & Pellam habet, & Vettiorum bellicosam gentem: incolas quoque permultos Gallos & Illyrios impigros cultores. Quartam regionem Heordei & Lincestæ & Pelagones incolunt: juncta his Atintania & Stymphalis & Elimiotis. Frigida hæc omnis, duraque cultu, & aspera plaga est, cultorum quoque ingenia terræ similia habet. ferociores eos & accolæ barbari fa-

30

* al. ut se ipsa quæque contenta.

faciunt, nunc bello exercentes, nunc in pace miscentes ritus suos. Divisæ itaque Macedoniæ partium usibus separatis, quanta universos teneat Macedonas formula dicta, cum leges quoque se daturum ostendisset.

CAPUT XXVI.

Paulus Æmilius cum decem legatis in eas Græciæ, atque Asiæ gentes, quæ partium Persei fuerunt, inquirit.

31 ÆToli deinde citati: in qua cognitione magis utra pars Romanis, utra regi favisset, quæsitum est, quam utri fecissent injuriam, aut accepissent. Noxa liberati interfectores, exilium pulsis æque ratum fuit, ac mors interfectis. A. Bæbius unus est damnatus, quod milites Romanos præbuisset ad ministerium cædis. Hic eventus Ætolorum caussæ in omnibus Græciæ gentibus populisque eorum, qui partis Romanorum fuerant, inflavit ad intolerabilem superbiam animos, & obnoxios pedibus eorum subjecit, quos aliqua parte suspicio favoris in regem contigerat. Tria genera principum in civitatibus erant: duo quæ adulando aut Romanorum imperium, aut amicitiam regum sibi privatim opes oppressis faciebant civitatibus: medium unum utrique generi adversum, libertatem & leges tuebatur His ut major a ud suos caritas, ita minor apud externos gratia erat Secundis rebus elati Romanorum partis ejus fautores, soli tum in magistratibus, soli in legationibus erant. Hi cum frequentes & ex Peloponneso, & ex Bœotia, & ex aliis Græciæ conciliis adessent, implevere aures decem legatorum: *non eos tantum, qui se propalam per vanitatem jactassent tanquam hospites & amicos Persei, sed multo plures alios ex occulto favisse: reliquos per speciem tuendæ libertatis in conciliis adversus Romanos omnia instruxisse: nec aliter eas mansuras in fide gentes, nisi fractis animis partium aleretur, confirmareturque auctoritas eorum, qui nihil præter imperium Romanorum expectarent*. Ab his editis nominibus, evocatis literis imperatoris ex Ætolia Acarnania, & Epiro & Bœotia, qui Romam ad caussam dicendam sequerentur: in Achajam ex decem legatorum numero profecti duo, C. Claudius, & Cn. Domitius, ut ipsi edicto evocarent. Id duabus de caussis factum, una quod fiduciæ plus animorumque esse Achæis ad non parendum credebant, & forsitan etiam in periculo fore Callicratem & cæteros criminum auctores delatoresque:

alte-

altera, cur præsentes evocarent, caussa erat, quod ex aliis gentibus principum literas deprehensas in commentariis regiis habebant: in Achæis cæcum erat crimen, nullis eorum literis inventis. Ætolis dimissis, Acarnanum citata gens: in his nihil novatum, nisi quod Leucas exemta est Acarnanum concilio. Quærendo deinde latius, qui publice aut privatim partium regis fuissent, in Asiam quoque cognitionem extendere, & ad Antissam in Lesbo insula diruendam, traducendos Methymnam Antissæos, Labeonem miserunt: quod Antenorem regium præfectum, quo tempore cum lembis circa Lesbum est vagatus, portu receptum commeatibus juvissent. Duo securi percussi viri insignes; Andronicus Andronici filius Ætolus, quod patrem secutus arma contra populum Romanum tulisset: & Neo Thebanus, quo auctore societatem cum Perseo junxerant.

CAPUT XXVII.

Æmilius, ad firmandum rerum statum in Macedonia, assignat genti commune concilium, & salubres dat leges: ne quid libertati officiat, eos omnes, qui in regiis ministeriis fuerunt, jubet Macedonia excedere, atque in Italiam ire.

His rerum externarum cognitionibus interpositis, Macedonum rursus advocatum concilium: pronuntiatum, *quod ad statum Macedoniæ pertinebat, senatores, quos Synedros vocant, legendos esse, quorum consilio Respublica administraretur.* Nomina deinde sũt recitata principum Macedonum, quos cum liberis majoribus quam XV. annos natis præcedere in Italiam placeret. Id prima specie sævum, mox apparuit multitudini Macedonum pro libertate sua esse factum. Nominati sunt enim regis amici purpuratique duces exercituum, præfecti navium aut præsidiorum, servire regi humiliter, aliis superbe imperare assueti: prædivites alii, alii quos fortuna non æquarent, his sumtibus pares: regius omnibus victus vestitusque, nulli civilis animus, neque legum neque libertatis æquæ patiens. Omnes igitur, qui in aliquibus ministeriis regiis, etiam qui in minimis legationibus fuerant, jussi Macedonia exce-

12

dere, atque in Italiam ire: qui non paruiſſet imperio, mors denuntiata. Leges Macedoniæ dedit cum tanta cura, ut non hoſtibus victis, ſed ſociis bene meritis dare videretur, & quas ne uſus quidem longo tempore, qui unus eſt legum corrector, experiendo argueret.

CAPUT XXVIII.

Æmilius in maximo Europæ atque Aſiæ conventu facit Amphipoli apparatiſſimum ludicrum.

AB ſeriis rebus ludicrum, quod ex multo ante præparato, & in Aſiæ civitates & ad reges miſſis qui denuntiarent, & cum circumiret ipſe Græciæ civitates, indixerat principibus, magno apparatu Amphipoli fecit. Nam & artificum omnis generis, qui ludicram artem faciebant, ex toto orbe terrarum multitudo, & athletarum & nobilium equorum convenit: & legationes cum victimis, & quicquid aliud deorum hominumque cauſſa fieri magnis ludis in Græcia ſolet. Ita factum eſt, ut non magnificentiam tantum, ſed prudentiam in dandis ſpectaculis, ad quæ rudes tum Romani erant, admirarentur. Epulæ quoque legationibus paratæ & opulentia & cura eadem. Vulgo dictum ipſius ferebant, & convivium inſtruere, & ludos parare ejuſdem eſſe, qui vincere bello ſciret. Edito 33 ludicro omnis generis, clypeiſque æreis in naves impoſitis, cætera omnis generis arma cumulata in ingentem acervum, precatus Martem, Minervam, * Luamque matrem, & cæteros deos, quibus ſpolia hoſtium dicare jus faſque eſt, ipſe imperator face ſubdita ſuccendit, deinde circumſtantes tribuni militum pro ſe quiſque ignes conjecerunt. Notata eſt in illo conventu Europæ Aſiæque, undique partim ad gratulationem, partim ad ſpectaculum contracta multitudine, tantis navalibus terreſtribuſque exercitibus, ea copia rerum, ea vilitas annonæ, ut & privatis, & civitatibus, & gentibus dona data pleraque ejus generis ſint ab imperatore, non in uſum modo præſentem, ſed etiam quod domos avehe-rent. Spectaculo fuit ei, quæ venerat turbæ, non ſcenicum magis ludicrum, non certamina hominum, aut curricula equorum, quam præda Macedonica omnis ut viſeretur expoſita, ſtatuarum tabularumque, textilium & vaſorum ex auro & argento & ære & ebore factorum ingenti cura in ea regia, ut non in præſentem modo ſpeciem * qualibus referta regia Alexandriæ quaerat, ſed in perpetuum uſum fierent. Hæc in claſſem impoſita, devehēda Romam Cn. Octavio data.

* al. Luam matrem, quæ. — * al. lis.

CA-

CAPUT XXIX.

Æmilius ex Macedonia profectus, missis P. Nasica, & Q. Maximo filio ad depopulandos Illyricos, qui Persea juverant bello, ipse in Epirum venit: direptis ibi multis urbibus, divisaque opima præda militibus, ad mare Oricum descendit: inde in Italiam transgreditur: paullo post trajicit & Anicius.

PAulus benigne legatis dimissis, transgressus Strymonem, mille passuum ab Amphipoli castra posuit: inde profectus, Pellam quinto die pervenit. Prætergressus urbem, ad Spelæum (quod vocant) biduum moratus, P. Nasicam, & Q. Maximum filium cum parte copiarum ad depopulandos Illyrios, qui Persea juverant bello, misit, jussos ad Oricum sibi occurrere. ipse Epirum petens quintisdecimis castris Passaronem pervenit. Haud procul inde Anicii castra aberant. ad quem literis missis, ne quid ad ea, quæ fierent, moveretur: senatum prædam Epiri civitatum, quæ ad Persea defecissent, exercitui dedisse: summissis centurionibus in singulas urbes, qui se dicerent ad præsidia deducenda venisse, ut liberi Epirotæ sicut Macedones essent, denos principes ex singulis evocavit civitatibus. quibus cum denuntiasset, ut aurum atque argentum in publicum proferretur, per omnes civitates cohortes dimisit. ante in ulteriores quam in propiores profecti, ut uno die in omnes perveniretur. Edita tribunis centurionibusque erant, quæ agerentur. mane omne aurum argentumque collatum: hora quarta signum ad diripiendas urbes datum est militibus: tantaque præda fuit, ut in equitem CCCC. denarii, peditibus duceni dividerentur, CL. millia capitum humanorum abducerentur. Muri deinde direptarum urbium diruti sunt: ea fuere oppida circa LXX. vendita præda omnium, de ea summa militi numeratum est. Paulus ad mare Oricum descendit, nequaquam, ut ratus erat, expletis militum animis, qui tanquam nullum in Macedonia gessissent bellum, expertes regiæ prædæ esse indignabantur. Orici cum missas cum Scipione Nasica Maximoque filio copias invenisset, exercitu in naves imposito in Italiam trajecit. Et post paucos dies Anicius conventu reliquorum Epirotarum Acarnanumque acto, jussisque in Italiam sequi principibus, quorum cognitionem caussę reservarat, & ipse navibus expectatis, quibus usus Macedonicus exercitus erat, in Italiam trajecit.

CAPUT XXX.

Legati missi ab Senatu in Asiam ad comprimendum tumultum Gallorum, qui Eumeni regi bellum intulerant, nihil proficiunt.

CUm hæc in Macedonia Epiroque gesta sunt, legati qui cum Attalo ad finiendum bellum inter Gallos & regem Eumenem missi erant, in Asiam pervenerunt. Induciis per hiemem factis, & Galli domo abierant, & rex in hiberna concesserat Pergamum, gravique morbo æger fuerat. Ver primum ex domo excivit: jamque Synnada pervenerant, cum Eumenes ad Sardes undique exercitum contraxerat. Ibi & Romani Solovettium ducē Gallorum Synnadis allocuti, & Attalus cum eis profectus: sed castra Gallorum intrare eum non placuit, ne animi ex disceptatione irritarentur. P. Licinius cum reguloGallorum est locutus, retulitque ferociorem eum deprecando factum, ut mirum videri posset, inter opulentos reges Antiochum Ptolemæumque tantum legatorum Romanorum verba valuisse, ut extemplo pacem facerent, apud Gallos nullius momenti fuisse.

CAPUT XXXI.

Reges Perseus, & Gentius Romam adducti, cum alia turba captivorum, tum qui principes Macedonum, atque Græcorum fuerant accersiti, dantur in custodiam: venientibus deinde ad Urbem Paulo, Anicio, & Octavio triumphus a senatu decernitur: Paulo tamen propter minorem prædam a militibus triumphus impeditur.

ROmam primum reges captivi Perseus & Gentius in custodiam cnm liberis abducti, dein turba alia captivorum: tum quibus Macedonum denuntiatum erat ut Romam venirent, principumque Græciæ: nam hi quoque non solum præsentes exciti erant, sed etiam si qui apud reges esse dicebantur, literis accersiti sunt. Paulus ipse post dies paucos regia nave ingentis magnitudinis, quam XVI. versus remorum agebant, ornata Macedonicis spoliis, non insignium tantum armorum, sed etiam regiorum textilium, adverso Tiberi ad urbem est subvectus, completis ripis obviam effusa multitudine. Paucos post dies Anicius & Octavius classe sua advecti. Tribus iis omnibus decretus est ab senatu triumphus; mandatumque Q. Cassio prætori, cum trib. pleb. ex auctoritate patrum ageret, rogationem ad plebem ferrent,

ut iis, quo die urbem triumphantes inveherentur, imperium esset. Intacta invidia media sunt, ad summa ferme tendit. Nec de Anicii, nec de Octavii triumpho dubitatum est. Paulum, cui ipsi quoque se comparare erubuissent, obtrectatio carpsit. Antiqua disciplina milites habuerat. de præda parcius quam speraverant, ex tantis regiis opibus dederat, nihil relicturus, si aviditati indulgeretur, quod in ærarium deferret. totus Macedonicus exercitus imperatori erat negligenter adfuturus comitiis ferrendæ legis: sed eos Servius Sulpitius Galba, qui trib. mil. secundæ legionis in Macedonia fuerat, privatim imperatori inimicus, prensando ipse, & per suæ legionis milites solicitando, stimulaverat ut frequentes ad suffragium adessent, *imperiosum ducem & malignum, antiquando rogationem quæ de triumpho ejus ferretur, ulciscerentur: plebem urbanam secuturam esse militum judicia: pecuniam illū dare non potuisse, militem honorē dare non posse: ne speraret ibi fructum gratiæ, ubi non meruisset.* His incitatis, cū in Capitolio rogationem eam T. Sempronius tribunus pleb. ferret, & privatis lege dicēdi locus esset; nec ad suadendum, ut in re minime dubia, quisquam procederet; Servius Galba repente processit, & a tribuno postulavit, *ut quoniam hora jam octava diei esset, nec satis temporis ad demonstrandum haberet, cur L. Æmilium non juberent triumphare, in posterum diem differrent, & mane eam rem agerent. Integro sibi die ad caussam eam orandam opus esse.* Cum tribunus dicere eo die si quid vellet, juberet: in noctem rem dicendo extraxit, referendo admonendoque, *exacta acerbe munia militiæ: plus laboris, plus periculi quam desiderasset res, injunctum: contra in præmiis, in honoribus omnia arctata: militiamque, si talibus succedat ducibus, horridiorem asperioremque bellantibus, eandem victoribus inopem atque inhonoratam futuram. Macedonas in meliori fortuna, quam milites Romanos esse. Si frequentes postero die ad legem antiquandam adessent, intellecturos potentes viros, non omnia in ducis, aliquid & in militum manu esse.* His vocibus incitati, postero die milites tanta frequentia Capitolium compleverunt, ut aditus nulli præterea ad suffragium ferendum esset. Intro vocatæ primæ tribus cum antiquarent, concursus in Capitolium principum civitatis factus est, *indignum facinus esse* clamitantium, *L. Paulum tanti* [*] *belli victorem despoliari triumpho: obnoxios imperatores tradi licentiæ atque avaritiæ militari:* [*] *in uno nimis sæpe per ambitionem peccare:* pe-

[*] al. ultro
[*] nimis sæ-pe.

Quid si domini milites imperatoribus imponantur? In Galbam pro se quisque probra ingerere.

CAPUT XXXII.

Pro Pauli Æmilii triumpho M. Servilius orationem ad populum habet.

Tandem hoc tumultu sedato, M. Servilius, qui COS, & magister equitum fuerat, ut de integro eam rem agerent, ab tribunis petere, dicendique sibi ad populum potestatem facerent. Tribuni cum ad deliberandum secessissent, victi auctoritatibus principum, de integro agere cœperunt; revocaturósque se easdem tribus renuntiarunt, si M. Servilius aliique privati qui dicere vellent, dixissent. Tum Servilius:

37 *Quantus imp. L. Æmilius fuerit, Quirites, si ex alia re nulla æstimari possit, vel hoc satis erat, quod cum tam seditiosos & leves milites, tam nobilem, tam temerarium, tam eloquentem ad instigandam multitudinem inimicum in castris haberet, nullam in exercitu seditionem habuit. Eadem severitas imperii, quam nunc oderunt, tunc eos continuit. Itaque antiqua disciplina habiti* neque fecerunt. Servius quidem Galba, si in L. Paulo accusando tyrocinium ponere, & documentum eloquentiæ dare voluit, non triumphum impedire debuit: quem, si nihil aliud, senatus justum esse judicaverat: sed postero die quam triumphatum est, privatum cum visurus esset, nomen * deferret, & legibus* interrogaret: aut serius paullo, cum primum magistratus ipse cœpisset, diem diceret, inimicum ad populum accusaret. Ita & pretium recte facti triumphum haberet L. Paulus pro egregie bello gesto: & pœnam, si quid & vetere gloria sua & nova indignum fecisset. Sed videlicet cui nullum crimen * probrum dicere poterat, ejus obtrectare laudes voluit. Diem integrum hesterno die ad accusandum L. Paulum petiit: quatuor horas, quantum superaverat diei, dicendo absumsit. Quis unquam tam nocens reus fuit, cujus vitia vitæ tot horis expromi non possent? Quid interim objecit, quod L. Paulus, si caussam dicat, negatum velit? Duas mihi aliquis conciones parumper faciat, unam militum Macedonicorum, puram alteram integrioris judicii & favore & odio; universo judicante P. R. apud concionem togatam & urbanam prius reus agatur. Quid apud Quirites Romanos, Servi Galba, diceres? Illa enim tibi tota abscissa oratio esset. In statione severius & intentius institisti: vigiliæ acerbius & diligentius circumitæ sunt: operis plus quam antea fecisti, cum ipse imperator & exactor circumires. Eodem die & iter fecisti, & in aciem ex itinere duxisti. Ne victorem qui-*

* al. tunc quieverunt.

* al. de
* al. nullum probrum

quidem te acquiescere passus est, statim ad persequendos hostes duxit. Cum te præda partienda locupletem facere posset, pecuniam regiam translaturus in triumpho est, & in ærarium laturus. Hæc sicut ad militum animos stimulandos aliquem aculeum habent, qui parum licentiæ, parum avaritiæ suæ inservitum censent: ita apud P. R. nihil valuissent, qui ut vetera atque audita a parentibus suis non repetat, quæ ambitione imperatorum clades acceptæ sint, quæ severitate imperii victoriæ partæ: proximo certe Punico bello, quid inter M. Minutium magistrum equitum, & Q. Fabium Maximum dictatorem interfuerit, meminit. Itaque accusatorem id scire potuisse, & supervacaneam defensionem Pauli fuisse. Transeatur ad alteram concionem, nec Quirites vos, sed milites videor appellaturus, si nomen hoc saltem ruborem incutere, & verecundiam aliquam imperatoris violandi afferre possit. 38 *Equidem ipse aliter affectus animo sum, qui apud exercitum mihi loqui videar, quam paullo ante eram cum ad plebem urbanam spectabat oratio. Quid etiam dicitis milites? aliquis est Romæ, præter Persea, qui triumphari de Macedonibus nolit: & eum non iisdem manibus discerpitis, quibus Macedonas vicistis? Vincere vos prohibuisset, si potuisset, qui triumphantes urbem inire prohibet. Erratis milites, si triumphum imperatoris tantum, & non militum quoque, & universi P. R. esse decus censetis. Non unius hoc Pauli. Multi etiam qui ab senatu non impetrarunt triumphum, in monte Albano triumpharunt. Nemo L. Paulo magis eripere decus perfecti belli Macedonici potest, quam C. Luctatio primi Punici belli, quam P. Cornelio secundi, quam illis qui post eos triumphaverunt. Nec L. Paulum minorem aut majorem imperatorem triumphus faciet: militum magis in hoc universique P. R. fama agitur: primum ne invidiæ & ingrati animi adversus clarissimum quemque civem opinionem habeat, & imitari in hoc populum Atheniensem lacerantem invidia principes suos videatur. Satis peccatum in Camillo a majoribus vestris est, quem tamen ante receptam per eum a Gallis urbem violarunt: satis insuper a vobis in P. Africano, Literni domicilium & sedem fuisse domitoris Africæ, Literni sepulcrum ostendit. Erubescamus, gloria si par illis viris L. Paulus, injuria vestra exæquetur. Hæc igitur primum infamia deleatur, fœda apud alias gentes, damnosa apud nostros. Quis enim aut Africani, aut Pauli similis esse ingrata & inimica bonis civitate velit? Si infamia nulla esset, & de gloria tantum ageretur, qui tandem triumphus non communem*

nominis Romani gloriam habet? Tot de Gallis triumphi, tot de Hispanis, tot de Pœnis, ipsorum tantum imperatorum an P.R. dicuntur? Quemadmodum non de Pyrrho modo, nec de Hannibale, sed de Epirotis Carthaginiensibusque triumphi acti sunt: sic non M. Curius tantum, nec P. Cornelius, sed Romani triumpharunt. Militum quidem propria est caussa, qui & ipsi laureati, & quisque donis, quibus donati sunt, insignes, triumphum nomine cient: suasque & imp. laudes canentes per urbem incedunt. Si quando non deportati ex provincia milites ad triumphum sint, fremunt: & tamen tum quoque se absentes, quod suis manibus parta victoria sit, triumphare credunt. Si quis vos interroget, milites, ad quam rem in Italiam deportati, & non statim confecta provincia dimissi sitis: quid Romam frequentes sub signis veneritis, quid moremini hic, & non diversi domos quisque abeatis vestras: quid aliud respondeatis, quam vos triumphantes videri velle? Vos certe victores conspici velle

39 debebatis. Triumphatum nuper de Philippo patre hujus & de Antiocho est. ambo regnabant, cum de his triumphatum est. De Perseo capto in urbem cum liberis abducto non triumphabitur? quod si in curru scandentes Capitolium auratos purpuratosque, ex inferiore loco Lucius Paulus in turba togatorum unus privatus interroget: Luci Anici, Cn. Octavi, utrum vos digniores triumpho esse, an me censetis? currum ei cessuri, & præ pudore videntur insignia ipsi sua tradituri: & vos Gentium quam Persea duci in triumphum mavultis, Quirites, & de accessione potius belli quam de bello triumphari? Et legiones ex Illyrico laureatæ urbem inibunt, & navales socii? Macedonicæ legiones suo abrogato triumphos alienos spectabunt? Quid dein de tam opimæ prædæ, tam opulentæ victoriæ spoliis fiet? Quonam abdentur illa tot millia armorum detracta corporibus hostium? an in Macedoniam remittentur? Quo signa aurea, marmorea, eburnea, tabulæ pictæ, textilia, tantum argenti cælati, tantum auri, tanta pecunia regia? An noctu tanquam furtiva in ærarium deportabuntur? Quid illud spectaculum maximum, nobilissimus opulentissimusque rex captus ubi victori populo ostendetur? Quos Syphax rex captus, accessio Punici belli, concursus fecerit, plerique meminimus. Perseus rex captus, Philippus, & Alexander filii regis, tanta nomina subtrahentur civitatis oculis? Ipsum L. Paulum bis COS., domitorem Græciæ, omnium oculi conspicere urbem curru ingredientem avent. Ad hoc fecimus consulem, ut bellum per quadriennium ingenti etiam pudore

nostro

*nostro tractum perficeret: cui sortito provinciam, cui proficiscenti præsagientibus animis victoriam triumphumque destinavimus, ei victori triumphum negaturi? & quidem non homines tantum, sed deos etiam suo honore fraudaturi? diis quoque enim, non solum hominibus debetur. Utrum majores vestri omnium magnarum rerum & principia exorsi ab diis sunt, & finem eum statuerunt? Consul proficiscens, prætorio * paludatis lictoribus in provinciam & ad bellum, vota in Capitolio nuncupat: victor, perpetrato eodem, in eum Capitolio triumphans, ad eosdem deos, quibus vota nuncupavit, merita dona P. R. traducit. Pars non minima triumphi est, victimæ præcedentes, ut appareat diis grates agentem imperatorem ob Rempub. bene gestam redire. Omnes illas victimas, quas traducendas in triumpho * vindicavit, alias alio cædente mactate. Illas quidem epulas senatus, quæ nec privato loco, nec publico profano, sed in Capitolio eduntur, utrum hominum voluptatis caussa, an deorum hominumque, auctore Servio Galba, turbaturi estis? L. Pauli triumpho portæ claudentur? rex Macedonum Perseus cum liberis & turba alia captivorum, spolia Macedonum circa flumen relinquentur? L. Paulus privatus tanquam rure rediens a porta domum ibit? * Et tu centurio, miles, quid de imp. Paulo senatus decrevit, potius quam quid Servius Galba fabuletur, audi: & hoc dicere me potius, quam illum audi. Ille nihil præterquam loqui, & ipsum maledice ac maligne, didicit: ego ter & vicies cum hoste per provocationem pugnavi. ex omnibus, cum quibus manum conserui, spolia retuli, insigne corpus honestis cicatricibus omnibus adverso corpore exceptis habeo.* Nudasse deinde se dicitur, & quo quæque bello vulnera accepta essent, retulisse. Quæ dum ostentat, adapertis forte quæ velanda erant tumor inguinum proximis risum movit. tum, *hoc quoque quod ridetis*, inquit, *in equo dies noctesque persedendo habeo: nec magis me ejus quam cicatricum harum pudet pœnitetque: quando nunquam mihi impedimento ad Remp. bene gerendam domi militiæque fuit. Ego hoc ferro sæpe vexatum corpus vetus miles adolescentibus militibus ostendi. Galba nitens & integrum denudet. Revocate, si videtur, tribuni, ad suffragium tribus: ego ad vos milites*

* al. sul.
Gron. paludatus lictorib.
* al. dicavit.
* al. at.

* *

Intercidit finis orationis, qua usus est M. Servilius pro triumpho Pauli. Excidit præterea initium expositionis triumphi Pauli, quem egit per triduum IV. III. & pridie Kal. Dec.

CAPUT XXXIII.

Paulus Æmilius de Perseo rege triumphat.

40 summam omnis captivi auri argentique translati HS. * millies ducenties fuisse, Valerius Antias tradit: quæ haud dubie major aliquanto summa ex numero plaustrorum ponderibusque auri, argenti generatim ab ipso scriptis efficitur. Alterum tantum aut in bellum proximum absumtum, aut in fuga, cum Samothracem peteret, dissipatum tradunt: eoque id mirabilius erat, quod tantum pecuniæ intra triginta annos post bellum Philippi cum Romanis, partim ex fructu metallorum, partim ex vectigalibus aliis coacervatum fuerat. Itaque admodum inops pecuniæ Philippus, Perseus contra prædives, bellare cum Romanis cœpit. Ipse postremo Paulus in curru, magnam cum dignitate alia corporis, tum senecta ipsa majestatem præ se ferens, post currum inter alios illustres viros filii duo, Q. Maximus & P. Scipio: deinde equites turmatim, & cohortes peditum suis quæque ordinibus. Pediti in singulos dati centeni, duplex centurioni, triplex equiti: * tantum pediti daturum fuisse credunt, & pro rata aliis, si aut non refragati honori ejus fuissent, aut benigne hac ipsa summa nunciata acclamassent.

* al. bis milliens.

* al. alterum tantum.

CAPUT XXXIV.

Pauli Æmilii de Perseo rege triumphus duorum filiorum morte funestatur: hanc insignem calamitatem forti animo ferens, dignam Romano principe ad populum orationem habet.

SEd non Perseus tantum per illos dies documentum humanorum casuum fuit, in catenis ante currum victoris ducis per urbem hostium ductus, sed etiam victor Paulus auro purpuraque fulgens. Nam duobus e filiis, quos, duobus datis in adoptionem, solos nominis, sacrorum familiæque hæredes retinuerat domi, minor ferme XII. annos natus, quinque diebus ante triumphum, major XIV. annorum triduo post triumphum decessit, quos prætextatos

curru

curru vehi cum patre, sibi ipsos similes prædestinantes triumphos oportuerat. Paucis post diebus data a M. Antonio tribuno plebis concione, cum de suis rebus gestis more cæterorum imperatorum disseruisset, memorabilis ejus oratio, & digna Romano principe fuit. *Quanquam & quam feliciter remp. administraverim, & quod duo fulmina domum meam per hos dies perculerint, non ignorare vos, Quirites, arbitror, cum spectaculo vobis nunc triumphus meus, nunc funera liberorum meorum fuerint: tamen paucis, quæso, sinatis me cum publica felicitate comparare eo quo debeo animo privatam meam fortunam. Profectus ex Italia classem a Brundusio sole orto solvi: nona diei hora cum omnibus meis navibus Corcyram tenui. Inde quinto die Delphis Apollini pro me exercitibusque & classibus vestris * lustra sacrificavi. A Delphis quinto die in castra perveni: ubi exercitu accepto, mutatis quibusdam, quæ magna impedimenta victoriæ erant, progressus, quia inexpugnabilia castra hostium erant, neque cogi pugnare poterat rex, inter præsidia ejus saltum ad Petram evasi, & ad pugnam rege coacto acie vici, Macedoniam in potestatem P. R. redegi, & quod bellum per quadriennium quatuor ante me consules ita gesserunt, ut semper successori traderent gravius, id ego quindecim diebus perfeci. Aliarum deinde secundarum rerum velut proventus secutus: civitates omnes Macedoniæ se dediderunt: gaza regia in potestatem venit: rex ipse, tradentibus prope ipsis diis, in templo Samothracum cum liberis est captus. Mihi quoque ipsi nimia jam fortuna mea videri, eoque suspecta esse. Maris pericula timere cœpi in tanta pecunia regia in Italiam trajicienda, & victore exercitu transportando. Postquam omnia secundo navium cursu in Italiam pervenerunt, neque erat quod ultra precarer, illud optavi, ut cum ex summo retro volvi fortuna consuesset, mutationem ejus domus mea potius quam Resp. sentiret. Itaque defunctam esse fortunam publicam mea tam insigni calamitate spero, quod triumphus meus, velut ad ludibrium casuum humanorum, duobus funeribus liberorum meorum est interpositus. Et cum ego & Perseus nunc nobilia maxime sortis mortalium exempla spectemur, ille qui ante se captivos captivus, ipse duci liberos vidit, incolumes tamen eos habet: ego qui de illo triumphavi ab alterius funere filii curru ex Capitolio ad alterum prope jam expirantem veni: neque ex tanta stirpe liberum superest, qui Lucii Æmilii Pauli nomen ferat. Duos enim tanquam ex magna progenie liberorum in adoptionem datos*

* al. delento lustra.

tos Cornelia & Fabia gens habent; Pauli in domo præter se nemo superest. Sed hanc cladem domus meæ vestra felicitas & secunda fortuna publica consolatur. Hæc tanto dicta animo magis confundere audientium animos, quam si miserabiliter orbitatem suam deflendo locutus esset.

42

CAPUT XXXV.

Cn. Octavius navalem de rege Perseo triumphum agit: venientibus deinde Romam legatis ab Cotye rege Thracum ad redimendum pecunia filium, & obsides, quos ille dederat Perseo, senatus sine pretio remittit, datis legatis, qui eos in Thraciam reducerent.

CN. Octavius Kal. Decembribus de rege Perseo navalem triumphum egit. Is triumphus sine captivis fuit, sine spoliis. Dedit sociis navalibus in singulos denarios septuagenos quinque: gubernatoribus, qui in navibus fuerant, duplex, magistris navium quadruplex. Senatus deinde habitus est, patres censuerunt, ut Quintius Cassius Persea regem cum Alexandro filio Albam in custodiam duceret, comites, pecuniam, argentum, instrumentum quod haberet. Bitis regis Thracum filius cum obsidibus in custodiam Carseolos est missus. Cæteros captivos, qui in triumpho ducti erant, in carcerem condi placuit. Paucos post dies quam hæc acta, legati ab Cotye rege Thracum venerunt, pecuniam ad redimendum filium, aliosque obsides, apportantes. Eis in senatum introductis, & id ipsum argumenti prætendentibus orationis, non sua voluntate Cotyn bello juvisse Persea, quod obsides dare coactus esset, orantibusque ut eos pretio, quantum ipsi statuissent patres, redimi paterentur: responsum ex auctoritate senatus est, *Pop. Rom. meminisse amicitiæ, quæ cum Cotye majoribusque ejus & gente Thracum fuisset. obsides datos crimen, non criminis defensionem esse, cum Thracum genti ne quietus quidem Perseus, nedum bello Romano occupatus, timendus fuerit. Cæterum & si Cotys Persei gratiam prætulisset amicitiæ P. R.: magis quid se dignum esset, quam quid merito ejus fieri posset, æstimaturum: filium atque obsides ei remissurum. Beneficia gratuita esse P. R., pretium eorum malle relinquere in accipientium animis, quam præsens exigere.* Legati nominati, T. Quintius Flaminius, C. Licinius Nerva, M. Caninius Rebilus, qui obsides in Thraciam reducerent: & Thracibus in munera data in singulos binum millium æris. Bitis cum cæteris obsidibus a Carseolis accersitus, ad patrem cum legatis missus. Naves regiæ ca-

pta de Macedonibus inusitatæ ante magnitudinis in campo Martio subductæ sunt.

CAPUT XXXVI.

L. Anicii triumphus de rege Gentio, Illyriisque.

43 HÆrente adhuc non in animis modo, sed pene in oculis memoria Macedonici triumphi, L. Anicius Quirinalibus triumphavit de rege Gentio, Illyriisque. Similia omnia magis visa hominibus quã paria: minor ipse imperator & nobilitate Anicius cum Æmilio, & jure imperii prætor cum Cos. collatus. non Gentius Perseo, non Illyrii Macedonibus, non spolia spoliis, non pecunia pecuniæ, non dona donis comparari poterant. Itaque sicuti præfulgebat huic triumphus recens, ita apparebat ipsum per se intuentibus nequaquam esse contemnendum. Perdomuerat intra paucos dies terra marique ferocem, locisque munitis fretam gentem Illyriorum: regem regiæque omnes stirpis ceperat: transtulit in triumpham multa militaria signa, spoliaque alia, & supellectilem regiam: auri pondo xx. & vii.: argenti x. & ix. pondo: denarium tria millia, & cxx. millia Illyrici argenti. Ante currum ducti Gentius rex cum conjuge & liberis, & Caravantius frater regis, & quatuor nobiles Illyrii. De præda militibus in singulos quadragenos quinos denarios, duplex centurioni, triplex equiti, sociis nominis Latini quantum civibus, & sociis navalibus dedit quantum militibus. Laetior hunc triumphum est secutus miles, multisque dux ipse carminibus celebratus. HS. ducenties ex ea præda redactum esse, auctor est Antias, præter aurum argentumque quod in aerarium sit latum: quod quia unde redigi potuerit, non apparebat, auctorem pro re posui. Rex Gentius cum liberis & conjuge & fratre Spoletium in custodiam ex senatusconsulto ductus: caeteri captivi Romae in carcerem conjecti, recusantibusque custodiam Spoletinis * Igiturvium reges traducti. Reliquum ex Illyrico praedae ccxx. lembi erant: de Gentio rege captos eos Corcyræis & Apolloniatibus & Dyrrhachinis Q. Cassius ex senatusconsulto tribuit.

* al. Iguviũ.

CAPUT XXXVII.

Novi magistratus creantur: Coss. sunt M. Claudius Marcellus, C. Sulpitius Gallus. Hic annus est intercalaris.

44 COnsules eo anno agro tantum Ligurum populato, cum hostes exercitus nunquam eduxissent. nulla re memorabili gesta, Romam ad magistratus subrogandos redierunt: & primo comitiali die consules

les creant M. Claudium Marcellum, C. Sulpitium Gallum: Deinde prætores postero die L. Livium, L. Apuleium Saturninum, A. Licinium Nervam, P. Rutilium Calvum, P. Quintilium Varum, M. Fontejum. His prætoribus duæ urbanæ provinciæ sunt decretæ, duæ Hispaniæ, Sicilia ac Sardinia. Intercalatum eo anno, postridie Terminalia intercalares fuerunt. Augur eo anno mortuus est C. Claudius: in eum locum augures legerunt T. Quintium Flaminium, & flamen Quirinalis mortuus Q. Fabius Pictor.

CAPUT XXXVIII.

Prusias Bithyniæ rex Romam veniens de victis Perseo, & Gentio regibus gratulatur senatui, eique Nicomedem filium commendat. Hunc regem turpi usum adulatione, Polybius tradit.

EO anno rex Prusias venit Romam cum filio Nicomede. Is magno comitatu urbem ingressus, ad forum a porta, tribunalque Q. Cassii prætoris perrexit: concursuque undique facto, *deos qui urbem Romam incolerent, senatumque & Pop. R. salutatum se* dixit *venisse, & gratulatum quod Persea Gentiumque reges vicissent, Macedonibusque & Illyriis in ditionem redactis auxissent imperium.* Cum prætor senatum ei, si velit, eo die daturum dixisset, biduum petiit, quo templa deum urbemque & hospites amicosque viseret. Datus qui circumduceret eum L. Cornelius Scipio quæstor, qui & Capuam ei obviam missus fuerat: & ædes, quæ ipsum comitesque ejus benigne reciperent, conductae. Tertio post die senatum adit: gratulatus victoriam est: merita sua in eo bello commemoravit: petiit, *ut votum sibi solvere, Romæ in Capitolio X. majores hostias, & Præneste unam Fortunæ liceret: ea vota pro victoria P. R. esse.* Et ut societas secum renovaretur, agerque sibi de rege Antiocho captus, quem nulli datum a P. R. Galli possiderent, daretur. Filium postremo Nicomedem senatui commendavit. Omnium qui in Macedonia imperatores fuerant, favore est adjutus. Itaque caetera, quae petebat, concessa: de agro responsum est, *legatos ad rem inspiciendam missuros. Si ager P. R. fuisset, nec cuiquam datus esset, dignissimum eo dono Prusiam habituros esse. Si autem Antiochi non fuisset, eo ne populi quidem Romani factum apparere: aut si datus Gallis esset, ignoscere Prusiam debere, si ex nullius injuria quicquam ei datum vellet P. R. Ne* * *quod detur quidem, gratum esse donum posse, quod cum qui det, ubi vellet ablaturum esse sciat.*

* al. cui.

Fa-

Facile Nicomedis commendationem accipere. Quanta cura regum amicorum liberos tueatur P. R. documento Ptolemæum Ægypti regem esse. Cum hoc responso Prusias est dimissus. Munera ei ex sestertiis jussa dari, & vasorum argenteorum pondo L. & filio regis Nicomedi ex ea summa munera dari censuerunt, ex qua Masgabæ filio regis Massanissae data essent: & ut victimæ, aliaque quae ad sacrificium pertinerent, seu Romae, seu *Praeneste* implorare vellet, regi ex publico, sicut magistratibus Romanis, praeberentur: & ut ex classe, quae Brundusii esset, naves longae viginti assignarentur, quibus uteretur, donec ad classem dono datam ei rex pervenisset. L. Cornelius Scipio ne ab eo abscederet, sumtumque ipsi & comitibus præberet, donec navem conscendisset. Mire lætum *& ea benignitate in se populi Rom. regem fuisse ferunt: munera sibi ipsum* emisse, filium jussisse donum P. R. accipere. Hæc de *Prusia* nostri scriptores. *Polybius* eum regem indignum majestate nominis tanti tradit: pileatum capite raso obviam ire legatis solitum, libertumque se *P.* R. ferre, & ideo insignia ordinis ejus gerere Romæ quoque cum veniret in curiam, summisisse se, & osculo limen curiæ contigisse, & deos servatores suos senatum appellasse: aliamque orationem non tam honorificam audientibus, quam sibi deformem habuisse. Moratus circa urbem XXX. haud amplius dies, in regnum est profectus.

*al. ex.

*al. renunisse.

FINIS.

IN RELIQUOS

TITI LIVII LIBROS

QUI DESIDERANTUR

EPITOME.

LIBRI XLVI.

EUmenes rex Romam venit: qui quia Macedonico bello se medium egerat, ne aut inimicus judicatus videretur, si exclusus esset, aut liberatus crimine, si admitteretur: in comitio lex lata est, ne cuiquam regi Romam venire liceret. Claudius Marcellus Cos. Alpinos Gallos, C. Sulpitius Gallus Ligures subegit. Legati Prusiæ regis conquesti sunt de Eumene, quod fines suos depopularetur: dixeruntque eum conspirasse cum Antiocho contra populum Romanum. Societas cum deprecantibus Rhodiis juncta est. Lustrum a censoribus conditum est. Censa eo sunt civium capita cccxxvii. millia, xxii. Princeps senatus lectus M. Æmilius Lepidus. Ptolemæus Ægyptiorum rex a minore fratre e regno pulsus, missis ad eum legatis, in regno restitutus est. Ariarathe Cappadociæ rege mortuo, filius ejus Ariarathes accepit regnum, & amicitiam per legatos cum Pop. Rom. renovavit. Res præterea adversus Ligures, Corsos, & Lusitanos vario eventu gestas, & motus Syriæ, mortuo Antiocho, qui filium Antiochum puerum admodum reliquerat, continet. Hunc Antiochum puerum cum Lysia tutore Demetrius Seleuci filius, qui Romam obses missus fuerat, clam, quia minime dimittebatur a Romanis, interemit: & ipse in regnum receptus. L. Æmilius Paulus, qui Perseum vicerat, mortuus: cujus tanta abstinentia fuit, ut cum ex Hispania & Macedonia maximas opes retulisset, vix ex auctione bonorum ejus redactum sit, unde dos uxori ejus redderetur. Pomptinæ paludes a Cornelio Cethego consule, cui ea provincia evenerat, siccatæ, agerque ex iis factus.

LIBRI XLVII.

CN. Trebellio tribuno pleb. multa dicta est, quod cum M. Æmilio Lepido pontifice maximo injuriose

riose contenderat. sacrorum quoque magistratuum jus potentius fuit. Lex de ambitu lata. Lustrum a censoribus conditum est. censa sunt civium capita CCCXXVIII. millia, CCCXIV. Et princeps senatus lectus Æmilius Lepidus. Inter Ptolemæos fratres, qui dissidebant, fœdus ictum, ut alter in Ægypto, alter Cyrenis regnaret. Ariarathes Cappadociæ rex consilio Demetrii regis Syriæ & viribus pulsus regno, a senatu restitutus est. Missi a senatu legati, qui inter Massanissam & Carthaginienses de agro judicarent. C. Martius Cos. adversum Dalmatas parum prospere primum, postea feliciter pugnavit: cum quibus bello confligendi caussa fuit, quod Illyricos populi Romani socios vastaverant. eandemque gentem Cornelius Nasica Cos. domuit. Q. Opimius Cos. transalpinos Ligures, qui Massiliensium oppida Amphipolim & Nicæam vastabant, subegit. Præterea in Hispania a compluribus parum prospere res gestas continet. Consules anno quingentesimo nonagesimo octavo ab urbe condita magistratum, peractis comitiis, insequentisque anni consulibus creatis, inire cœperunt. Mutandi comitia caussa fuit, quod Hispani rebellabant. Legati ad disceptandum inter Massanissam & Carthaginienses missi nuntiaverunt vim navalis materiæ se Carthagine deprehendisse. Quidam prætores a provinciis avaritiæ nomine accusati & damnati sunt.

LIBRI XLVIII

Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt civium capita CCCXXIV. millia. Semina tertii belli Punici referuntur. Cum in finibus Carthaginiensium maximus Numidarum exercitus, Arcobarzane duce Syphacis nepote, diceretur esse: M. Porcius Cato suasit, ut Carthaginiensibus, qui exercitum specie contra Massanissam regem, sed re vera contra Romanos accitum in finibus haberent, bellum indiceretur. contradicente P. Cornelio Nasica, placuit legatos mitti Carthaginem, qui specularentur quid ageretur. Castigato senatu Carthaginiensium, quod contra fœdus exercitum & navales materias haberent: pacem inter Massanissam & eos facere voluerunt: Massanissa agro, de quo lis erat, cedente. sed Gisgo, Amilcaris filius, homo seditiosus, qui tunc in magistratu erat, cum senatus pariturum se judicio legatorum dixisset, ita bellum adversus Romanos suadendo concitavit, ut legatis, quo minus violarentur, fugam explicuerit. Id nuntiantes, infestum jam senatum Carthaginiensibus in-

infestiorem fecerunt. M. Porcius Cato funus mortui filii in prætura, tenuissimo, ut valuit (nam pauper erat) sumtu fecit. Andriscus, qui se Persei filium, regis quondam Macedoniæ, ingenti asseveratione mentiretur, Romam missus. M. Æmilius Lepidus, qui princeps senatus sextis jam censoribus erat lectus, antequam expiraret, præcepit filiis lecto se strato sine linteis, sine purpura efferrent: in reliquum funus ne plus quam æris denos consumerent. imaginum specie, non sumtibus nobilitari maximorum virorum funera solere. De veneficiis quæsitum: Publilia & Licinia nobiles feminæ, quæ viros suos necasse insimulabantur, cognita caussa, cum prætori prædes vadesque dedissent, cognatorum decreto necatæ sunt. Gulussa Massanissæ filius denuntiavit Carthagine delectus agi, classem comparari, & haud dubium bellum strui. Cum Cato suaderet ut iis bellum indiceretur, P. Cornelio Nasica dicente nihil temere faciundum, placuit decem mitti legatos exploratum. L. Licinius Lucullus, A. Postumius Albinus Coss. cum delectum severe agerent, nec quenquam gratia dimitterent, a tribb. pleb. qui pro amicis suis vacationem impetrare non potuerunt, in carcerem conjecti sunt. Hispaniense bellum cum parum prospere aliquoties gestum ita confudisset civitatem Romanam, ut ne ii quidem invenirentur, qui aut tribunatum exciperent, aut legati ire vellent, P. Cornelius Æmilianus processit, & excepturum se militiæ genus, quodcumque imperatum esset, professus est. quo exemplo ad militandi studium omnes incitavit. L. Lucullus Cos. cui Claudius Marcellus successerat, pacasse omnes Celtiberiæ populos cum videretur, Vacceos, Cantabros, & alias regiones, & iterum alias incognitas nationes in Hispania subegit. Ibi P. Cornelius Africanus Scipio Æmilianus, L. Pauli filius, Africani nepos, sed adoptivus, provocatorem barbarum trib. mil. occidit: & in expugnatione captæ urbis majus multo etiam periculum adiit. nam murum primus omnium transcendit. Servius Sulpitius Galba prætor male adversus Lusitanos pugnavit. Cum legati ex Africa cum Carthaginiensium oratoribus, & Gulussa Massanissæ filio rediissent, dicerentque & exercitum & classem Carthagine deprehendisse, prorogari sententiam placuit, Catone & aliis principibus senatus suadentibus ut in Africam confestim transportaretur exercitus: quia vero Cornelius Nasica dicebat nondum sibi justam caus-

causam belli videri; placuit ut bello desisteretur, si Carthaginienses classem exussissent, & exercitum dimisissent: si minus, proximi consules de bello Punico referrent. Cum locatum a censoribus theatrum extrueretur, P. Cornelio Nasica auctore, tanquam inutile & nociturum publicis moribus, ex S. C. destructum est, populusque aliquandiu stans ludos spectavit. Carthaginienses tum adversus fœdus bellum Massanissæ intulerunt. Victi ab eo nonagesimum secundum annum habente, & sine pulpamine mandere, & gustare cibum tantummodo solito, insuper Romanum bellum meruerunt.

LIBRI XLIX.

Tertii Punici belli initium altero & sexcentesimo anno ab urbe condita, intra quintum annum, quam erat cœptum, consummatum omnino est. Inter M. Porcium Catonem, & Scipionem Nasicam, quorum alterum sapientissimum virum in civitate habebant, alter vir optimus a senatu judicatus erat, diversis certatum est sententiis, Catone suadente bellum, & ut omnino deleretur Carthago, Nasica dissuadente: placuit nihilominus, eo quod contra fœdus naves haberent, & extra fines exercitus duxissent, quodque socio P.R. & amico Massanissæ arma intulissent, & quod filium ejus Gulussam, qui cum legatis Romanis erat, in oppidum minime recepissent, bellum iis indici. Prius quam ullæ copiæ in naves imponerentur, Uticenses legati Romam venerunt, se, suaque omnia dedentes. Ea legatio, veluti maximum belli omen, grata patribus, acerba Carthaginiensibus fuit. Diti patri ludi ad Tarentum ex præcepto librorum Sibyllinorum facti: qui anno primo primi Punici belli, quingentesimo & altero anno ab urbe condita facti erant. Legati triginta Romam venerunt, per quos Carthaginienses se dedebant. Catonis sententia pervicit, ut decreto perstaretur: & ut consules quamprimum proficiscerentur ad bellum. Qui ubi in Africam transierunt, acceptis, quos impetraverant, trecentis obsidibus, & armis, omnibusque instrumentis belli, si qua Carthagine erant; tunc cum ex auctoritate patrum juberent, ut in alio loco procul a mari X. millia passuum, nec minus remoto, oppidum facerent, indignitate rei ad bellandum Carthaginienses compulerunt. Obsideri, oppugnarique cœpta est Carthago a L. Martio, M. Manlio consulibus. In qua oppugnatione, cum neglectos ab una parte muros duo tribuni temere cum cohortibus irru-

irrupissent, & ab oppidonis graviter cæderentur: a Scipione Africano expliciti sunt: per quem & castellum Romanorum, quod nocte oppugnabant, paucis equitibus juvantibus, liberatum est: castrisque, quæ Carthaginienses omnibus copiis pariter ab urbe egressi oppugnabant, liberatis, is præcipuam gloriam tulit. Præterea cum ab irrita oppugnatione Carthaginis Cos. (alter enim Romam ad comitia ierat) exercitum ducere adversus Asdrubalem vellet, qui cum altera manu iniquum saltum insederat: suasit primo consuli, ne tam iniquo loco confligeret. victus deinde complurium, qui prudentiæ ejus & virtuti invidebant, sententiis, & ipse saltum ingressus est. cumque, sicut prædixerat, fusus fugatusque esset Romanus exercitus, & duæ cohortes ab hoste obsiderentur: cum exiguis equitum turmis in saltum reversus liberavit eas, & incolumes reduxit. Quam virtutem ejus & Cato vir promtioris multo ad vituperandum linguæ, in senatu sic prosecutus est, ut diceret, reliquos qui in Africa militarent, umbris militare, Scipionem vigore: & populus Rom. eo favore illum complexus est, ut comitiis complurimæ eum tribus consulem scriberent, cum hoc per ætatem minime liceret. Cum L. Scribonius trib. ple. rogationem promulgasset, ut Lusitani, qui ex fœdere populo Rom. dediti a Sergio Galba in Galliam venissent, in libertatem restituerentur, M. Cato acerrime suasit. extat oratio in annalibus ejus inclusa. Q. Fulvius Nobilior etiam ab eo in senatu laceratus respondit pro Galba. ipse quoque Galba, cum se damnari videret, complexus duos filios prætextatos, & filium Caii Sulpitii, cujus tutor erat, ita miserabiliter pro se locutus est, ut rogatio antiquaretur. extant tres orationes ejus: duæ adversum Libonem tribunum plebis, rogationesque ejus habitas de Lusitanis: una contra L. Cornelium Cethegum, in qua Lusitanos propter sese castra habentes cæsos fatetur: quod compertum habuerit, equo atque homine suo immolatis per speciem pacis adoriri exercitum suum in animo habuisse. Andriscus quidem ultimæ sortis homo, Persei regis se filium ferens, & mutato nomine Philippus vocatus, cum ab urbe Roma, quo illum Demetrius Syriæ rex ob hoc ipsum mendacium miserat, clam profugisset: multis ad falsam ejus famam velut ad veram euntibus, contracto exercitu, totam Macedoniam aut voluntate incolentium, aut armis occupavit. Fabulam autem hujusmodi finxerat.

ferat. Ex pellice se Perseo rege ortum, traditum educandum Cyrthesæ cuidam esse, ut in belli casus, quod ille cum Romanis ageret, aliquod velut semen stirpis regiæ exstaret. Perseo demortuo, Adramiti se educatum usque ad duodecimum annum ætatis, patrem esse credentem, a quo educaretur, ignarum generis fuisse sui. affecto deinde eo, cum prope vitæ finem ultimum esset, detectam tandem originem suam: falsæque matri libellum datum signo Persei regis signatum, quem sibi traderet, cum ad puberem ætatem venisset: obtestationesque ultimas adjectas, ut res in occulto ad id tempus servaretur. pubescenti libellum tradidit: in quo relicti sibi duo thesauri a patre dicerentur. tum scientem mulierem subdititium se esse, veram stirpem ignoranti edidisse genus: atque obtestatam, ut prius quam ad Eumenem manaret res, Perseo inimicum, excederet iis locis, ne interficeretur. eo se exterritum, simul sperantem aliquod auxilium a Demetrio, in Syriam se contulisse: atque ibi primum quis ipse omnino esset, palam expromere ausum.

LIBRI L.

Thessalia, cum & illam invadere armis, atque occupare Pseudophilippus vellet, per Romanorum legatos auxiliis Achæorum defensa est. Prusias rex Bithyniæ omnium humillimorum fautor, atque vitiorum, a Nicomede filio, adjuvante Attalo rege Pergami, occisus est. Habebat alium filium, qui pro superiore ordine dentium enatum habuisse unum os continens dicitur. Cum legatos ad pacem inter Nicomedem & Prusiam faciendam Romani misissent, & unus ex iis caput multis cicatricibus sparsum haberet, alter pedibus æger esset, tertius ingenio socors haberetur: dixit Cato eam legationem nec caput nec pedes nec cor habere. in Syria, quæ eo tempore ex stirpe generis Persei regis Macedonum inertia socordiaque similem Prusiæ regem habebat, jacente eo in ganeo & lustris, Ammonius regnabat; per quem & amici omnes regis, & Laodice regina, & Antigonus Demetrii filius, occisi. Massanissa Numidiæ rex major nonaginta annis vir insignis decessit. Inter cætera opera juvenilia, quæ ad ultimum edidit, adeo etiam versus in senectam viguit, ut post sextum & octogesimum annum genuerit unum filium. Inter tres liberos, maximum natu Mycipsam, Gulussam, & Manastabalem, qui etiam Græcis literis erat eruditus, P. Scipio Æmilianus, cum commune eis pater regnum reli-

reliquisset, & dividere eos arbitrio Scipionis jussisset, administrationem regni divisit. Item Phaniæ Himilconis præfecto equitum Carthaginiensium, viro forti, & cujus opera præcipua Pœni utebantur, suasit cum equitatu suo ad Romanos transire. Trium legatorum, qui ad Massanissam missi fuerant, Claudius Marcellus coorta tempestate fluctibus obrutus est. Carthaginienses Asdrubalem Massanissæ nepotem, quem prætorem habebant, proditionis suspectum in curia interemerunt: quæ suspicio inde emanavit, quod propinquus esset Gulussæ, auxilia Romanorum juvantis. P. Scipio Æmilianus cum ædilitatem peteret, consul a populo dictus, quoniam per X. annos consulem fieri minime licebat, cum maximo certamine suffragantibus plebeiis, & repugnantibus aliquantulum patribus, legibus solutus, & COS. creatus est. M. Æmilius nonnullas urbes circumpositas Carthagini expugnavit. Pseudophilippus in Macedonia cæso cum exercitu M. Juventio prætore, a Q. Cæcilio victus, captusque, relicta Macedonia.

LIBRI LI.

Carthago XXIII. millia quidem passuum in circuitu labore maximo obsessa, & per partes capta est, primum a Mancino legato, deinde a Scipione consule, cui extra sortem provincia Africa data est. Carthaginienses portu novo, quia vetus a Scipione erat obstructus, facto, & contracta exiguo tempore ampla classe, navali prælio infeliciter pugnaverunt. Asdrubalis quoque eorum ducis castra ad Nefentem oppidum loco difficillimo sita cum exercitu deleta sunt a Scipione: qui tandem urbem expugnavit septingentesimo anno quam erat condita. spoliorum major pars Siculis, quibus ablata erant, reddita. Ultimo urbis excidio cum se Asdrubal Scipioni dedisset, uxor ejus, quæ paucis ante diebus de marito minime impetrare potuerat, ut ad victorem transfugeret, se flagrantis in medium urbis incendium duobus cum liberis ex arce præcipitavit. Scipio exemplo patris sui Æmilii Pauli, qui Macedoniam vicerat, ludos fecit, transfugas atque fugitivos bestiis objecit. Belli Achaici semina referuntur hæc, quod legati P. R. ab Achaicis pulsati sunt. Corinthum missi erant, ut eas civitates, quæ sub ditione Philippi fuerant, ab Achaico concilio secernerent.

LIBRI LII.

Cum Achæis, qui in auxilium Bæotios & Chalcidenses habebant, Q. Cæcilius Metellus ad Thermopylas bello conflixit: quibus

bus victis, dux eorum Critolaus veneno sibi mortem conscivit. in cujus locum Diæus Achaici motus primus auctor, ab Achæis dux creatus, ad Isthmon a L. Mummio consule victus est qui, omni Achaja in deditionem accepta, Corinthum ex S. C. diruit, quia ibi legati Romanorum violati erant. Thebæ quoque & Chalcis, quæ auxilio fuerant, dirutæ. Ipse L. Mummius se abstinentissimum virum egit: nec quicquam ex iis opibus ornamentisque, quæ prædives Corinthus habuit, in domum ejus pervenit. Q. Cæcilius Metellus de Andrisco triumphavit, P. Cornelius Africanus, Scipio Æmilianus de Carthagine & Asdrubale. Viriatus primum in Hispania ex pastore venator, & ex venatore latro, mox justi quoque exercitus dux factus, universam Lusitaniam occupavit. M. Vitilium prætorem, fuso ejus exercitu, cepit. post quem C. Plautius prætor nihilo felicius rem gessit. tantumque terrorem is hostis intutulit, ut adversus eum consulari opus esset & duce & exercitu. Præterea motus Syriæ, & bella inter reges gesta referuntur. Alexander homo ignotus, & incertæ stirpis, occiso (sicut ante dictum est) Demetrio rege, in Syria regnabat. hunc Demetrius, Demetrii filius, qui a patre quondam ob incertos belli casus ablegatus in Gnidon fuerat, contemta socordia inertiaque ejus, adjuvante Ptolemæo Ægypti rege, cujus filiam Cleopatram acceperat in matrimonium, bello interemit. Ptolemæus in caput graviter vulneratus, inter curationem, dum ossa medici terebrare contendunt, expiravit; atque in locum ejus Frater minor Ptolemæus, qui Cyrenis regnabat, successit. Demetrius, ob crudelitatem, quam per tormenta in suos exercebat, a Diodoro quodam uno ex subjectis, qui Alexandri filio bimulo admodum regnum afferebat, bello superatus, Seleuciam fugit. L. Mummius de Achæis triumphavit. signa ærea marmoreaque, & tabulas pictas in triumpho tulit.

LIBRI LIII.

Appius Claudius COS. Salassos, gentem Alpinam, domuit. Alter Pseudophilippus in Macedonia a L. Tremellio quæstore cum exercitu cæsus est. Q. Cæcilius Metellus proconsul Celtiberos cecidit. A Q. Fabio proconsule pars maxima Lusitaniæ, expugnatis multis urbibus, recepta est. C. Julius senator Græce res Romanas scripsit.

LIBRI LIV.

Q. Pompejus COS. in Hispania Termestinos subegit. cum eisdem qui-

quidem, & Numantinis pacem ob infirmitatem fecit. Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt civiũ capita CCCCXXVIII. millia, CCCXLII. Cum Macedonum legati conquestum venissent de Junio Silano prætore, quod acceptis pecuniis provinciam spoliasset, & senatus de querelis eorum vellet cognoscere: T. Manlius Torquatus, Silani pater, petiit, impetravitque, ut sibi hujusmodi cognitio mandaretur. & domi caussa cognita, filium condemnavit, abdicavitque: ac ne funeri quidem ejus, cum suspendio vitam finisset, interfuit, sedensque domi potestatem consultantibus ex instituto fecit. Q. Fabius proconsul, rebus in Hispania prospere gestis, labem imposuit, pace cum Viriato æquis conditionibus facta. Viriatus a proditoribus consilio Servilii Cæpionis interemtus est, & ab exercitu ejus multum ploratus, ac nobilissime tumulatus, vir duxque maximus per quatuordecim annos, quibus cum Romanis bellum gessit, frequentius superior.

LIBRI LV.

P. Cornelio Nasica, cui cognomen Serapion fuit, ab irridente Curiatio tribuno plebis impositum, & D. Junio Bruto COSS. delectum habentibus, in conspectu tyronum res saluberrimi exempli facta est. nam C. Matienus accusatus est apud tribunos plebis, quod exercitum in Hispania deseruisset: damnatusque sub furca diu virgis cæsus est, & sestertio nummo veniit. Tribuni plebis, qui non impetrarunt ut sibi denos, quos vellent milites eximere liceret, consules in carcerem mitti jusserunt. Junius Brutus COS. in Hispania iis, qui sub Viriato militaverant, agros oppidumque dedit, quod Valentia vocatum est. M. Popillius a Numantinis, cum quibus pacem factam senatus irritam censuerat, cum exercitu fusus fugatusque. C. Hostilio Mancino consule sacrificante, pulli ex cavea evolaverunt. conscendenti deinde in navim, ut in Hispaniam proficisceretur, accidit audiri, Mane, mane, Mancine. Mancino auspicia tristia fuisse probatum est. victus enim a Numantinis, & castris exutus, cum spes nulla servandi exercitus esset, pacem cum eis fecit ignominiosam, quam ratam esse senatus vetuit. Triginta millia Romanorum a Numantinorum millibus quatuor victa erant. D. Junius Lusitaniam urbium expugnationibus usque ad oceanum perdomuit: & cum fluvium Oblivionem transire nollent, raptum signifero signum ipse transtulit: & sic ut transgrederentur, persuasit. Alexander filius rex

Sy-

Syriæ, decem annos admodum habens, a Diodoro, qui Triphon cognominabatur, tutore suo per fraudem occisus est: corruptis quidem medicis, qui eum calculi dolore consumi ad populum mentiri, dum secant illum, occiderunt.

LIBRI LVI.

D. Junius Brutus in ulteriore Hispania feliciter adversus Gallecios pugnavit. dissimili eventu M. Æmilius Lepidus proconsul adversus Vacceos rem gessit: cladémque similem Numantinæ passus est. Ad exolvendum Numantini fœderis religione populum Mancinus cum hujus rei auctor fuisset, deditus Numantinis, minime est receptus. Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt civium capita CCCXXIII. millia. Fulvius Flaccus COS. Vardeos in Illyrico subegit. M. Cæsonius prætor in Thracia cum Scordiscis prospere pugnavit. Cum vitio ducum bellum Numantinum non sine publico pudore duraret, delatus est ultro Scipioni Africano a senatu populoque Romano consulatus: quem cum ille capere ob legem, quæ vetabat quenquam intra decem annos iterum consulem fieri licere, minime vellet: sicut priori consulatu, legibus solutus est. Bellum Servile in Sicilia ortum, cum opprimi a prætoribus minime valuisset, C. Fulvio consuli mandatum est: cujus belli initium fuit Eunus servus, natione Syrus, qui contracta agrestium servorum manu, & solutis ergastulis, justi exercitus numerum implevit. Cleon quoque alter servus ad LXX. millia servorum contraxit, & copiis junctis contra pop. Rom. exercitumque ejus bellum sæpenumero gesserunt.

LIBRI LVII.

Scipio Africanus Numantiam obsedit, & corruptum licentia luxuriaque exercitum ad generosissimam militiæ disciplinam revocavit. omnia enim deliciarum instrumenta recidit, duo millia scortorum a castris rejecit, militem omni die in opere habuit, & triginta dierum frumentum ad septenos vallos ferre cogebat. ægre propter onus incedenti dicebat: cum gladio recte vallare scieris, vallum ferre desinito. Alii nimirum parum habiliter scutum ferenti, scutum amplius justo ferre jussit: neque id se reprehendere, quoniam melius scuto quam gladio uteretur. Quem militem extra ordinem deprehendit, si Romanus esset, vitibus, si extraneus, virgis cecidit. Jumenta quidem omnia, ne exoneraret milites, vendidit. multoties contra hostium eruptiones feliciter pugnavit. Vaccei obsessi, li-

liberis & conjugibus trucidatis, ipsi se interemerunt. Scipio amplissima munera sibi ab Antiocho rege Syriæ missa, cum celare aliis imperatoribus regum munera mos esset, pro tribunali accepturum se esse dixit. eaque omnia referre quæstorem in publicas tabulas jussit: ex iis viris fortibus munera se daturum. Cum undique Numantiam obsidione clausisset, & oppressos fame videret urgeri; hostes, qui pabulatum exierant, vetuit interimi: quod diceret velocius eos absumturos frumentum quod haberent, si plures quidem fuissent.

LIBRI LVIII.

Ti. Sempronius Gracchus tribunus plebis cum agrariam legem ferret adversus voluntatem senatus, & equestris ordinis, ne quis ex publico agro plus quam decem jugera possideret, in eum furorem exarsit, ut M. Octavio collegæ caussam diversæ partis defendenti potestatem lege lata abrogaret: seque, & fratrem Gracchum, & Ap. Claudium socerum Triumviros ad dividundum agrum crearet. Promulgavit & aliam legem agrariam: qua si quis latius agrum patefaceret, ut iidem omnino triumviri judicarent, qua publicus ager, qua privatus esset. Deinde cum minus agri esset, quam quod dividi posset: sine offensa etiam plebis, quoniam eos ad cupiditatem amplam modo sperandi incitaverat, legem se promulgaturum ostendit ob id, ut iis qui Sempronia lege agrum accipere deberent, pecunia, quæ regis Attali fuisset, divideretur. Hæredem autem pop. Ro. reliquerat Attalus rex Pergami, Eumenis filius. Tot indignitatibus commotus graviter senatus: ante omnes C. Antonius COS. qui cum in senatu in Gracchum peroraffet, raptus ab eo ad populum, delatusque plebi, rursus in eum pro rostris concionatus est. Cum iterum tribunus plebis creari vellet Gracchus, auctore P. Cornelio Nasica in Capitolio a primatibus occisus est, ictus primum fragmentis subselliorum: & inter alios, qui in eadem seditione occisi erant, insepultus est in flumen projectus. Res præterea in Sicilia vario eventu adversum fugitivos gestas continet.

LIBRI LIX.

Numantini fame maxime coacti, ipsi se per vices trucidaverunt. Captam urbem Scipio Africanus delevit, & de ea triumphavit, quartodecimo anno post Carthaginem deletam. P. Attilius COS. in Sicilia cum fugitivis debellavit. Aristonicus regis Eumenis filius Asiam occupavit, cum testamento Attali regis legata pop. Rom. libera

bera esse deberet. Adversus eum P. Licinius Crassus COS. cum idem Pontifex maximus esset, quod nunquam antea factum erat, extra Italiam profectus, prælio victus, & interemtus est. M. Perperna COS. victum Aristonicum in deditionem accepit. Q. Pompejus & Q. Metellus tunc primum uterque ex plebe censores facti. Lustrum a censoribus est conditum. Cesa sunt capita CCCXIII. millia, DCCLXXIII. præter pupillos & viduas. Q. Metellus censor censuit, ut ducere uxores omnes omnino cogerentur liberorum creandorum caussa. extat oratio ejus, quam Augustus Cæsar cum de maritandis ordinibus ageret, velut eo tempore scriptam in senatu recitavit. C. Atinius Labeo tribunus plebis Q. Metellum censorem, a quo in senatu legendo præteritus erat, de saxo deiici jussit: quod ne fieret, cæteri tribuni plebis auxilio quam maxime fuerunt. Cum Carbo tribunus plebis rogationem tulisset, ut eundem tribunum plebis, quoties quidem vellet, creari liceret, rogationem ejus P. Africanus gravissima oratione dissuasit, in qua dixit, Tib. Gracchum jure cæsum videri. Gracchus contra suasit rogationem, sed Scipio tenuit. Bella inter Antiochum regem Syriæ, & Phraetem Parthorum regem gesta, nec magis quietæ res Ægypti referuntur. Ptolemæus Evergetes cognominatus, ob nimiam suam crudelitatem suis invisus, incensa a populo regia, clam Cyprum profugit. & cum sorori ejus Cleopatræ, quam ejus virgine filia per vim compressa, & in matrimonium ducta, repudiaverat, regnum a populo datum esset; infensus, filium quem ex illa habebat, in Cypro occidit, caputque ejus & manus & pedes matri misit. Seditiones a Triumviris, Fulvio Flacco, C. Graccho, & C. Carbone de agro dividundo creatis excitatæ: quibus cum P. Scipio Africanus adversaretur, fortisque ac validus pridie domum se recepisset, mortuus in cubiculo inventus est. Suspecta fuit, tanquam venenum ei dedisset, Sempronia uxor, hinc maxime, quod soror esset Gracchorum, cum quibus simultas Africano fuerat. de more tamen ejus nulla quæstio acta. quo defuncto, seditiones triumvirales acrius exarsernnt. C. Sempronius COS. contra Japidas primo rem male gessit, mox victoria cladem acceptam emendavit, virtute D. Junii Bruti, ejus qui Lusitaniam subegerat.

LIBRI LX.

AUrelius COS. Sardos subegit. Fulvius Flaccus primus omnium Tran-

 sal-

salpinos Ligures bello domuit, missus in auxilium Massiliensibus adversus Falanios Gallos qui populabantur fines Massiliensium. L. Opimius prætor Fregellanos qui defecerant, in deditionem accepit, Fregellas diruit. Pestilentia in Africa a maxima multitudine locustarum, & deinde necatarum strage fuisse traditur. Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt civium capita CCCXC. millia, DCLXXXVI. C. Gracchus, Tiberii frater, tribunus plebis eloquentior quam frater, perniciosas aliquas leges tulit: inter quas frumentariam, ut semisse & triente frumentum plebi daretur: alteram legem agrariam, quam frater ejus tulerat: tertiam, qua equestrem ordinem cum senatu cōsentientem corruperat, (trecēti senatores erant) sexcenti equites ut trecenti senatoribus admiscerentur: idest, ut equester ordo bis tantum virium in senatu haberet & continuato in alterum annum tribunatu, legibus agrariis latis effecit, ut complures coloniæ in Italia deducerentur, & una in solo dirutæ Carthaginis: quo ipse Triumvir creatus coloniam deduxit. Præterea res a Q. Metello consule adversus Baleares gestas continet, quos Græci Gymnesias appellant, quia æstatem nudi exigant. Baleares a teli missu appellati, vel a Baleo Herculis comite ibi relicto tunc, cum Hercules ad Geryonem navigaret. Motus quoque Syriæ referuntur, in quibus Cleopatra Demetrium virum suū, & Seleucum filium, multum indignata, quod occiso patre ejus a se, injussu suo diadema sumsisset, interemit.

LIBRI LXI.

Cajus Sextius proconsul victa Salviorum gente, coloniam Aquas Sextias condidit, ob aquarum copiam & calidis & frigidis fontibus, atque a nomine suo ita appellatas. Cn. Domitius proconsul contra Allobroges ad oppidum Vindalium multum feliciter pugnavit. Quibus bellum inferendi caussa fuit, quod Teutomalium Salviorum regem fugientem recepissent, & omni ope juvissent: quodque Heduorum agros, sociorum pop. Ro. vastavissent. C. Gracchus seditiose tribunatu acto, cum Aventinum armata quoque multitudine occupavisset, a L. Opimio consule, ex S. C. vocato ad arma populo, pulsus interemtus est, & cum eo Fulvius Flaccus socius ejusdem. Q. Fabius Maximus COS. Pauli nepos, adversus Allobroges, & Bituitum Arvernorum regem feliciter pugnavit. Ex Bituiti exercitu cæsa millia hominum centum viginti. & cum ipse ad satisfaciendum senatui Romam profectus esset, Albæ custodien-

diendus datus est, quia contra pacem videbatur, ut in Galliam remitteretur. decretum quoque est, ut Congentiatus filius ejus comprehensus Romam mitteretur. Allobroges in deditionem accepti. L. Opimius accusatus apud populum a Q. Decio tribuno plebis, quod indemnatos cives in carcerem conjecisset, liberatus est.

LIBRI LXII.

Q. Martius COS. Stonos gentem Alpinam expugnavit: Micipsa Numidarum rex mortuus regnum tribus filiis reliquit, Adherbali, Hiempsali, & Jugurthæ fratris filio, quem in filium adoptaverat. L. Cæcilius Metellus Dalmatas obsedit. Jugurtha Hiempsalem fratrem bello petiit, quem victum interemit: Adherbalem regno expulit, qui a senatu restitutus est. L. Cæcilius Metellus, Cn. Domitius Ahenobarbus censores duos & triginta senatu amoverunt. Præterea motus Syriæ regum continet.

LIBRI LXIII.

CAto Porcius COS. in Thracia male adversus Scordiscos pugnavit. Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt civiū capita CCCXCIV. millia, CCCXXXVI. Æmilia, Licinia, & Martia virgines Vestales incesti damnatæ sunt. idque incestum quemadmodum commissum, deprehensum, & judicatum sit, refertur. Cimbri gens vaga populabundi in Illyricum venerunt. ab iis Papirius Carbo COS. cum exercitu fusus est. Livius Drusus COS. adversus Scordiscos gentem a Gallis oriundam in Thracia feliciter pugnavit, magnumque honorem tulit.

LIBRI LXIV.

ADherbal bello petitus a Jugurtha, & in oppido Cirta obsessus, contra denuntiationem senatus ab eo occisus est. Ob hoc ipsi Jugurthæ bellum indictum: idque etiam Calpurnius Bestia COS. gerere jussus, pacem cum Jugurtha injussu populi & senatus fecit. Jugurtha fide publica evocatus ad indicandum consiliorum auctores, quod multos pecunia in senatu corrupisse dicebatur, Romam venit: & propter cædem admissam in regulum quendam nomine Massivam, qui regnum ejus populo Romano invisi appetebat, Romæ interfectum, cum periclitaretur, caussam capitis dicere jussus, clam profugit, & discedens urbe fertur dixisse, O urbem venalem, & cito perituram, si emtorem invenerit! A. Postumius legatus infeliciter prælio adversus Jugurtham gesto conflixit: pacemque etiam multum ignominiosam adjecit, quam quidem minime esse servandam senatus censuit.

LIBRI LXV.

Q. Cæcilius Metellus Cos. duobus præliis Jugurtha fudit, & universam Numidiam vastavit. M. Junius Silanus COS. adversus Cimbros infeliciter pugnavit. legatis Cimbrorum sedem & agros, in quibus considerent, postulantibus senatus negavit. M. Minutius proconsul contra Thracas feliciter quidem pugnavit. L. Cassius COS a Tigurinis Gallis pago Helvetiorum, qui a civitate secesserant, in finibus Allobrogum cum exercitu cæsus est. milites qui ex ea clade superaverant, obsidibus datis, & dimidia rerum omnium parte, ut incolumes dimitterentur, cum hostibus pacti sunt.

LIBRI LXVI.

JUgurtha pulsus a C. Mario ex Numidia, auxilio Bocchi Maurorum regis adjutus est, & cæsis prælio Bocchi quoque copiis, nolente Boccho bellum infeliciter susceptum diutius sustinere, vinctus ab eo & traditus Mario est: in qua re præcipua opera L. Cornelii Sullæ quæstoris Marii fuit.

LIBRI LXVII.

M. Aurelius Scaurus legatus consulis a Cimbris fuso exercitu captus est: & cum in consilium ab iis evocatus deterreret eos ne Alpes transirent Italiam petituri, eo quod diceret Romanos vinci minime posse, a Bolo rege feroce juvene occisus est. Ab iisdem hostibus M. Manlius Cons. & Q. Servilius Cæpio proconsul victi prælio castrisque binis exuti sunt. octoginta millia militum occisæ, calonum ac lixarum quadraginta millia. Secundum populi Romani jussionem, Cæpionis, cujus temeritate clades accepta erat, damnati bona publicata sunt, primoque post regem Tarquinium imperium ei abrogatum. In triumpho C. Martii ductus ante currum ejus Jugurtha cum duobus filiis, & in carcere necatus. Marius triumphali veste in senatum venit, quod nemo ante eum fecerat, eique propter Cimbrici belli metum continuatus per complures annos magistratus est. consulatu secundo & tertio absens COS. creatus, quartum consulatum dissimulanter captans consecutus est. Cn. Domitius pontifex maximus populi suffragio creatus est. Cimbri, vastatis omnibus quæ circa Rhodanum & Pyrenæum sunt, per saltum in Hispaniam transgressi, ibique multa loca populati, a Celtiberis fugati sunt reversique in Galliã, bellicosis se Teutonis conjunxerunt.

LIBRI LXVIII.

M. Antonius prætor in Sicilia maritimos prædones persecutus est. C. Marius COS. summa vi oppugnata a Teutonis & Ambronibus Castra defendit.

duobus deinde prœliis circa Aquas Sextias eos hostes delevit: in quibus cæsa traduntur hostium ducenta millia, capta nonaginta. Marius absens quintum COS. creatus est. triumphum oblatum, donec Cimbros vinceret, distulit. Cimbri, repulso ab Alpibus fugatoque Q. Catulo proconsule, qui fauces Alpium obsederat, & ad flumen Athesim castellum editum insederat, reliqueratque: ibi virtute sua explicata fugientem proconsulem exercitumque prosecuti, in Italiam cum trajecissent, junctis ejusdem Catuli, & C. Marii exercitibus, prælio victi sunt ab eis, in quo cæsa traduntur hominum centum quadraginta millia, capta sexaginta. Marius totius civitatis consensu receptus, pro duobus triumphis qui offerebantur, uno contentus fuit. Primores civitatis, qui aliquantulum ut novo homini ad tantos honores evecto inviderant, conservatam ab eo Rempublicam fatebantur. P. Malleolus, matre interemta, primus omnium insutus culleo in mare præcipitatus est. Ancilia cum strepitu mota esse antequam Cimbricum bellum consummaretur, referuntur. Bella præterea inter Syriæ reges gesta continet.

LIBRI LXIX.

L. Apulejus Saturninus, adjuvante C. Mario, & per milites occiso A. Nunnio competitore, trib. pleb. per vim creatus, non minus violenter tribunatum, quam petierat, gessit. & cum legem agrariam per vim tulisset, Metello Numidico, eo quod in eam minime jurasset, diem dixit: qui cum a bonis civibus defenderetur, ne caussa malorum certaminum esset, in voluntarium exilium Rhodum profectus est, ibique legendo, & audiendis magnis viris vacabat. Profecto C. Marius seditionis auctor, qui sextum quidem consulatum per tribus sparsa pecunia emerat, aqua & igni interdixit. Idem Apulejus Saturninus tribunus plebis C. Memmium candidatum consulatus petitorem, quem maxime adversarium actionibus suis timebat, interemit. quibus rebus concitato quamplurimum senatu, in ejus caussam & C. Marius homo mutabilis, & varii consilii ingeniique, qui semper secundam fortunam transierat, cum eum tueri minime posset, oppressus armis cum Glaucia prætore, & aliis ejusdem furoris, bello quodam interfectus est. Q. Cæcilius Metellus ab exilio ingenti totius favore civitatis reductus est. M. Aquilius Cos. in Sicilia bellum servile concitatum confecit.

LIBRI LXX.

Cum M. Aquilius de pecuniis repetundis caussam diceret, ipse rogare judices noluit. M. Antonius, qui pro eo perorabat, tunicam a pectore ejus discidit, ut honestas cicatrices ostenderet: quibus conspectis indubitanter absolutus est. Cicero ejus rei solus auctor. Didius proconsul adversus Celtiberos feliciter pugnavit. Ptolemæus Cyrenarum rex, cui cognomen tum Apioni fuit, mortuus hæredem P. R. reliquit, & ejus regni civitates senatus liberas esse jussit. Ariobarzanes in regnum Cappadociæ a L. Cornelio Sulla reductus est. Parthorum legati a rege Arsace missi ad Sullam venerunt, ut amicitiam a P. R. peterent. P. Rutilius vir summæ innocentiæ, qui legatus Q. Mucii proconsulis a publicanorum injuriis Asiam defenderat, invisus equestri ordini, penes quem judicia erant, repetundarum damnatus, in exilium missus est. C. Geminius prætor contra Thracas infeliciter pugnavit. Senatus cum impotentiam equestris ordinis in judiciis exercendis ferre nollet, omni vi niti cœpit ut ad se judicia transferrentur, sustinente caussam ejus M. Livio Druso trib. pl., qui ut vires sibi acquireret, perniciosa spe largitionis plebem concitavit. Præterea motus Syriæ regum continet.

LIBRI LXXI.

Marcus Livius Drusus trib. pl. ut majoribus viribus senatus caussam susceptam tueretur, socios & Italicos populos spe civitatis Romanæ solicitavit: iisque adjuvantibus per vim legibus agrariis frumentariisque latis, legem quoque judicialem tulit, ut æqua parte judicia penes senatum & equestrem ordinem essent. Cum deinde promissa sociis civitas præstari non posset; irati Italici defectionem cœperunt agitare. eorum coitus, conjurationes, orationesque in conciliis principum referuntur: propter quæ Livius Drusus etiam senatui invisus factus, velut socialis belli auctor, incertum a quo, domi occisus est.

LIBRI LXXII.

Italici populi defecerant, Picentes, Vestini, Marsi, Peligni, Marrucini, Lucani, Samnites, initio belli a Picentibus moto. Q. Servilius proconsul in oppido Asculo cum omnibus civibus Romanis, qui in oppido erant, occisus est. saga populus sumsit. Servius Galba a Lucanis comprehensus, unius feminæ opera, ad quam divertebatur, captivitate exemtus est. Æsernia & Alba coloniæ

ab Italicis obsessæ sunt. Auxilia demum Latini nominis, eternarumque gentium missa P. R., & expeditiones invicem, urbiumque expugnationes referuntur.

LIBRI LXXIII.

L. Julius Cæsar Cos. male adversus Samnites pugnavit. Nola colonia in potestatem Samnitum cum L. Postumio prætore venit; qui interemtus est. Complures populi ad hostes defecerunt. Cum P. Rutilius Cos. parum prospere contra Marsos pugnasset, & in prælio cecidisset: C. Marius legatus ejus meliore quidem eventu cum hostibus conflixit. Ser. Sulpitius Pelignos fudit. Q. Cæpio legatus Rutilii cum obsessus prospere in hostes erupisset, & ob eum successum æquatum ei cum C. Mario esset imperium; temerarius factus, & circumventus insidiis, fuso exercitu cecidit. L. Cæsar Cos. feliciter contra Samnites pugnavit: ob eam victoriam Romæ saga posita sunt: & ut varia belli fortuna esset, Æsernia colonia cum M. Marcello in potestatem Samnitium venit. Sed & C. Marius prælio Marsos fudit, Hirnio Asinio prætore Marrucinorum occiso. C. Cæcilius in Gallia transalpina Salvios rebellantes vicit.

LIBRI LXXIV.

Cn. Pompejus Picentes prælio fudit, & obsedit: propter quam victoriam Romæ prætextæ, aliaque magistratuum ornamenta insignia sumta sunt. C. Marius cum Marsis dubio eventu pugnavit. Libertini tum primum militare cœperunt. Aurelius Plotius legatus Umbros, L. Portius prætor Marsos, cum uterque populus defecisset, prælio vicerunt. Nicomedes in Bithyniæ, Ariobarzanes in Cappadociæ regna reducti sunt. Cn. Pompejus Cos. Marsos acie vicit. Cum ære alieno oppressa esset civitas, A. Sempronius Asellio prætor, quoniam secundum debitores jus dicebat, ab iis, qui fœnerabantur, in foro occisus est. Præterea incursiones Thracum in Macedoniam, populationesque continet.

LIBRI LXXV.

A. Postumius Albinus legatus in obsidione castrorum hostilium cecidit. Sulpitius legatus cum classi præesset, infamis crimine proditionis ab exercitu suo est interfectus. L. Cornelius Sulla legatus Samnites prælio vicit, & bina castra eorum expugnavit. Cn. Pompejus Vestinos in deditionem accepit. L. Porcius Cos. rebus prospere gestis, fusisque aliquoties Marsis, dum castra eorum ex-

expugnat, cecidit. Ea res hostibus victoriam ejus prælii dedit. Cosconius & Lucejus Samnites acie vicerunt, Marium Egnatium nobilissimum hostium ducem occiderunt, compluraque eorum oppida in deditionem acceperunt. L. Sulla Hirpinos domuit, Samnites multis præliis fudit, aliquot populos recepit, quantisque raro quisquam alius ante consulatum rebus gestis, ad petitionem consulatus Romam est profectus.

LIBRI LXXVI.

A. Gabinius legatus, rebus adversum Lucanos prospere gestis, multis oppidis expugnatis, in obsidione castrorum hostilium cecidit. Sulpitius Legatus Marrucinos cecidit, universamque eam regionem accepit, Cn. Pompejus proconsul Vestinos & Pelignos in deditionem accepit. Marsi quoque a L. Murena & Cæcilio Pinna legatis aliquot præliis fracti pacem petierunt. Asculum a Cn. Pompejo captum est, cæsis a Mamerco Æmilio legato Italicis. Silo Popedius dux Marsorum auctor hujus rei in prælio cecidit. Ariobarzanes Cappadociæ, Nicomedes Bithyniæ regno a Mithridate Ponti rege pulsi sunt. Præterea incursiones Thracum in Macedoniam populationesque continet.

LIBRI LXXVII.

Cum P. Sulpitius trib. pleb. auctore C. Mario perniciosas leges promulgasset, ut exules revocarentur, & novi cives libertinique distribuerentur in tribus, & ut Marius adversus Mithridatem Ponti regem dux crearetur, & adversantibus Coss. Q. Pompejo & L. Sulla vim intulisset, occisoque Pompeii Cos. filio genero Sullæ, L. Sulla Cos cum exercitu in urbem venit, & adversus factionem Sulpitii & Marii in ipsa urbe pugnavit, eamque expulit. ex quo duodecim a senatu hostes, inter quos C. Marius pater & filius, judicati sunt. P. Sulpitius cum in quadam villa lateret, indicio servi sui retractus & occisus est: servus, ut præmium promissi indicii haberet, manumissus est, & ob scelus domini proditi de saxo dejectus est. C. Marius filius in Africam trajecit. C. Marius pater cũ in paludibus Minturnensium lateret, extractus est ab oppidanis: & cum ad occidendum eum missus servus natione Gallus majestate tanti viri perterritus recessisset, impositus publice in navim delatus est in Africã. L. Sulla civitatis statum ordinavit, exinde colonias deduxit. Q. Pompejus Cos. ad capiendum a Cn. Pompejo proconsule exercitum profectus, consilio ejus occisus est.

Mi-

Mithridates Ponti rex Bithynia & Cappadocia occupatis, & pulso Aquilio legato, Phrygiam provinciam populi Romani cum ingenti exercitu intravit.

LIBRI LXXVIII.

Mithridates Asiam occupavit, Q. Oppium proconsulem, item Aquilium legatum in vincula conjecit: jussuque ejus quicquid civium Romanorum in Asia fuit, uno die trucidatum est. urbem Rhodum, quæ sola in fide permanserat, oppugnavit: & aliquot præliis navalibus victus excessit. Archelaus præfectus regis in Græciam cum exercitu venit, Athenas occupavit. Præterea trepidationem urbium insularumque, aliis ad Mithridatem, aliis ad P. R. civitates suas trahentibus, continet.

LIBRI LXXIX.

L. Cornelius Cinna cum perniciosas leges per vim ferret, pulsus urbe a Cn. Octavio collega cum Sextio trib. pleb. imperioque ei abrogato, corruptum Ap. Claudii exercitum in potestatem suam redegit, & bellum urbi intulit, accersito C. Mario cum aliis exulibus ex Africa. in quo bello duo fratres, alter ex Pompeii exercitu, alter ex Cinnæ, ignorantes concurrerunt, & cum victor mortuum spoliaret, agnito fratre, ingenti lamentatione edita rogo ei extructo ipse supra rogum se transfodit, & eodem igni consumtus est. Et cum opprimi inter initia potuisset, Cn. Pompeii fraude, qui utramque partem fovendo, vires Cinnæ dedit, nec nisi profligatis optimatium rebus auxilium tulit, & consulis segnitie confirmati Cinna & Marius, quatuor exercitibus, quorum duo Q. Sertorio, & Carboni dati sunt, urbem circumsederunt. Ostiam coloniam Marius expugnavit, & crudeliter diripuit.

LIBRI LXXX.

Italicis populis a senatu civitas data est. Samnites, qui soli arma recipiebant, Cinnæ & Mario se conjunxerunt. ab iis Plancius cum exercitu cæsus est. Cinna & Marius cum Carbone & Sertorio Janiculum occupaverunt, & fugati ab Octavio Cos. recesserunt. Marius Antium quidem, & Ariciam, & Lavinium colonias devastavit. Cum nulla omnino spes esset optimatibus resistendi propter segnitiem & perfidiam & ducum & militum, qui corrupti aut pugnare nolebant, aut ad diversas partes transibant; Cinna & Marius in urbem recepti sunt: qui velut captam eam cædibus & rapinis vastarunt, Cn. Octavio Cos. occiso, & omnibus adversæ partis nobilibus trucida-

nis, inter quos M. Antonio eloquentissimo viro, & C. Cæsare, quorum capita in rostris posita. Crassus filius ab equitibus Fimbriæ interemtus. pater Crassus, ne quid indignum virtute suæ pateretur, gladio se transfixit. Et citra ulla comitia consules in sequentem annum seipsos renuntiaverunt. eodem die quo magistratum inierant, Marius Sex. Licinium senatorem de saxo dejici jussit, editisque multis sceleribus, Idib. Januar. decessit: vir, cujus si examinentur cum virtutibus vitia, aut facile sit dictu, utrum bello melior, an pace perniciosior fuerit. adeo quam Remp. armatus servavit, eam primo togatus omni genere fraudis, postremo armis hostiliter evertit.

LIBRI LXXXI.

Lucius Sulla Athenas, quas Archelaus præfectus Mithridatis occuparat, circumsedit, & cum maximo labore expugnavit: urbi libertatem, & civibus, quæ habuerant, reddidit. Magnesia, quæ sola in Asia civitas in fide manserat, summa virtute adversus Mithridatem defensa est. Præterea a Thracibus in Macedonia gesta continet.

LIBRI LXXXII.

Sulla copias regis, quæ Macedonia occupata in Thessaliam venerant, prælio vicit, cæsis hostium C. millibus, castris quoque expugnatis. revocato deinde bello, iterum exercitum ejus fudit, ac delevit. Archelaus cum classe regia Sullæ se tradidit. L. Valerius Flaccus COS. Collega Cinnæ missus ut Sullæ succederet, propter avaritiam invisus exercitui suo a C. Fimbria legato ipsius, ultimæ audaciæ homine, occisus est, & imperium ad Fimbriam translatum. Præterea expugnatæ in Asia urbes a Mithridate, & crudeliter direpta provincia, incursionesque Thracum in Macedoniam referuntur.

LIBRI LXXXIII.

C. Fimbria in Asia fusis aliquot copiis Mithridatis, urbem Pergamum cepit, obsessumque regem non abfuit multum quin caperet. urbem Ilion, quæ se potestati Sullæ reservabat, expugnavit, ac delevit, & magnam partem Asiæ recepit. Sulla multis præliis Thracas cecidit. Cum L. Cinna, & Cn. Papirius Carbo a se ipsis consules per biennium creati, bellum contra Sullam pararent; effectum quidem est per L. Valerium Flaccum principem senatus, qui orationem in senatu habuit, & per eos qui concordiæ studebant, ut legati ad Sullam de pace mitterentur. Cinna ab exercitu

suo

suo, quem invitum cogebat naves conscendere, & adversus Sullam proficisci, interemtus est. consulatum Carbo solus gessit. Sulla cum in Asiam trajecisset, pacem cum Mithridate fecit ita, ut is cederet provinciis, Asia, Bithynia, Cappadocia. Fimbria desertus ab exercitu, qui ad Sullam transierat, ipse se percussit, impetravitque a servo praebens cervicem, ut eum omnino interficeret.

LIBRI LXXXIV.

SUlla legatis, qui a senatu missi erant, futurum se in potestate senatus respondit, si cives, qui a Cinna pulsi ad se confugerant, restituerentur. quæ conditio cum justa senatui videretur, per Carbonem factionemque ejus, cui bellum videbatur utilius, ne conveniret, effectum est. Idem Carbo, cum ab omnibus oppidis Italiæ obsides exigere vellet, ut fidem illorum contra Sullam obligaret. consensu senatus est prohibitus. Novis civibus S. C. suffragium datum est. Q. Metellus Pius, qui partes optimatium sequutus erat, cum in Africa bellum moliretur, a C. Fabio prætore pulsus est, senatusque consultum per factionem Carbonis & Marianarum partium factũ est, ut omnes ubique exercitus dimitterentur. Libertini in quinque & triginta tribus distributi sunt. Præterea belli apparatum contra Sullam, quod plurimum excitabatur, continet.

LIBRI LXXXV.

SUlla in Italiam cum exercitu trajecit, missisque legatis qui de pace agerent, & a consule Cn. Carbone, & C. Norbano violatis, eundem Norbanum prælio vicit. Et cum L. Scipionis alterius consulis, cum quo per omia id egerat, ut pacem jungeret, nec potuerat, castra oppugnaturus esset, universus exercitus consulis solicitatus per emissos a Sulla milites, signa ad Sullam transtulit. Scipio, cum interimi posset, dimissus est. Cn. Pompejus, Cn. F. ejus, qui Asculum ceperat, conscripto quidem voluntariorum exercitu, cum tribus legionibus ad Sullam venerat, ad quem se nobilitas omnis conferebat, ita ut deserta urbe ad castra veniretur. Præterea expeditiones per universam Italiam utriusque partis ducum referuntur.

LIBRI LXXXVI.

CUm C. Marius, C. Marii filius COS. ante annos XX. per vim creatus esset, C. Fabius in Africa propter crudelitatem & avaritiam in prætorio suo vivus exustus est. L. Philippus legatus Sullæ Sardiniam, Q. Antonio prætore pul-

pulso & occiso, occupavit. Sulla cum Italicis populis, ne timeretur ab iis velut erepturus civitatem, & suffragii jus nuper datum, fœdus percussit. itemque ex fiducia jam certæ victoriæ litigatores, a quibus adhibebatur vadimonium, Romam deferre jussit. Cum a parte diversa urbs adhuc teneretur, L. Damasippus prætor ex voluntate C. Martii consulis, cum senatum contraxisset, omnem, quæ in urbe erat, nobilitatem trucidavit: ex cujus quidem numero Q. Mutius Scævola pontifex maximus fugiens in vestibulo ædis Vestæ occisus est. Præterea bellum a L. Murena adversus Mithridatem in Asia renovatum continet.

LIBRI LXXXVII.

SUlla C. Marium, exercitu ejus fuso deletoque ad Sacriportum, in oppido Præneste obsedit, urbem Romam ex inimicorum manibus recepit, Marium erumpere tentantem repulit. Præterea res a legatis ejus eadem ubique fortuna partium gestas continet.

LIBRI LXXXVIII.

SUlla Carbonem, exercitu ejus ad Clusium, ad Faventiam, Fidentiamque cæso, Italia expulit: cum Samnitibus, qui soli Italicorum populorum nondum arma deposuerant, juxta urbem Romam ante portam Collinam debellavit: recuperataque Rep. pulcherrimam victoriam crudelitate, quanta in nullo homine unquam fuit, inquinavit. Octo M. deditorum in via publica trucidavit: tabulam proscriptionis posuit: urbem, & universam Italiam cædibus replevit: inter quos omnes Prænestinos inermes interimi jussit. Marium senatorii ordinis virum cruribus brachiisque fractis, auribus præsectis, & effossis oculis necavit. C. Marius Præneste obsessus a Lucretio Asella, Sullanarum partium viro, cum per cuniculum captaret evadere, septus ab exercitu mortem sibi conscivit in ipso cuniculo, cum sentiret se evadere minime posse. cum Pontio Telesino fugæ comite stricto utrinque gladio concurrit. quem cum occidisset, saucius a servo impetravit, ut se occideret.

LIBRI LXXXIX.

M. Brutus a Cn. Papirio Carbone, qui Corcyram appulerat, missus nave piscatoria Lilybæum, ut exploraret an ibi Pompejus esset, circumventus a navibus, quas Pompejus miserat, in se mucrone verso ad transtrum navis obnixus corporis pondere occubuit. Cn. Pompejus in Siciliam cum imperio a senatu missus, Cn. Carbonem,

nem, qui flens muliebriter mortem tulit, captum occidit. Sulla dictator factus, quod nemo quidem unquam fecerat, cum fascibus XXIIII. processit, rebusque novis Reip. statum confirmavit; tribunorum plebis potestatem minuit, & omne jus legum ferendarum ademit: pontificum augurumque collegium ampliavit, ut essent quindecim: senatum ex equestri ordine supplevit: proscriptorum liberis jus petendorum honorum eripuit, & bona eorum vendidit. ex quibus primo multa rapuit, redactum est sestertium ter millies quingentiesque. Lucretium Asellam consulatum contra voluntatem suam petere ausum jussit interimi in foro: & cum indigne ferret popul. Rom. concione vocata se jussisse dixit. Cn. Pompejus in Africa Cn. Domitium proscriptum, & Hieram regem Numidarum bellum molientes victos interemit: & III. & XX. annos natus adhuc eques Romanus, quod quidem nemini contigerat, ex Africa triumphavit. Cn Norbanus consularis proscriptus in urbe Rhodo, cum comprehenderetur, se ipse interemit. Metellus ex proscriptis unus clam capite adoperto ad posticum aedis Bastiae uxoris cum accessisset, admissus minime est, quia illum proscriptum diceret. Itaque se transfodit, & sanguine suo fores respersit. Sulla Nolam in Samnio recepit. XLVII. legiones in agros captos deduxit, & eos iis divisit. Volaterras, quod oppidum adhuc in armis erat, obsessum in deditionem accepit. Mitylenae quoque in Asia, quae sola urbs post victum Mithridatem arma retinebat, expugnatae, dirutaeque sunt.

LIBRI XC.

Sulla decessit, honosque ei a senatu habitus est, ut in campo Martio sepeliretur. M. Lepidus cum acta Sullae tentaret rescindere, bellum excitavit: & a Q. Catulo collega Italia pulsus est & in Sardinia frustra bellum molitus periit. M. Brutus, qui Cisalpinam Galliam tenebat, a Cn. Pompejo occisus est. Q. Sertorius proscriptus in ulteriore Hispania ingens bellum excitavit. L. Manlius proconsul, & M. Antonius legatus ab Herculejo quaestore praelio victi sunt. Praeterea a P. Servilio proconsule adversus Cilicas res gestas continet.

LIBRI XCI.

Cn. Pompejus cum adhuc quaestor esset, cum imperio consulari adversus Sertorium missus est. Sertorius aliquot urbes expugna-

gravit, plurimasque civitates in potestatem suam redegit. Ap. Claudius proconsul Thracas pluribus præliis vicit. Q. Metellus proconsul L. Herculejum quæstorem Sertorii omni cum exercitu cecidit.

LIBRI XCII.

Cn. Pompejus adhuc dubio eventu cum Sertorio pugnavit, ita ut singula ex utraque parte cornua vicerint. Q. Sertorius Metellum & Perpernam cum duobus exercitibus prælio fudit; cujus victoriæ partem cupiens auferre Pompejus, parum prospere pugnavit. obsessus deinde Calagurii Sertorius assiduis eruptionibus non leviora damna obsidentibus tulit. Præterea a Curione proconsule in Thracia res gestas adversus Dardanos, & Q. Sertorii multa crudelia in suos facta continet, qui plurimos amicorum & secum proscriptorum crimine proditionis insimulatos interemit.

LIBRI XCIII.

P. Servilius proconsul in Cilicia Isauros domuit, & aliquot urbes piratarum expugnavit. Nicomedes Bithyniæ rex moriens pop. Rom. fecit hæredem. regnumque ejus in provinciæ formam redactum est. Mithridates fœdere cum Sertorio icto, bellum populo Rom. intulit. Apparatus deinde regiarum copiarum pedestrium navaliumque, & occupata Bithynia. M. Aurelius Cotta COS. ad Chalcedonem prælio a rege victus est, rexque a Pompejo & Metello victus, & ut contra Sertorium egerunt, qui omnibus belli militiæque artibus par fuit. quos etiam ab obsidione Calagurii oppidi depulsos coegit diversas regiones petere, Metellus ulteriorem Hispaniam, Pompejum Galliam.

LIBRI XCIV.

L. Luculus COS. adversus Mithridatem equestribus præliis feliciter pugnavit: & expeditiones aliquot prosperas fecit, poscentesque pugnam milites a seditione inhibuit. Dejotarus Gallogræciæ Tethrarches præfectos Mithridatis bellum in Phrygia moventes cecidit. Præterea res a Pompejo in Hispania contra Sertorium prospere gestas continet.

LIBRI XCV.

C. Curio proconsul Dardanos in Thracia domuit. Quatuor & septuaginta gladiatores Capuæ ex ludo Lentuli profugerunt, & congregata servorum & ergastulorum multitudine, Chriso, & Spartaco ducibus bello excitato, Claudium Pulchrum legatum, & P. Varinium prætorem prælio vicerunt. L. Lucullus proconsul ad Cyzi-

Cyzicum urbem exercitum Mithridatis fame ferroque delevit, pulsumque a Bithynia regem variis belli ac naufragiorum casibus fractum coegit in Pontum profugere.

LIBRI XCVI.

Q. Arrius prætor Chrisum fugitivorum ducem cum viginti millibus hominum cecidit C. Lentulus COS. male adversus Spartacum pugnavit. Ab eodem L. Gellius Cos., & Q. Arrius prætor acie victi sunt Sertorius a M. Antonio & M. Perperna, & aliis conjuratis in convivio interfectus est, octavo ducatus sui anno, magnus dux, & adversus duos imperatores Pompejum & Metellum sæpe par, vel frequentius victor, ad ultimum desertus & proditus. Imperium partium ad Marium translatum est: quem Cn. Pompejus victum captumque interemit, ac recepit Hispanias decimo fere anno quam cœptum erat bellum. C. Cassius proconsul, Cn. Manlius prætor male adversus Spartacum pugnaverunt, idque bellum M. Crasso prætori mandatum est.

LIBRI XCVII.

M. Crassus prætor primum cum parte fugitivorum, quæ ex Gallis Germanisque constabat, feliciter pugnavit, cæsis inimicorum XXXV. millibus, & duce eorum Granico. Cum Spartaco dein debellavit, cæsis cum ipso millibus quadraginta. M. Antonius prætor bellum adversus Cretenses parum prospere gestum morte sua finivit. M. Lucullus proconsul Thracas subegit. L. Lucullus in Ponto adversus Mithridatem feliciter pugnavit, cæsis hostium amplius quam quadraginta millibus. M. Crassus & Cn. Pompejus Coss. facti sunt. * sicut Pompejus, antequam quæsturam gereret, ex equite Romano, Tribunitiam potestatem restituerunt. Judicia quoque per M. Aurelium Cottam prætorem ad equites Romanos translata sunt. Mithridates desperatione rerum suarum coactus ad Tigranem Armeniæ regem confugit.

LIBRI XCVIII.

Machares filius Mithridatis, Bosphori rex a L. Lucullo in amicitiam receptus est. C. Lentulus & L. Gellius censores asperam censuram egerunt, IV. & LX senatu motis, a quibus lustrum conditum est. Censa sunt civium capita CCCCL. millia. L. Metellus prætor in Cilicia adversum piratas prospere rem gessit. Templum Jovis in Capitolio, quod incendio consumtum erat, refectum a Q. Catulo dedicatum est. L. Lucullus

in

in Armenia Mithridatem, & Tigranem, & immensas utriusque regis copias multis certaminibus fudit. Q. Metellus proconsul, bello sibi adversum Cretenses mandato, Cydoniam urbem obsedit. C. Triarius legatus Luculli adversus Mithridatem parum prospere pugnavit. Lucullum, ne persequeretur Mithridatem ac Tigranem, summamque victoriæ imponeret, seditio militum tenuit, qui sequi nolebant: quia legiones Valerianæ, impleta a se stipendia dicentes, Lucullum reliquerunt.

LIBRI XCIX.

Q. Metellus proconsul Gnoson, & Lyctum & Cydoniam, & alias plurimas civitates expugnavit. L. Roscius trib. pleb. legem tulit, ut equitibus Romanis in theatro quatuordecim gradus proximi assignarentur. Cn. Pompejus lege ad populum lata persequi piratas jussus, qui commercium annonæ intercluserant, intra quadragesimum diem toto mari eos expulit, belloque cum iis in Cilicia confecto, acceptis in deditionem piratis, agros & urbes dedit. Præterea res a Metello adversus Cretenses continet: & epistolas Metelli & Cn. Pompeji invicem missas. queritur Metellus gloriam rerum a se gestarum a Pompejo sublatam prætereiri, qui in Cretam miserit legatum suum ad accipiendas urbium deditiones: Pompejus Romæ rationem reddit hoc se facere debuisse.

LIBRI C.

C. Manilius tribunus plebis indignatione maxima nobilitatis legem tulit, ut Pompejo bellum Mithridaticnm mandaretur. Concio ejus bona. Q. Metellus domitis Cretensibus, liberæ in id tempus insulæ leges tulit. Cn. Pompejus ad gerendum bellum adversus Mithridatem profectus, cum rege Parthorum Phraate amicitiam renovavit: equestri prælio Mithridatem vicit. Præterea bellum inter Phraatem regem Parthorum, & Tigranem Armeniorum regem, ac demum inter filium Tigranem patremque gestum continet.

LIBRI CI.

CN. Pompejus Mithridatem nocturno prælio victum coegit Bosphoron profugere: Tigranem in deditionem accepit, eique ademtis Syria, Phœnicia, & Cilicia, regnum Armeniæ restituit. Conjuratio eorum qui in petitione consulatus ambitus damnati erant, facta de interficiendis COSS. oppressa est. Cn. Pompejus cum Mithridatem persequeretur, in ultimas ignotasque

gentes penetravit; Iberos, Albanos, qui transitum minime dabant, prælio vicit. Præterea fugam Mithridatis per Colchos, Heniocosque, & res ab eo in Bosphoro gestas continet.

LIBRI CII.

CN. Pompejus in provinciæ formam Pontum redegit. Pharnaces filius Mithridatis bellum patri intulit: ab eo Mithridates obsessus in regia, cum veneno sumto parum profecisset ad mortem; a milite Gallo, nomine Bithoco, a quo ut juvaretur petierat, interfectus est. Cn. Pompejus Judæos subegit. fanum eorum Hierosolymæ inviolatum ante id tempus cepit. L. Catilina bis repulsam in petitione consulatus passus, cum Lentulo prætore & Cethego & pluribus conjuravit de cæde consulum & senatus, incendiis urbis, opprimenda Repub. exercitu quoque in Etruria comparato. Ea conjuratio industria M Tullii Ciceronis eruta est. Catilina urbe pulso, de reliquis conjuratis omnino sumtum supplicium est.

LIBRI CIII.

CAtilina a C. Antonio proconsule cum exercitu cæsus. P. Clodius accusatus, quod in mulieris habitu sacrarium, in quod virum intrare nefas est, intrasset; cumque uxorem Metelli Pontificis stupravisset, absolutus. Cn. Pontitius prætor Allobroges, qui rebellaverant, ad Solonem domuit. P. Clodius ad plebem transiit. C. Cæsar Lusitanos subegit: eoque consulatus candidato, & captante Remp. invadere conspiratio inter tres principes civitatis facta est, Cn. Pompejum, M Crassum, & C. Cæsarem. Leges agrariæ a Cæsare consule cum maxima contentione, invito senatu & altero consule M. Bibulo, latæ sunt. C. Antonius proconsul in Thracia parum prospere rem gessit. M. Cicero lege a P. Clodio Tribuno plebis lata, quia indemnatos cives necavisset, in exilium missus est. Cæsar in provinciam Galliam profectus, Helvetios, gentem vagam, domuit, quæ sedem quærens per provinciam Cæsaris Narbonem iter facere volebat. Præterea situm Galliarum continet. Pompejus de liberis Mithridatis, Tigrane & Tigranis filio triumphavit: Magnusque a tota concione consalutatus est.

LIBRI CIV.

PRima pars libri situm Germaniæ moresque continet. C. Cæsar contra Germanos, qui Ariovisto duce in Galliam descenderant, cum exercitum duceret, rogatus ab Heduis

duis & Sequanis, quorum ager possidebatur, trepidationem militum propter metum novorum hostium ortam allocutione exercitus inhibuit, & victos prælio Germanos Gallia expulit. M. Cicero, Pompejo inter alios orante, & T. Annio Milone tribuno pl. ingenti gaudio senatus ac universæ Italiæ ab exilio reductus est. Cn. Pompejo per quinquennium annonæ cura mandata est. Cæsar Ambianos, Suessiones, Viromanduos, Atrebates, Belgarum populos, quorum quidem maxima multitudo erat, prælio victos in deditionem accepit: ac deinde contra Nervios unam harum civitatum cum maximo discrimine pugnavit, eamque gentem delevit, quæ bellum gessit, donec ex sexaginta millibus armatorum trecenti superessent, ex nonagintaquinque senatoribus tres tantummodo evaderent. Lege lata de redigenda in provinciæ formam Cypro, & publicanda pecunia regia, M. Catoni administratio ejusdem rei mandata est. Ptolemæus Ægypti rex ob injurias, quas patiebatur, a suis regno pulsus Romam venit. C. Cæsar gentem oceano junctam, Venetos, navali prælio vicit. Præterea a legatis ejus eadem fortuna res gestas continet.

LIBRI CV.

Cum M. Catonis tribuni plebis intercessionibus comitia tollerentur, senatus vestem mutavit. M. Cato in petitione præturæ prælato Vatinio repulsam tulit. idem cum legem impediret, qua provinciæ consulares in quinquennium, Pompejo Hispaniæ, Crasso Syria & Parthicum bellum, Cæsari Gallia & Germania dabantur, a C. Trebonio tribuno plebis legis auctore in vincula ductus est. A. Gabinius proconsul Ptolemæum in regnum reduxit Ægypti, rejecto Archelao, quem sibi regem asciverant. Cæsar victis Germanis, & in Gallia cæsis, Rhenum transcendit, & proximam partem Germaniæ domuit, ac deinde oceano in Britanniam parum prospere tempestatibus adversis trajecit: iterumque parum felicius, maximaque hominum multitudine cæsa, reliquam partem insulæ in potestatem redegit.

LIBRI CVI.

Julia Cæsaris filia, Pompeji uxor, decessit, honosque maximus ei a populo habitus est, ut in campo Martio sepeliretur. Gallorum multi populi Ambiorige duce Eburonum defecerunt: a quibus Cotta & T. Aurunculejus legati Cæsaris insidiis circumventi,

tamventi, cum exercitu, cui præerant, cæsi sunt: & cum aliarum quoque legionum castra oppugnata maximo labore defensa essent, interque eos, qui in Treviris præerat, Q. Cicero: ab ipso Cæsare hostes prælio fusi sunt. M. Crassus bellum Parthis illaturus Euphratem fluvium transivit: victusque prælio, in quo & filius ejus cecidit, cum reliquias exercitus in collem recepisset, evocatus in colloquium ab hostibus ut de pace acturus, quorum dux erat Surenas, comprehensus, & ne quid vivus pateretur, repugnans interemtus est, & ita periit.

LIBRI CVII.

C. Cæsar Treviris in Gallia victis, iterum in Germaniam transit; nulloque ibi invento hoste, reversus in Galliam, Eburones, & alias civitates, quæ conspiraverant, vicit, & regem Ambiorigem in fuga persecutus est. P. Clodii a T. Annio Milone, candidato consulatus, Appia via ad Bovillas, occisi corpus plebs in curia cremavit. Cum seditiones inter candidatos consulatus, Hypsæum, Scipionem, & Milonem essent, qui armis ac vi contendebant; ad comprimendas eas Cn. Pompejus legatus a senatu consul tertium factus est, absens, & solus, quod nemini unquam contigit. Quæstione decreta de morte P. Clodii, Milo judicio damnatus in exilium actus est. Lex dicta est, ut ratio absentis Cæsaris in petitione consulatus haberetur, invito & contradicente M. Catone. Præterea res gestas a C. Cæsare adversum Gallos, qui prope universi Vercingentorige Arverno duce defecerunt, & laboriosas obsidiones urbium continet: inter quas Avarigi Biturigum, Gergoviæ Avernorum.

LIBRI CVIII.

C. Cæsar Gallos ad Alexiam vicit, omnesque Galliæ civitates, quæ in armis fuerant, in deditionem accepit. C. Cassius quæstor M. Crassi, Parthos, qui in Syriam transcenderant, cecidit. In petitione consulatus M. Cato repulsam tulit, creatis Coss. Ser. Sulpitio, & M. Marcello. C. Cæsar Bellovacos cum aliis Gallorum populis domuit. Præterea contentiones inter Coss. de successore C. Cæsari mittendo, agente in Senatu M. Marcello consule, ut Cæsar ad petitionem consulatus veniret, cum is, lege lata in id tempus consulatus, provincias obtinere deberet: resque a M. Bibulo gestas in Syria continet.

LIBRI CIX

CAussa civilium armorum & initia referuntur, contentionesque de successore C. Cæsari mittendo, cum se dimissurum exercitum negaret, nisi a Pompejo dimitteretur: & C. Curionis tribuni plebis primum adversus Cæsarem actiones continet. Cum S. C. factum esset, ut successor Cæsari omnino mitteretur: M. Antonio & Q. Cassio tribunis plebis, quoniam intercessionibus id S. C. impediebant, urbe pulsis, mandatum a senatu Consulibus & Gn. Pompejo, ut viderent ne quid Respublica detrimenti caperet. C. Cæsar bello inimicos persecutus, cum exercitu in Italiam venit · Corfinium cum L. Domitio & L. Lentulo cepit, eosque dimisit: Cn. Pompejum, universosque ejus partium Italia omnino expulit.

LIBRI CX.

C. Cæsar Massiliam, quæ portas ipsi clauserat, obsedit, & relictis in obsidione C. Trebonio, & D. Bruto, profectus in Hispaniam, L. Afranium & C. Petrejum legatos Cn Pompeji cum septem legionibus ad Ilerdam in deditionem accepit, omnesque incolumes dimisit: Varrone quoque legato Pompeji cum exercitu in potestatem suam redacto. Gaditanis civitatem dedit. Massilienses duobus navalibus præliis victi, post longam obsidionem in potestatem Cæsaris se permiserunt. C. Antonius legatus Cæsaris male contra Pompejanos pugnavit, & in Illyrico captus est: in quo bello Opitergini transpadani Cæsaris auxiliares, rate sua ab hostilibus navibus clausa, potius quam in potestatem inimicorum venirent, inter se concurrentes occubuerunt. C. Curio legatus Cæsaris in Africa, cum adversus Pompejanarum partium ducem Varum pugnasset; a Juba rege Mauritaniæ cum exercitu cæsus est. C. Cæsar in Græciam trajecit.

LIBRI CXI.

M. Cœlius Rufus prætor cum seditiones in urbe quam maxime concitaret, novarum tabularum spe plebe solicitata, abrogato magistratu, pulsus urbe, Miloni exuli, qui fugitivorum exercitum contraxerat, se conjunxit. uterque cum bellum molirentur, interemti sunt: Cleopatra Ægypti Regina a Ptolemæo fratre regno pulsa est. Propter Q. Catuli prætoris avaritiam crudelitatemque Cordubenses in Hispania cum duabus Varianis legionibus a partibus Cæsaris desciverunt. Cn. Pompejus ad Dyrrachium obsessus a

Cæsare, & præsidiis ejus cum magna clade diversæ partis expugnatis, obsidione liberatus, translato in Thessaliam bello, apud Pharsaliam acie victus est. Cicero in castris remansit, vir nihil minus quam ad bella natus. omnibusque adversarum partium, qui se potestati victoris permiserunt, Cæsar ignovit.

LIBRI CXII.

Trepidatio victarum partium per diversas orbis terrarum partes & fugæ referuntur. Cn. Pompejus cum Ægyptum petisset, jussu Ptolemæi regis pupilli, auctore Theodoro præceptore, cujus apud regem maxima erat auctoritas, & Photino, occisus est ab Achilla, cui delegatum id facinus erat, in navicula, antequam in terram exiret. Cornelia uxor, & Cn. Pompejus filius in Cyprum refugerunt. Cæsar post tertium diem insecutus, cum ei Theodorus caput Pompeji & annulum obtulisset, offensus est; & illacrymavit. sine periculo Alexandriam tumultuantem intravit. Cæsar dictator creatus Cleopatram in regnum Ægypti reduxit, & inferentem bellum iisdem auctoribus Ptolemæum, quibus Pompejum interfecerat, cum maximo suo discrimine vicit. Ptolemæus dum fugit, in Nilo navicula subsedit. Præterea laboriosum M. Catonis in Africam per deserta cum legionibus iter, & bellum a Cn. Domitio contra Phraatem Parthum prospere gestum continet.

LIBRI CXIII.

Confirmatis in Africa Pompejanis partibus, earum imperium P. Scipioni delatum est, Catone, cui ex æquo deferebatur imperium, cedente. Et cum de diruenda urbe Utica propter favorem civitatis ejus in Cæsarem deliberaretur, idque ne fieret, M. Cato tenuisset, Juba suadente, ut dirueretur, tutela ejus, & custodia mandata est Catoni. Pompeji Magni filius in Hispania contractis viribus, quarum ducatum nec Afranius nec Petrejus excipere volebant, bellum adversus Cæsarem renovavit. Pharnaces Mithridatis filius Rex Ponti sine ulla belli mora victus est. Cum seditiones Romæ a P. Dolabella trib. pl. legem ferente de novis tabulis excitatæ essent, & ex ea caussa plebs tumultuaretur, inductis a M. Antonio magistro equitum in urbem militibus, octingenti e plebe cæsi sunt. Cæsar veteranis cum seditione missionem postulantibus dedit. & cum in Africam trajecisset, contra copias Jubæ regis cum discrimine

crimine maximo pugnavit.

LIBRI CXIV.

Bellum in Syria Cæcilius Bassus eques Romanus Pompejanarum partium excitavit, relicto a legione Sexto Cæsare, quæ ad Bassum transierat: occisoque eo Cæsar Scipionem prætorem, Afranium, Jubamque vicit ad Tapsum, castris eorum expugnatis. Cato, audita re, cum se percussisset Uticæ, & interveniente filio curaretur, inter ipsam curationem rescisso vulnere expiravit, anno ætatis quadragesimo nono. Petrejus Jubam seque interemit. P. Scipio in nave circumventus honestæ morti vocem quoque adjecit. quærentibus enim hostibus imperatorem, dixit, Imperator bene se habet. Faustus & Afranius occisi: Catonis filio venia data. Brutus legatus Cæsaris in Gallia Bellovacos rebellantes vicit.

LIBRI CXV.

Cæsar quatuor triumphos duxit: ex Gallia, ex Ægypto, ex Ponto, & Africa. epulum, & omnis generis spectacula edidit. M. Marcello consulari, senatu rogante, concessit reditum. qui Marcellus beneficio ejus frui minime potuit, a P. Magio Chilone cliente suo Athenas occisus. Et censum egit, quo censa sunt civium capita centum & quinquaginta millia. Profectus in Hispaniam contra Sex Pompejum, utrinque multis expeditionibus factis, & aliquot urbibus expugnatis, summam victoriam cum maximo discrimine ad Mundam urbem consecutus est. Sex. Pompejus effugit.

LIBRI CXVI.

C. Cæsar ex Hispania quartum triumphum egit. & cum multi quammaximique honores ei a senatu decreti essent, inter quos ut pater patriæ appellaretur, & sacrosanctus ac dictator in perpetuum esset, invidiæ caussam adversus eum præstitere, quod senatui deferenti hos honores, cum ante ædem Veneris genitricis sederet, minime assurrexerit: & quod a M. Antonio consule collega suo inter Lupercos currente diadema capiti suo impositum in sella reposuit: & quod Epidio Marullo & Cæsetio Flavo tribunis plebis invidiam ei tanquam regnum affectanti moventibus potestas abrogata est. Ex his caussis conspiratione in eum facta, cujus capita fuerunt M. Brutus, & C. Trebonius & C. Cassius, & ex Cæsaris partibus D. Brutus, in curia Pompeji occisus est vigintitribus vulneribus, occupatumque ab interfectoribus ejus capitolium.

pitolium. Oblivione deinde cædis ejus a senatu decreta, obsidibus Antonii & Lepidi liberis acceptis, conjurati a Capitolio descenderunt. Testamento Cæsaris hæres ex parte dimidia institutus C. Octavius ex sorore nepos, & in nomen adoptatus est. Cæsaris corpus cum in campum Martium ferretur, a plebe ante rostra crematus est. Dictaturæ honos in perpetuum sublatus est. C. Amatius humillimæ sortis homo, qui se C. Marii filium ferebat, cum apud credulam plebem seditiones moveret, interfectus est.

LIBRI CXVII.

C. Octavius Romam ex Epiro venit. eo enim illum Cæsar præmiserat, bellum in Macedonia gesturus; omnibusque prosperis exceptus, etiam nomen Cæsaris sumsit. in confusione rerum ac tumultu Lepidum pontificem maximum interemit. Sed M. Antonius Cos. cum impotenter dominaretur, legemque de provinciarum permutatione tulisset per vim, Cæsarem quoque petentem ut sibi adversum avunculi percussores adesset, magnis injuriis affecit. Cæsar, ut sibi & reipublicæ vires contra eum paraturus, deductos in colonias veteranos excitavit. Legiones quoque quarta & Martia signa ab Antonio ad Cæsarem tulerunt. deinde plures sævitia M. Antonii passim in castris suis trucidati, quia & suspecti erant, & ad Cæsarem desciverunt. D. Brutus, ut petenti Cisalpinam Galliam Antonio obsisteret, Mutinam cum exercitu occupavit. Præterea discursus utriusque partis virorum ad accipiendas provincias, apparatusque belli continet.

LIBRI CXVIII.

M. Brutus in Græcia sub prætextu reipublicæ, & suscepti contra M. Antonium belli, exercitum, cui Vatinius præerat, cum provincia in potestatem suam redegit. C. Cæsari, qui primus reip. arma sumserat pro P. R., imperium a senatu datum est cum consularibus ornamentis: adjectumque, ut senator esset. M. Antonius D. Brutum Mutinæ obsedit: missique ad eum legati a senatu de pace, parum ad eam componendam valuerunt. P. R. saga sumsit. M. Brutus in Epiro C. Antonium prætorem cum exercitu potestati suæ subegit.

LIBRI CXIX.

C. Trebonius in Asia fraude P. Dolabellæ occisus est. ob id facinus Dolabella a senatu hostis judicatus est. Cum Pansa Cos. male adversus Anto-

nium pugnasset, A. Hirtius Cos. cum exercitu superveniens, fusis M. Antonii copiis, fortunam utriusque partis æquavit. Victus deinde ab Hircio & Cæsare Antonius in Galliam confugit: & M. Lepidum cum legionibus, quæ sub ipso erant, sibi junxit: hostisque a senatu cum omnibus, qui intra præsidia ejus erant, judicatus est. A. Hircius, qui post victoriam suam in inimicorum castris ceciderat, & L. Pansa e vulnere, quod in adverso prælio exceperat, defuncti, in Campo Martio sepulti sunt. Adversus C. Cæsarem, qui solus e tribus ducibus supererat, parum gratus senatus fuit, qui D. Bruto obsidione Mutinensi a Cæsare liberato, honore triumphi decreto, Cæsaris, militumque ejus mentionem non satis gratum habuit. Ob quæ C. Cæsar, reconciliata per M. Lepidum cum M. Antonio gratia Romam cum exercitu venit: & perculsis adventu ejus iis, qui in eum iniqui erant, cum annos XIX. haberet, Cos. creatus est.

LIBRI CXX.

C. Cæsar Cos. legem tulit de quæstione habenda in eos, quorum opera pater occisus esset: postulatique ea lege M. Brutus, C. Cassius, D. Brutus, absentes damnati sunt. Cum M. Antonio vires Asinius quoque Pollio, & Munatius Plancus cum exercitibus suis adjuncti ampliassent, & D. Brutus, cui senatus ut persequeretur Antonium, mandavit, relictus a legionibus suis profugisset: jussu Antonii, in cujus potestatem venerat, a Capeno Sequano interemtus est. C. Cæsar pacem cum Antonio, & Lepido fecit, ita ut tres viri Reip. constituendæ quidem per quinquennium præessent, ipse, Lepidus, & Antonius. statuerunt, ut suos quisque inimicos proscriberent: in qua proscriptione plurimi equites, CXXX. senatorum nomina fuerunt, & inter eos L. Pauli fratris M. Lepidi, & L. Cæsaris Antonii avunculi, M. Ciceronis, cujus occisi a Popillio legionario milite, cum haberet annos LXIII. caput quoque cum manu dextra in rostris positum est. Præterea res a M. Bruto in Græcia gestas continet.

LIBRI CXXI.

Cassius, cui mandatum a senatu erat, ut Dolabellam inimicum judicatum bello persequeretur, auctoritate Reipub. adjutus, Syriam cum tribus exercitibus, qui in eadem provincia erant, in potestatem suam redegit: Dolabellam in urbe Laodicea obsessum mori coegit. M. que-

quoque Bruti jussu C. Antonius captus occisus est.

LIBRI CXXII.

M. Brutus adversus Thracas parum prospere rem gessit, omnibusque transmarinis provinciis exercitibusque in potestatem ejus & C. Cassii redactis, coierunt Smyrnæ uterque ad ordinanda futuri belli consilia. M. Messalæ Poplicolam fratrem victum communi consilio condemnaverunt.

LIBRI CXXIII.

Sex. Pompejus, Magni filius, lectis ex Epiro proscriptis ac fugitivis, cum exercitu diu sine ulla loci cujusquam possessione prædatus in mari, Messanam oppidum in Sicilia primum, deinde totam provinciam occupavit: occisoque A. Pompejo Bithynico prætore; Q. Salvidienum legatum Cæsaris navali prælio vicit. Cæsar & Antonius cum exercitibus in Græciam trajecerunt, bellum contra Brutum & Cassium gesturi. Q. Cornificius in Africa T. Sestium Cassianarum partium ducem prælio vicit.

LIBRI CXXIV.

C. Cæsar & Antonius apud Philippos vario eventu contra Brutum & Cassium pugnaverunt, itaut utriusque dextera cornua vicerint, & castra quoque utrinque ab iis qui vicerant, expugnarentur. Sed inæqualem fortunam partium mors quidem Cassii fecit: qui cum in eo cornu fuisset, quod pulsum erat, totum exercitum fusum ratus, mortem sibi conscivit. Altero deinde prælio victus M. Brutus, & ipse vitam finivit, exorato Stratone fugæ comite, ut sibi gladium adjiceret. idemque fecerunt principum Romanorum circiter XL. Inter quos Q. Hortensius occisus est.

LIBRI CXXV.

C. Cæsar relicto Antonio (transmarina provinciæ ex parte imperium ei cessit) reversus in Italiam, veteranis agros divisit. seditiones exercitus sui, quas corrupti à Fulvia M. Antonii uxore milites contra imperatorem suum concitaverant, cum gravi periculo inhibuit. Antonius COS. M. Antonii frater, eadem, Fulvia consulente, bellum Cæsari intulit, receptis in partes suas populis; quorum agri veteranis assignati erant: & Lepido, qui custodiæ urbis cum exercitu præerat, fuso hostiliter in urbem irrupit.

LIBRI CXXVI.

C. Cæsar cum esset annorum XXIII. obsessum in oppido Perusia L. Antonium, conatumque aliquoties erumpere, & repulsum; fame coegit in deditionem venire: ipsique; & omnibus quidem mi-

militibus ejus ignovit: Perusiam diruit, redactis in potestatem suam omnibus diversæ partis exercitibus, bellum citra ullum sanguinem confecit.

LIBRI CXXVII.

PArthi, Labieno, qui Pompejanarum partium fuerat, duce, in Syriam irruperunt: victoque Decidio Saxa M. Antonii legato, universam eam provinciam occupaverunt. M. Antonius cum ad bellum contra Cæsarem gerendum incitaretur, uxore Fulvia dimissa, ne concordiæ ducum obstaret, pace facta cum Cæsare, sororem ejus Octaviam in matrimonium duxit. Q. Salvidienum consilia nefaria contra Cæsarem molitum, indicio suo detexit: isque damnatus mortem sibi conscivit. P. Ventidius Antonii legatus Parthos prælio victos Syria expulit, Labieno eorum duce occiso. Cum vicinus Italiæ hostis Sex. Pompejus Siciliam teneret, & annonæ commeatum impediret: cum eo postulatam pacem Cæsar & Antonius quidem fecerunt, ita ut Siciliam provinciam haberet. Præterea motus Africæ, & bella gesta continet.

LIBRI CXXVIII.

CUm Sex. Pompejus rursum latrociniis mare infestum redderet, nec pacem, quam acceperat, præstaret: Cæsar necessario bello contra eum suscepto, duobus navalibus præliis dubio eventu pugnavit. P. Ventidius legatus M. Antonii Parthos in Syria prælio vicit: Regemque eorum interemit. Judæorum quoque legati ab Antonio interemti sunt. Præterea belli Siculi apparatum continet.

LIBRI CXXIX.

ADversus Sex. Pompejum vario eventu navalibus certaminibus pugnatum est. ita ut duarum classium, Cæsaris altera, cui Agrippa præerat, vinceret: altera, quam Cæsar duxerat, deleta, expositi in terra milites in quam maximo periculo essent. victus deinde Pompejus in Siciliam profugit. M. Lepidus, qui ex Africa velut ad societatem belli contra Sex. Pompejum a Cæsare gerendi trajecerat, cum bellum Cæsari quoque inferret, relictus ab exercitu, abrogato Triumviratus honore vitam impetravit. M. Agrippa navali corona a Cæsare donatus est. qui honos nemini ante eum habitus est.

LIBRI CXXX.

MArcus Antonius, dum cum Cleopatra luxuriaretur, tarde Mediam provinciam ingressus, bellum cum legionibus XVIII. & XVI. millibus equitum Parthis intulit. & cum duabus

bus legionibus amissis, nulla re prospere cedente retro rediret, insecutis subinde Parthis, & ingenti trepidatione, & magno totius exercitus periculo, in Armeniam reversus est, XXI. die trecenta M. fuga emensus. circa octo M. hominum tempestatibus amisit. tempestates quoque infestas super infeliciter susceptum Parthicum bellum, culpa sua passus est, quia hiemare in Armenia nolebat, dum ad Cleopatram festinat.

LIBRI CXXXI.

SEx. Pompejus cum in fidem M. Antonii veniret, bellum adversus eum in Asia moliens, a legatis ejus oppressus est. Cæsar seditionem veteranorum cum magna pernicie motam inhibuit: Japidas, Dalmatas, & Pannonios subegit. Antonius Artavasdam Armeniæ regem fide data perductum in vincula conjici jussit; regnumque Armeniæ filio suo ex Cleopatra nato dedit: quam uxoris loco jampridem captus amore ejus habere cœperat.

LIBRI CXXXII.

C. Cæsar in Illyrico Dalmatas domuit. Cum M. Antonius ob amorem Cleopatræ, ex qua duos filios habebat, Philadelphum, & Alexandrum, neque in urbem venire vellet, neque finito suo tempore Triumviratus imperium deponere, bellumque moliretur, quod urbi Italiæque inferret: ingentibus tam navalibus quam terrestribus copiis ob hoc contractis, remissoque Octaviæ sorori Cæsaris repudio, Cæsar in Epirum cum exercitu trajecit. Pugnæ deinde navales & prælia equestria secunda Cæsaris referuntur.

LIBRI CXXXIII.

M. Antonius ad Actium classe victus Alexandriam profugit: obsessusque a Cæsare in ultima rerum desperatione, præcipue occisæ Cleopatræ falso rumore impulsus, se ipse interemit. Cæsaris Alexandria in potestatem redacta, Cleopatra ne in arbitrium victoris veniret, voluntaria morte occubuit. In urbem reversus tres triumphos egit: unum ex Illyrico, alterum ex Actiaca victoria, tertium de Cleopatra, imposito fine civilibus bellis altero & vigesimo anno. M. Lepidus, qui Lepidi Triumviri fuerat filius, conjuratione contra Cæsarem facta, bellum moliens, oppressus & occisus est.

LIBRI CXXXIV.

C. Cæsar rebus compositis, & omnibus provinciis in certam formam redactis, Augustus quoque cognominatus est: & mensis Sextilis in honorem ejus

 jus

jus appellatus est. cum ille conventum Narbonæ ageret, census a tribus Galliis, quas Cæsar pater vicerat, actus. Bellum contra Bastarnas, & Mœsos, & alias gentes a M. Crasso gestum refertur.

LIBRI CXXXV.

Bellum a M. Crasso adversus Thracas, & a Cæsare adversus Hispanos gestum refertur: & Salassi gentes Alpinæ perdomiti.

LIBRI CXXXVI.

Rhetia a Tiberio Nerone, & Druso Cæsaris privigno domita: Agrippa Cæsaris gener mortuus, & a Druso census actus est.

LIBRI CXXXVII.

Civitates Germaniæ cis Rhenum & trans Rhenum positæ oppugnantur a Druso, & tumultus, qui ob censum exortus in Gallia erat, compositus. Ara D. Cæsari ad confluentem Araris & Rhodani dedicata, sacerdote creato C. Julio Vercundaridubio Heduo.

LIBRI CXXXVIII.

Thraces domiti a L. Pisone: item Cherusci, Tenchateri, Chatti, aliæque Germanorum trans Rhenum gentes subactæ a Druso referuntur. Octavia soror Augusti defuncta, ante amisso filio Marcello, cujus monimenta sunt theatrum, & porticus, ejus nomini dicata.

LIBRI CXXXIX.

Bellum contra Thranshrhenanas gentes a Druso gestum refertur: in quo inter primores pugnaverunt Senectius & Anectius, tribuni civitatis Nerviorum. Dalmatas & Pannonios Nero frater Drusi subegit. Pax cum Parthis facta est: signis a rege eorum, quæ sub Crasso, & postea sub Antonio capta erant, redditis.

LIBRI CXL.

Bellum adversus Germanorum trans Rhenum civitates gestum a Druso refertur. ipse ex fractura equo super crus ejus collapso, XXX. die quam id acciderat, mortuus est. corpus a Nerone fratre, qui nuntio valetudinis ejus evocatus raptim occurrerat, Romam revectum, & in C. Julii tumulo conditum. Laudatus est a Cæsare Augusto vitrico, & supremis illius funeribus plures honores additi.

FINIS.

CA-

CAROLI SIGONII CHRONOLOGIA *IN* T. LIVII HISTORIAS Ab Urbe Condita.

REGES

Romulus regnat annos XXXVIII.
Interreges regnant annum I.
Numa Pompilius. annos XLIII.
Tullus Hostilius. annos XXXII.
Ancus Marcius. annos XXIV.
L. Tarquinius Priscus. annos XXXVIII.
Ser. Tullius. annos XLIV.
L. Tarquinius Superbus. annos XXV.

CONSULES.

245	L. Junius Brutus.	L. Tarquinius Collatinus.
	S. Lucretius Tricipitinus.	P. Valerius Poplicola.
	M. Horatius Pulvillus.	
246	P. Valerius II.	T. Lucretius.
247	P. Lucretius.	P. Valerius Poplicola III.
248	Sp. Lartius.	T. Herminius.
249	M. Valerius.	P. Postumius.
250	P. Valerius IV.	T. Lucretius.
251	Agrippa Menenius.	P. Postumius.
252	Opiter Virginius.	Sp. Cassius.
253	Postumus Cominius.	T. Lartius.
254	Ser Sulpicius.	M. Tullius.
255	C. Vetusius.	T. Æbutius.
256	Q. Clœlius.	T. Lartius.

257	A. Sempronius.	M. Minucius.
258	A. Postumius.	T. Virginius.
259	Ap. Claudius.	P. Servilius.
260	A. Virginius.	T. Vetusius.
261	Sp. Cassius.	Postumus Cominius.
262	T. Geganius.	P. Minucius.
263	M. Minucius.	A. Sempronius.
264	Sp. Nautius.	Sex. Furius.
265	T. Sicinius.	C. Aquillius.
266	Sp. Cassius.	Proculus Virginius.
267	Ser. Cornelius.	Q. Fabius.
268	L. Æmilius.	K. Furius.
269	M. Fabius.	L. Valerius.
270	Q. Fabius.	C. Julius.
271	K. Fabius.	Sp. Furius.
272	M. Fabius.	Cn. Manlius.
273	K. Fabius.	T. Virginius.
274	L. Æmilius.	C. Servilius.
275	C. Horatius.	T. Menenius.
276	A. Virginius.	Sp. Servilius.
277	C. Nautius.	P. Valerius.
278	L. Furius.	A. Manlius.
279	L. Æmilius.	Opiter Virginius, vel Vopiscus Julius.
280	L. Pinarius.	P. Furius.
281	Ap. Claud. Ap. F.	T. Quintius.
282	L. Valerius.	Ti. Æmilius.
283	T. Numicius Priscus.	A. Virginius.
284	T. Quinctius.	P. Servilius.
285	Ti. Æmilius.	Q. Fabius.
286	Q. Servilius.	Sp. Postumius.
287	Q. Fabius.	T. Quintius.
288	A. Postumius Albus.	Sp. Furius Fusus.
289	L. Æbutius.	P. Servilius.
290	L. Lucretius Tricipitinus.	T. Veturius Geminus.
291	P. Volumnius.	Ser. Sulpicius.
292	C. Claudius Ap. F.	P. Valerius Poplicola.
293	Q. Fabius Vibulanus III.	L. Cornelius Maluginensis.
294	L. Minucius.	C. Nautius.
295	Q. Minucius.	C. Horatius Pulvillus.
296	M. Valerius.	Sp. Virginius.
297	T. Romilius.	Sp. Veturius.
298	Sp. Tarpejus.	A. Aterius.

299	P. Curatius.	Sex. Quinctilius.
300	T. Menenius.	P. Sestius Capitolinus.
301	Ap. Claudius.	T. Genucius.

DECEMVIRI CONSULARES.

Ap. Claudius.	Sp. Postumius Albus.
T. Genucius.	Ser. Sulpitius.
P. Sestius.	T. Romilius.
Sp. Veturius.	P. Curatius.
C. Julius.	A. Manlius.

	Ap. Claudius II.	Q. Fabius.
	M. Cornelius.	M. Rabulejus.
302	L. Minucius.	Q. Pœtelius.
	T. Antonius.	K. Duilius.
	M. Sergius.	Sp. Oppius.

303 Iidem Decemviri per vim in hunc annum continuarunt.

304 L. Valerius. — M. Horatius.

305 Iidem consules continuasse videntur in hunc annum.

306	Lar. Herminius.	T. Virginius Cœlimontanus.
307	M. Geganius Macerinus.	C. Julius.
308	T. Quintius Capitolinus IV.	Agrippa Furius.
309	M. Genucius.	C. Curtius.
310	A. Sempronius Atratinus. T. Clœlius. L. Atilius.	Trib. mil. cos. pot. abdicarunt. In eorum L. F. sunt Coss.
	L. Papirius Mugillanus.	L. Sempronius Atratinus.
311	M. Geganius Macerinus II.	T. Quintius Capitolinus.
312	M. Fabius Vibulanus.	Postumius Æbutius Cornices.
313	C. Furius Pacilus.	M. Papirius Crassus.
314	Proculus Geganius Macerinus.	L. Menenius Lanatus.

315	T. Quintius Capitolin. VI.	Agrippa Menenius Lanatus.
	Mam. Æmilius.	Tribuni mil. conſ. poteſt.
316	L. Quintius Cincinnati F.	
	L. Julius.	
		L. Sergius Fidenas.
317	M. Geganius Macerinus III.	L. Papirius Craſſus.
318	M. Cornelius Maluginenſis.	L. Virginius.
319	C. Julius II.	L. Virginius II. vel Q. Sulpicius.
320	C. Julius III. vel M. Manlius.	
	M. Fabius Vibulanus.	Trib. mil. conſ. pot.
321	L. Sergius Fidenas.	
	M. Foſlius.	
	L. Finarius Mamercus.	
322	L. Furius Medullinus.	Trib. mil. conſ. pot.
	Sp. Poſtumius Albus.	
323	T. Quintius L. F. Cincin. Pennus.	C. Julius Mento.
324	L. Papir. Craſſus.	L. Julius.
325	L. Sergius Fidenas II.	Hoſtus Lucretius Tricipitinus.
326	A. Corn. Coſſus.	T. Q. Pennus II.
327	C. Servilius Ahala.	L. Papirius Mugillanus.
328	T. Quint. Pennus.	C. Furius.
	M. Poſtumius.	A. Cornelius Coſſus.
	A. Sempronius Atratinus.	L. Furius Medullinus.
329	L. Quintius Cincinnatus.	L. Horatius Barbatus.
	Ap. Claud. Craſſ. Xviri. F.	L. Sergius Fidenas.
330	Sp. Nautius Rutilus.	Sex. Julius Julus.
331	C. Sempron. Atratinus.	Q. Fabius Vibulanus.

L. Man-

	L. Manlius Capitolinus.	L. Papirius Mugillanus.
332	Q. Antonius Merenda.	L. Servilius Structus.
333	T. Quintius Capitolinus capit. F.	N. Fabius Vibulanus.
334	Interreges uno anno regnarunt.	
	Tr. mil.	L. Furius Medullinus II.
335	L. Quintius Cincinnatus III.	A. Sempronius Atrat.
	M. Manlius.*	
	Tr. mil.	
336	Agrippa Menenius Lanatus.	P. Lucretius Tricipitinus.
	Sp. Nautius.	C. Servilius.
	Tr. mil.	
	L. Sergius Fidenas.	
337	M. Papirius Mugillanus.	Trib. mil. conſ. Pont.
	C. Servilius Priſci F.	
	Tr. mil.	
338	Agrippa Menenius Lanatus.	L. Servilius Structus II.
	P. Lucretius Tricipitinus.	Sp. Veturius Craſſus.
	Tr. mil.	
	A. Sempronius Atratinus III.	Sp. Nautius Rutilus II.
339	M. Papirius Mugillanus II.	Q. Fabius Vibulanus.
	Tr. mil.	
	P. Cornelius Coſſus.	Quintius Cincinnatus.
340	C. Valerius Potitus.	N. Fabius Vibulanus.
	Tr. mil.	
	Cn. Cornel. Coſſus.	L. Valerius Potitus.
341	Q. Fabius Vibulanus II.	P. Poſtumius Regillenſis.
342	A. Cornelius Coſſus.	L. Furius Medullinus.
343	Q. Fabius Ambuſtus.	C. Furius Pacillus.
344	M. Papirius.	C. Nautius Rutilus.
345	M. Æmilius.	C. Valerius.

346 C. Cornelius Coſſus. L. Furius Medullinus II.
C. Julius Julus.

347 P. Cornel. Coſſus. Trib. mil. Coſ. pot.
C. Servilius Ahala.
Tr. mil.
L. Furius Medullinus II. C. Valerius Potitus II.

348 N. Fabius Vibulan. II. C. Servilius Ahala II.
Tr. mil.
P. Cornel. Coſſus. N. Fabius Ambuſtus.

349 Cn. Cornel. Coſſus. L. Valerius Potitus.
Tr. mil.
T. Quintius Capitolinus. A. Manlius.

350 Q. Quintius Cincinnatus. L. Furius Medullinus III.
C. Julius Julus II. M. Æmilius Mamercin.
Tr. mil.
C. Valerius Potitus III. Cn. Cornelius Coſſus.

351 M. Sergius Fiden. K. Fabius Ambuſtus.
P. Cornelius Maluginenſis. Sp. Nautius Rutilus II.
Tr. mil. M. Quintilius Varus.

352 M. Æmilius Mamercinus II. L. Julius Julus.
L. Valerius Potitus III.
Ap. Claudius Cr. M. Poſtumius.
M. Furius Camillus. M. Poſtumius Albinus.
Tr. mil.
C. Servilius Ahala III. Q. Sulpicius.

353 Q. Servilius. A. Manlius II.
L. Virginius. M. Sergius II.
Tr. mil.
L. Valerius Potitus IV. Cn. Cornelius Coſſus II.

354 M. Furius Camillus. K. Fabius Ambuſtus.
M. Æmilius Mamercinus III. L. Julius Julus.
Tr. mil.
P. Licinius Calvus. P. Mænius.

355 L. Titinius. P. Mælius.
L. Furius Medullinus. L. Publilius Vulſcus.
Tr. mil.
M. Veturius. M. Pomponius.

356 C. Duilius. Volero Publilius.
C. Genucius. L. Atilius.

Tr.

	Tr. mil.	
	L. Valerius Potitus V.	L. Furius Medullinus III.
357	M. Valerius Maximus.	Q. Servilius Fidenas II.
	M. Furius Camillus II.	Q. Sulpicius Camerinus II.
	Tr. mil.	
	L. Julius Julus.	A. Postumius Regillensis.
358	L. Furius Medullinus IV.	P. Cornelius Maluginensis.
	L. Sergius Fidenas.	A. Manlius.
	Tr mil.	
	P. Licinius P. F. Calvus.	L. Titinius II.
359	P. Mænius II.	P. Mælius II.
	Cn. Genucius II.	L. Atilius II.
	Tr. mil.	
	P. Cornelius Cossus.	P. Cornelius Scipio.
360	K. Fab. Ambustus III.	L. Furius Medullinus V.
	M. Valerius Maxim. II.	Q. Servilius III.
	Tr. mil.	
	L. Furius Medullinus VI.	Sp. Postumius.
361	C. Æmilius.	P. Cornelius II.
	L. Valerius Poplicola.	M. Furius Camillus.
362	L. Lucretius Flavus.	Ser. Sulpicius Camerinus.
363	L. Valerius Potitus.	M. Manlius Capitolinus.
	Tr mil.	
	L. Lucretius.	L. Furius Medullinus VII.
364	Ser. Sulpicius.	Agrippa Furius.
	M. Æmilius.	C. Æmilius II.
	Q. Fabius Ambustus.	Q. Sulpitius Longus.
	Tr. mil.	
365	Duo fratres Q. Fabii. Ambusti.	Q. Servilius IV.
		Ser. Cornel. Maluginensis.

366 M. Furius Camillus Dictaturam continuavit in hunc annum.

	Tr mil.	
	L. Valerius Poplicola II.	A. Manlius.
367	L. Virginius.	L. Æmilius.
	P. Cornelius.	L. Postumius.
	Tr. mil.	
	T. Quintius Cincinatus.	L. Aquilius Corvus.

L. Li-

368	Q. Servilius Fidenas V.	L. Lucretius Tricipitinus.
	L. Julius Julus.	Ser. Sulpicius Rufus.
	Tr. mil.	
	L. Papirius.	C. Sergius.
369	L. Æmilius II.	C. Cornelius.
	L. Menenius.	L. Valerius Poplicola III.
	Tr. mil.	
	M. Furius Camillus.	L. Horatius Pulvillus.
370	Ser. Cornelius Maluginensis.	L. Quintius Cincinnatus.
	Q. Servil. Fidenas VI.	P. Valerius.
	Tr. mil.	
	A. Manlius.	T. Quintius Capitolinus.
371	P. Cornelius.	L. Papirius Curſor II.
	T. Quintius Capitolinus.	C. Sergius II.
	Tr. mil.	
	Ser. Cornelius Malugin. III.	P. Valerius Potitus II.
372	M. Furius Camillus V.	Ser. Sulpicius Rufus II.
	C. Papirius Craſſus.	T. Quintius Cincinnatus II.
	Tr. mil.	
	L. Valerius IV.	L. Lucretius.
373	A. Manlius III.	L. Æmilius.
	Ser. Sulpicius III.	M. Trebonius.
	Tr. mil.	
	Sp. Papirius.	Q. Servilius.
374	L. Papirius.	C. Sulpicius.
	Ser. Cornel. IV.	L. Æmilius IV.
	Tr. mil.	
	M. Furius Camil. VI.	L. Furius.
375	A. Poſtumius Regillenſis.	L. Lucretius.
	L. Poſtumius Regillenſis.	M. Fabius Ambuſtus.
	Tr. mil.	
	L. Valerius V.	L. Menenius II.
376	P. Valerius III.	P. Papirius.
	C. Sergius III.	Ser. Cornel. Maluginenſis.
	Tr. mil.	
	P. Manlius.	C. Sextilius.
377	C. Manlius.	M. Albinius.
	L. Julius.	L. Antiſtius.
	Tr. mil.	
	Sp. Furius.	P. Cladius.

378	Q. Servilius II.	M. Horatius.
	C. Licinius.	L. Geganius.
	Tr. mil.	
	L. Æmilius.	Ser. Sulpicius.
379	P. Valerius IV.	L. Quintius Cincinnatus.
	C. Veturius.	C. Quintius Cincinnatus.
380. 381. 382. 383. 384.		
	C. Licinius Stolo.	(Tribuni plebis per an-
	L. Sextius.	(nos V.
	Tr. mil.	
	L. Furius.	Ser. Cornelius.
385	A. Manlius.	P. Valerius.
	Ser. Sulpicius.	C. Valerius.
	Tr. mil.	
	Q. Servilius.	M. Cornelius.
386	C. Veturius II.	Q. Quintius.
	A. Cornelius.	M. Fabius.
	Tr. mil.	
	L. Quintius.	Ser. Cornelius.
387	Ser. Sulpicius.	Sp. Servilius.
	L. Papirius.	L. Veturius.
	Tr. mil.	
	A. Cornelius II.	M. Cornelius II.
388	L. Veturius.	M. Geganius.
	P. Manlius.	P. Valerius VI.
389	L. Sextius.	L. Æmilius.
390	L. Genucius.	Q. Servilius.
391	C. Sulpitius Petitus.	C. Licinius Stolo.
392	L. Æmilius Mamercus II.	Cn. Genucius.
393	Q. Servilius Ahala.	L. Genucius II.
394	C. Sulpicius.	C. Licinius Calvus.
395	C. Pœtelius Libo.	M. Fabius Ambustus.
396	M. Popillius Lænas.	Cn. Manlius.
397	C. Fabius.	C. Plautius.
398	C. Marcius.	Cn. Manlius.
399	M. Fab. Ambustus II.	M. Popillius Lænas II.
400	C. Sulpitius Petitus III.	M. Valerius Poplicola.
401	M. Fab. Ambustus III.	T. Quintius, vel M. Popillius.
402	C. Sulpitius Petitus IV.	M. Valerius Poplicola III.

403	P. Valerius Poplicola.	C. Martius Rutilus.
404	C. Sulpitius Petitus.	T. vel K. vel C. Quintius Pennus.
405	M. Popillius Lænas.	L. Cornelius Scipio.
406	L. Furius Camillus.	P. Claudius Craſſus.
407	M. Valerius Corvus.	M. Popillius Lænas IV.
408	T. Manlius Torquatus.	C. Plautius.
409	M. Valerius Corvus II.	C. Pœtelius.
410	M. Fabius Dorſo.	Ser. Sulpicius Camerinus.
411	C. Marcius Rutilus III.	T. Manlius Torquatus II.
412	M. Valerius Corvus III.	A. Cornelius Coſſus.
413	C. Marcius Rutilus IV.	Q. Servilius.
414	C. Plautius II.	L. Æmilius Mamercinus.
415	T. Manlius Torquatus IV.	P. Decius Mus.
416	Ti. Æmilius Mamercinus.	Q. Publilius Philo.
417	L. Furius Camillus.	C. Mænius.
418	C. Sulpicius Longus.	P. Ælius Pætus.
419	L. Papirius Craſſus.	K. Duilius.
420	M. Valerius Corvus IV.	M. Atilius Regulus.
421	T. Veturius.	Sp. Poſtumius.
422	Interreges anno I.	
423	A. Cornelius II.	Cn. Comitius.
424	M. Claud. Marcellus.	C. Valerius Flaccus.
425	L. Papirius Craſſus II.	L. Valerius Venno.
426	L. Æmilius Mamercinus.	C. Plautius.
427	P. Plautius Proculus.	P. Cornelius Scapula.
428	L. Cornel. Lentulus.	Q. Publilius Philo II.
429	L. Papirius Mugillanus, alias Curſor.	C. Pœtelius.
430	L. Furius Camillus II.	Junius Brutus Scæva.
431	C. Sulpicius Longus II.	Q. Æmilius, vel Aulius Cerretanus.
432	Q. Fabius.	L. Fulvius.
433	T. Veturius Calvinus.	Sp. Poſtumius.
434	L. Papirius Curſor II.	Q. Publilius Philo.
435	L. Papirius Curſor, vel Mugillanus.	Q. Aulius Cerretanus II.
436	M. Foſlius Flaccinator.	L. Plautius Venno.
437	C. Junius Bubulcus.	Q. Æmilius Barbula.
438	Sp. Nautius,	M. Popilius.

439	L. Papirius Curſor IV.	Q. Publilius Philo IV.
440	M. Pœtelius.	C. Sulpicius.
441	L. Papirius Curſor V.	C. Junius Bubulcus II.
442	M. Valerius.	P. Decius.
443	C. Junius Bubulcus III.	Q. Æmilius Barbula II.
444	C. Marcius Rutilus.	Q. Fabius.
445	Q. Fabius.	P. Decius.
446	Ap. Claudius.	L. Volumnius.
447	Q. Marcius Tremulus.	P. Cornelius Arvina.
448	L. Poſtumius.	Ti. Minucius.
449	P. Sempronius Sophus.	P. Sulpicius Saverrio.
450	L. Genucius.	Ser. Cornelius.
451	M. Livius Denter.	M. Æmilius.
452	M. Valerius.	Q. Apulejus Panſa.
453	M. Fulvius Pætus.	T. Manlius Torquatus.
454	L. Cornelius Scipio.	Cn. Fulvius.
455	Q. Fab. Maximus IV.	P. Decius Mus III.
456	L. Volumnius.	Ap. Claudius.
457	Q. Fabius V.	P. Decius IV.
458	P. Poſtumius Megellus.	M. Atilius Regulus.
459	L. Papirius Curſor.	Sp. Carvilius.
460	Q. Fabius Gurges, Maximi F.	D. Junius Brutus Scæva.
461	L. Poſtumius.	C. Junius.
462	P. Cornelius Rufinus.	M. Curius Dentatus.
463	M. Valerius.	Q. Cædicius.
464	Q. Marcius.	P. Cornelius.
465	M. Marcellus.	Sp. Nautius.
466	M. Valerius.	C. Ælius.
467	C. Claudius.	M. Æmilius.
468	C. Servilius.	L. Cæcilius.
469	P. Cornel. Dolabella.	Cn. Domitius.
470	C. Fabricius.	Q. Æmilius.
471	L. Æmilius.	Q. Marcius.
472	P. Valerius.	Ti. Coruncanius.
473	P. Sulpicius.	P. Decius.
474	C. Fabricius.	Q. Æmilius.
475	P. Cornelius.	C. Junius.
476	Q. Fabius.	C. Genucius.
477	M. Curius.	L. Lentulus.
478	Ser. Cornelius.	M. Curius.
479	C. Fabricius.	C. Claudius.
480	L. Papirius Curſor.	Sp. Carvilius.
481	C. Quintius.	L. Genucius.
482	C. Genucius.	Cn. Cornelius.

483	P. Sempronius.	Ap. Claudius.
484	M. Atilius.	L. Julius Libo.
485	D. Junius.	N. Fabius.
486	Ap. Claudius.	M. Fulvius.
487	M. Valerius.	M. Otacilius.
488	L. Postumius.	Q. Mamilius.
489	L. Valerius.	T. Otacilius.
490	Cn. Cornelius.	C. Duilius.
491	C. Aquillius.	L. Cornelius.
492	A. Atilius Calatinus.	Q. Sulpicius.
493	Cn. Cornelius.	C. Atilius.
494	Q. Cædicius.	L. Manlius.
495	M. Æmilius Paulus.	Ser. Fulvius Nobilior.
496	Cn. Cornelius.	A. Atilius.
497	Cn. Servilius.	C. Sempronius.
498	C. Aurelius Cotta.	P. Servilius.
499	L. Cæcilius Metellus.	C. Furius.
500	C. Atilius Regulus.	L. Manlius.
501	P. Claudius.	L. Junius.
502	P. Servilius.	C. Aurelius.
503	L. Cæcilius.	N. Fabius.
504	M. Fabius.	M. Otacilius.
505	M. Fabius.	C. Atilius.
506	A. Manlius.	C. Sempronius.
507	C. Fundanius.	C. Sulpicius.
508	C. Lutatius Catulus.	A. Postumius.
509	Q. Lutatius Cerco.	A. Manlius.
510	C. Claudius Centho.	M. Sempronius.
511	C. Mamilius.	Q. Valerius.
512	Ti. Sempronius.	P. Valerius.
513	L. Cornelius.	Q. Fulvius.
514	C. Licinius.	P. Cornelius.
515	T. Manlius Torquatus.	C. Atilius.
516	L. Postumius.	Sp. Carvilius.
517	Q. Fabius.	M. Pomponius.
518	M. Lepidus.	M. Poblicius.
519	C. Papirius.	M. Pomponius.
520	M. Æmilius.	M. Junius.
521	L. Postumius.	Cn. Fulvius.
522	Q. Fabius II.	Sp. Carvilius.
523	P. Valerius.	M. Atilius.
524	L. Apustius.	M. Valerius.
525	C. Atilius.	L. Æmilius.
526	T. Manlius.	Q. Fulvius II.
527	C. Flaminius.	P. Furius Philus.

528	M. Marcellus.	Cn. Cornelius.
529	P. Cornelius.	M. Minucius.
530	L. Veturius.	C. Lutatius.
531	M. Livius.	L. Æmilius.
532	P. Cornelius Scipio.	Ti. Sempronius Longus.
533	Cn. Servil. Geminus.	C. Flaminius.
534	C. Terentius Varro	L. Æmilius Paulus.
535	L. Poſtumius Albinus III.	Ti. Sempronius Gracchus.
	M. Claudius Marcellus II.	... ...
	Q. Fab. Maximus III.	... ...
536	Q. Fabius Maxim. IV.	M. Claudius Marcellus III.
537	Q. Fabius Maxim. Veruccoſi F.	Ti. Sempron. Gracchus II.
538	Ap. Claudius Pulcher.	Q. Fulvius Flaccus III.
539	P. Sulpicius Galba.	Cn. Fulvius Centumal.
540	M. Valer. Lævinus II.	M. Claudius Marcellus IV.
541	Q. Fabius Maxim. V.	Q. Fulvius Flaccus IV.
542	M. Claudius Marcellus V.	T. Quintius Criſpinus.
543	C. Claudius Nero.	M. Livius Salinator II.
544	Q Cæcilius Metellus.	L. Veturius Philo.
545	P. Cornelius Scipio.	P. Licinius Craſſus.
546	M. Cornel. Cethegus.	P. Sempronius Tuditanus.
547	Cn. Servil. Cæpio.	C. Servilius.
548	T. Claudius Nero.	M. Servilius Geminus.
549	Cn. Cornelius Lentulus.	P. Ælius Pætus.
550	P. Sulpicius Galba.	C. Aurelius Cotta.
551	L. Cornel. Lentul.	P. Villius Tappulus.
552	T. Quintius Flaminin.	Sex. Ælius Pætus.
553	C. Cornel. Cethegus.	Q. Minucius Rufus.
554	L. Furius Purpureo.	M. Claudius Marcellus.
555	M. Porcius Cato.	L. Valerius Flaccus.
556	P. Cornelius Scipio African. II.	T. Sempronius Longus.
557	L. Cornelius Merula.	Q. Minucius Thermus.
558	L. Quintius Flaminin.	Cn. Domitius Ahenobarb.
559	M. Acilius Glabrio.	P. Cornelius Scipio Naſica.
560	L. Cornelius Scipio.	C. Lælius.
561	Cn. Manlius Vulſo.	M. Fulvius Nobilior.
562	C. Livius Salinator.	M. Valerius Meſſalla.
563	M. Æmilius Lepidus.	C. Flaminius.

564

564	Sp. Postumius Albinus.	Q. Marcius Philippus.
565	Ap. Claudius Pulcher.	M. Sempronius Tuditanus.
566	P. Claudius Pulcher.	L. Porcius Licinius.
567	Q. Fabius Labeo.	M. Claudius Marcellus.
568	L. Æmilius Paulus.	Cn. Bæbius Tamphilus.
569	P. Cornelius Cethegus	M. Bæbius Tamphilus.
570	A. Postumius Albinus.	C. Calpurnius Piso.
571	L. Manlius Acidinus.	Q. Fulvius Flaccus.
572	M. Junius Brutus.	A. Manlius Vulso.
573	C. Claudius Pulcher.	T. Sempronius Gracchus.
574	Cn. Cornelius Scipio Hispalus.	Q. Petilius Spurinus.
	C. Valerius Lævinus.	
575	P. Mucius Scævola.	M. Æmilius Lepidus II.
576	Sp. Postumius Albinus.	Q. Mucius Scævola.
577	L. Postumius Albinus.	M. Popillius Lænas.
578	C. Popilius Lænas.	P. Ælius Ligus.
579	P. Licinius Crassus.	C. Cassius Longinus.
580	A. Hostilius Mancinus.	A. Atilius Serranus.
581	Q. Marcius Philippus II.	Cn. Servilius Cæpio.
582	L. Æmilius Paulus II.	C. Licinius Crassus.
583	Q. Ælius Pætus.	M. Junius.
584	M. Marcellus.	C. Sulpicius.
585	Cn. Octavius.	T. Manlius.
586	A. Manlius.	Q. Cassius.
587	T. Sempronius.	M. Juventius.
588	P. Cornelius Scipio Nasica.	C. Marcius.
589	M. Messalla.	C. Fannius.
590	L. Anicius.	M. Cornelius.
591	Cn. Cornelius Dolabella.	M. Fulvius.
592	M. Æmilius.	C. Popillius.
593	Sex. Julius.	L. Aurelius.
594	L. Lentulus.	C. Marcius.
595	P. Scipio.	M. Claudius.
596	L. Postumius.	Q. Opimius.
597	Q. Fulvius.	T. Annius.
598	M. Marcellus.	L. Valerius.
599	L. Lucullus.	A. Postumius.
600	T. Quintius.	M. Acilius.

601 L. Marcius. M. Manilius.
602 Sp. Postumius. L. Piso.
603 P. Africanus. C. Livius.
604 Cn. Cornelius. L. Mummius.
605 Q. Fabius Maximus. L. Hostilius.
606 Ser. Galba. L. Aurelius.
607 Ap. Claudius. Q. Metellus.
608 L Metellus. Q. Maximus.
609 Cn. Cæpio. Q. Pompejus.
610 Q. Cæpio. C. Lælius.
611 Cn. Piso. M. Popillius.
612 P. Scipio. D. Brutus.
613 M. Æmilius. C. Hostilius Mancinus.
614 P. Furius. Sex. Atilius Serrannus.
615 Ser. Fulvius. C. Calpurnius
616 P. Africanus. C. Fulvius Flaccus.
617 P. Mucius. L. Calpurnius.
618 P. Popillius. P. Rupilius.
619 P. Crassus. L. Valerius.
620 C. Claudius. M. Perperna.
621 C. Sempronius. M. Aquillius.
622 Cn. Octavius. T. Annius.
623 L. Cassius. L. Cinna.
624 M. Æmilius. L. Aurelius.
625 M. Plautius. M. Fulvius.
626 C. Cassius Longinus. C. Sextius.
627 Q. Cæcilius. T. Quintius.
628 Cn. Domitius. C Fannius.
629 L. Opimius. Q. Maximus.
630 P. Manlius. C. Papirius.
631 L. Cæcilius. L. Aurelius.
632 M. Cato. Q. Marcius.
633 L. Cæcilius. Q. Mucius.
634 C. Licinius Deta. Q. Maximus.
635 M. Metellus. M. Scaurus.
636 M. Acilius Balbus. C. Cato.
637 C. Cæcilius. Cn. Papirius.
638 M. Livius Drusus. L. Piso.
639 P. Scipio L. Calpurnius Bestia.
640 Sp. Postumius. M. Minucius.
641 Q. Metellus. *M.* Silanus.
642 Ser. Galba. *M.* Scaurus.
643 L. Cassius. C. *Marius.*
644 Q. Servilius Cæpio. C. Atilius.
645 P. Rutilius Rufus. *M. Manilius.*

646	C. Marius II.	C. Flavius Fimbria.
647	C. Marius III.	C. Claudius Orestes.
648	C. Marinus IV.	Q. Lutatius.
649	C. Marius V.	M. Aquillius.
650	C. Marius VI.	L. Valerius Flaccus.
651	M. Antonius.	A. Postumius.
652	Q. Metellus.	T. Didius.
653	Cn. Lentulus.	P. Crassus.
654	Cn. Domitius.	C. Cassius.
655	L. Crassus.	Q. Scævola.
656	C. Cælius.	L. Domitius.
657	C. Valerius Flaccus.	M. Herennius.
658	C. Claudius Pulcher.	M. Perperna.
659	L. Marcius.	Sex. Julius.
660	L. Cæsar.	L. Rutilius Lupus.
661	L. Porcius.	Cn. Pompejus.
662	L. Sulla.	Q. Pompejus.
663	L. Cinna.	Cn. Octavius.
664	L. Cinna II.	C. Marius VII.
665	L. Cinna III.	C. Papirius.
666	L. Cinna IV.	C. Papirius II.
667	L. Scipio.	C. Norbanus.
668	C. Marius.	C. Carbo III.
669	M. Tullius.	C. Dolabella.
670	L. Sulla II.	Q. Metellus.
671	P. Servilius.	Ap. Claudius.
672	M. Lepidus.	Q. Catulus.
673	M. Æmilius.	D. Brutus.
674	C. Octavius.	C. Curio.
675	L. Octavius.	C. Cotta.
676	L. Licinius Lucullus.	M. Cotta.
677	M. Lucullus.	C. Cassius.
678	L. Gellius.	C. Lentulus.
679	C. Aufidius.	P. Lentulus.
680	M. Crassus.	Cn. Pompejus.
681	Q. Metellus.	Q. Hortensius.
682	L. Metellus.	Q. Marcius.
683	C. Piso.	M. Glabrio.
684	M. Lepidus.	L. Volcatius.
685	L. Cotta.	L. Torquatus.
686	L. Cæsar.	C. Figulus.
687	M. Cicero.	C. Antonius.
688	D. Silanus.	L. Murena.
689	M. Puppius.	M. Valerius.
690	Q. Metellus.	Q. Afranius.

691	C. Cæsar.	M. Bibulus.
692	L. Piso.	A. Gabinius.
693	P. Lentulus.	Q. Metellus.
694	C. Lentulus.	L. Philippus.
695	C. Pompejus.	M. Crassus.
696	Ap. Claudius.	L. Domitius.
697	C. Domitius.	M. Messalla.
698	C. Pompejus.	Q. Metellus.
699	M. Marcellus.	Ser. Sulpicius.
700	L. Paulus.	C. Marcellus.
701	L. Lentulus.	C. Marcellus.
702	C. Cæsar.	P. Servilius.
703	Q. Fulvius Calenus.	P. Vatinius.
704	C. Cæsar.	M. Lepidus.
705	C. Cæsar.	Q. Maximus.
706	C. Cæsar.	M. Antonius.
607	C. Pansa.	A. Hirtius.
708	M. Lepidus.	L. Plancus.
709	P. Servilius II.	L. Antonius.
710	Cn. Domitius.	C. Asinius.
711	L. Censorinus.	C. Calvisius.
712	Ap. Claudius.	C. Norbanus.
713	M. Agrippa.	L. Caninius.
714	L. Gellius.	M. Coccejus.
715	Sex. Pompejus.	L. Cornificius.
716	M. Antonius.	L. Scribonius Libo.
717	C. Cæsar.	L. Volcatius.
718	Cn. Domitius.	C. Sosius.
719	C. Cæsar II.	M. Messalla.
720	C. Cæsar III.	M. Crassus.
721	C. Cæsar IV.	Sex. Apulejus.
722	C. Cæsar V.	M. Agrippa II.
723	C. Cæsar VI.	M. Agrippa III.
724	C. Augustus Cæsar VII.	T. Statilius.
725	C. Cæsar Augustus VIII.	M. Silanus.
726	C. Cæsar Augustus IX.	C. Norbanus.
727	C. Cæsar Augustus X.	Cn. Piso.
728	M. Marcellus.	L. Arruntius.
729	M. Lollius.	Q. Lepidus.
730	M. Apulejus.	P. Silius.
731	C. Sentius.	Q. Lucretius.
732	Cn. Lentulus.	P. Lentulus.

733 C. Furnius. C. Silanus.
734 L. Domitius. P. Scipio.
735 M. Drusus. L. Piso.
736 Cn. Lentulus. M. Crassus.
737 T. Nero. P. Quintilius.
738 M. Messalla. P. Sulpicius.
739 Paulus Fabius. Q. Ælius.
740 Julius Antonius. Q. Fabius.
741 Drusus Nero. T. Quintius.

FINIS.

INDEX

RERUM SCITU DIGNARUM, quæ primo Tomo continentur.

A

M Ager

Arte-

ad

Qui-

Sca-

Vol-

FINIS.

INDEX.

RERUM SCITU DIGNARUM, quæ secundo Tomo Continentur.

Han-

Cluviæ

D

Juris-

quando

T

V

FINIS.

INDEX

RERUM SCITU DIGNARUM,

quæ tertio tomo continentur.

N 6 Anni-

B

M

N

Phi-

Pugna

FINIS.

INDEX
RERUM SCITU DIGNARUM,
Quæ v. Decadis quinque Libris continentur.

Dio-

Le-

FINIS.

CHRO-

CHRONOLOGIA IN T. LIVIUM.

Anni ante U. C.

Anno Mundi 2767 ante Christi nativitatem 1181., ante Urbem conditam 431.

LIBER PRIMUS.

Æneas primus Rex Latinorum.

431 TRoja capta cum suis in Thraciam trajicit, ibique hyemat. *Dion.*

430 Urbe *Aenea* in Thracia condita abit in Arcadiam, & postmodum in *Siciliam*, ubi hybernat. *Dion.*

429 Exacta secunda hyeme in mare Tyrrhenum trajicit, tandemque *Laurentum* pervenit media æstate, ubi accepto agro *Lavinium* condit. *Dion.*

427 Quarto post captam Trojam anno succedit defuncto Socero *Latino*, qui annos regnaverat 32. & ipse *Aeneas* regnat an. 3. *Dion.*

424 Bello petitur a Mezentio Tyrrheno, & in prælio adversus ipsum cadit, anno 7. exacto post Trojam captam.

Succedit ASCANIUS Filius, qui obsessus a *Mezentio* nocturna eruptione *Lausum* filium Mezentii obtruncat: Inde obsidione soluta pax fit.

399 Trigesimo anno exacto post conditum Lavinium condit *Albam Longam*, ibique sedem Regni collocat.

388 Post annum 38. Regni moritur. Succedit ipsi frater

SYLVIUS

Lavinia enim uxor Æneæ, ne Novercæ nomen sibi invidiosum esset, aut perniciosum, cum gravida esset, in Sylvas abit, ibique parit filium, & educat, qui ob id *Sylvius* appellatus est. *Dion.*

357 *Sylvius* cum annis 29. præfuisset, moritur. Succedit

ÆNEAS SYLVIUS.

326 Qui regnat annis 31.

LATINUS

Succedit parenti Æneæ, regnatque annis 51. *Dion.*

ALBA

275 Succedit Patri *Latino*, & regnum administrat annis 39.

ATIS, aliis CAPETUS.

236 Succedit Parenti *Albæ*, & præest annis 26. *Dion.*

Anni ante V.C.

CAPYS

Succedit *Capeto*, & præest annis 28. *Dion.*

210 CAPETUS *Dionyſ.* CALPETUS

182 Succedit *Capy*, & præest annis 13. *Dion.*

TYBERINUS *Liv.* TIBERIUS

169 Succedit *Capeto*, aliis *Calpeto*, regnatque annis 8. *Dion.*

161 *Tiberinus*, ſeu *Tiberius*, prælio cum Latinis rebellibus ad Albulam fl. commiſſo, fertur equo præceps in eumdem, & ſuffocatur anno Regni 8. exacto. Inde Albula Tiberis dictus.

AGRIPPA

Filius ſuccedit, regnatque annis 41.

120 ROMULUS SYLVIUS, *Liv.*

ALLADIUS, *Dion.*

Succedit Parenti *Agrippæ*, præeſtque annis 19. *Dion.*

102 *Romulus Sylvius*, ſeu *Alladius* fulmine ictus perit ex Livio, ſeu, ut Dionyſ. placet, hiatu terræ cum tota Domo, quod fulmen Jovis imitaretur, abſorbetur, regnavit an. 37.

AVENTINUS

Succedit, qui Monti Aventino nomen dedit, & regnavit annis 37. *Dion.*

66 PROCAS

Succedit *Aventino*, regnatque annis 23. *Dion.*

43 AMULIUS

Fratri majori *Numitori* Regnum extorquet, idque obtinet annis 42. poſt Patrem *Procam*. *Dion.*

20 Anno 4. *Iliæ*, ſive Rheæ filiæ Numitoris, poſtquam juſſu Amulii Veſtali igni cuſtodiendo deſtinata fuerat, ſtuprum ipſo in templo infertur, quo tempore & Eclipſis Solis fuit, die ſc. 4. Aprilis, & Romulus & Remus concepti ſunt. *Dion.*

2 Romulus ex inſidiis Albam Longam cum Paſtoribus quibuſdam ingreditur, *Remum* fratrem ex cuſtodia liberat, *Amulium* anno 42. Regni obtruncat, & *Numitorem* Avum Maternum conſentiente Populo Regem facit.

Anni ante V.C.

NUMITOR

Pax. Ilium captum 432. *ex Dion.*

Olympiadis 7. anno ſeu Anno Olympiadico 24. Palilia Romæ 21. Apr. ſecundum Varronem, Anno Periodi Jul. 3961. ſecundum Faſtos 3962.

Altero anno *Numitoris* Albani Regis.

1 ROMULUS, & REMUS

Collectis ex Latinis, Albanis, & Paſtoribus colonis ad tria millia hominum novam Urbem condere aggrediuntur.

PRI-

PRIMUS STATUS CIVITATIS
sub Regibus &
ROMANI IMPERII INFANTIA ad an. 249.

2 *Romulus* ludos indicit *Consuales*, ut postea vocati sunt, & vicinis invitatis, intentas in ludos *Virgines* rapit numero septingentas, & octoginta tres, easque Civibus distribuit. *Plutarch. in Romul. Dion.*

4 Primum Romanorum bellum cum Ceninensibus, qui vincuntur. *Romulus Primus spolia opima* de eorum Rege fert in Capitolinum Montem, ubi *Jovi Feretrio Templum* designat. *Plut. Dion.*

6 Urbem inde Ceninensium excindit, & Cives Romam traducit, idemque de Antemnatibus facit paullo post victis. *Dion.*

Bellum omnium difficillimum Romulo a Sabinis infertur, quod toto triennio duravit. *Dion.*

8 Arce Tarpeja a Sabinis capta *Romulus* templum *Jovi* Statori vovet. Sabinos in Urbem, & Tatium eorum Regem socium Regni assumit, qui cum *Romulo* quinquennium regnat.

13 *Tatius Collega Romuli in Regno* post quintum annum *Laurenti*, quod latrones quosdam supplicio eriperet, trucidatur. *Dion.*

15 *Fidenas Colonia* a Romulo deducta Idibus Aprilis Civibus eo missis 2500. *Plut.*

16 Cameriam colonia deducitur Kalendis sextilibus, deductis eo quinque millibus Civium. *Plut.*

30 Bellum cum Vejentibus, cum quibus sequenti anno iterum victis pax in centum annos sancitur.

38 *Romulus* cum regnasset an. 37. turbine abripitur ad *Capræ Paludem* nonis Quintilibus, ut Livius habet: vel interfectus est, ut Dion. asserit, addens, Solem defecisse, & in ejus conceptu & in ejus obitu. Secutum est interregnum unius anni. Porro res Romana sub ipso adeo crevit, ut cum trium millium peditum Coloniam deduxisset, & equitum 300. sub ejus obitum numerarentur pedites 46000. & mille equites. *Dion.*

NUMA POMPILIUS

39 *Secundus* Romanorum *Rex* post annum Interregnum & diutinam deliberationem ad regnum evocatur annos natus 40. regnat annos 43. Nullum bellum gessit, tantum *Sacra Romana* instituit.

46 *Numa* octavo anno Regni, cum lues gravissima Romam invasisset, *Salios* instituit, qui choreas egerunt per Urbem mense Martio. *Plut.*

82 *Hostilii*, qui in prælio cum Sabinis ceciderat, & *Hersiliæ* nobilissimæ feminæ *Nepos* post *Numam*, qui an. 43. regnaverat, creatur a Romanis Rex anno 2. Olymp. 27. *Dion. l.* 2.

87 Bellum inter Romanos, & Albanos ortum propter latrocinia finitur singulari pugna Horatiorum, & Curiatiorum.

89 *Tullus Hostilius* Rom. Rex adscitis Albanorum auxiliis bellum Fidenatibus, inde Metio fœdum supplicium infert; Urbem ipsam Albam, cum stetisset annis 487. ex fundamentis diruit, Civesque simul omnes Romam traducit, Cœlium montem urbi adjungit, & Curiam Hostiliam extruit. *Dion. l.* 3.

91 Fidenates iterum vincuntur, & oppidum capitur.

96 Bellum Sabinis indictum: post asperum prælium æquo marte disceditur. *Dionys. l.* 3.

96 In bello contra Sabinos *Tullus* vovet Saturno, & *Opi* ferias; unde *Saturnalia* orta.

107 *Tullus* bellum Latinis populis ob negatum tributum indicit, quod quinque annos durat, capta *Medullia* urbe finitur, *Dion. Hal. l.* 3.

114 *Tullus Hostilius* cum annis 32. regnasset, perit cum omni familia incendio, cujus suspicio in *Ancum Martium Numæ nepotem* cadit.

ANCUS MARTIUS.

Romanorum Rex IV. electus a Senatu, & populo succedit.

118 *Ancus Martius* Latinis populis bellum infert; *Politorium Urbem* capit, cives Romam traducit, iisque *Aventinum* montem incolendum tradit. *Dion. l.* 3.

119 *Politorium* a Latinis receptum iterum obsidet, capit, cremat, vastat. *Dionys. l.* 3.

120 Latini *Medulliam* Coloniam Romanorum expugnant. Ancus interea *Tellenas* nobile Latinorum oppidum capit. Incolas Romam deducit, & Politorianis in Aventino jungit.

121 *Ancus Martius* quarto belli Latini anno Medulliam obsidet, & expugnat. Ficanam etiam Urbem corona capit. *Lucurno*, aliis *Lucurna* filius Damarati Corinthii ex Baubojadarum genere hoc anno Tarquiniis Romam migrat, & se *L. Tarquinium* vocari jubet. Venit Romam 7. anno. *Anci. Dion. l.* 3.

127 *Ancus Rom. Rex* Ostia Tiberis munit, muro Janiculum cingit, eumque montem cum Urbe ponte sublicio ex solis lignis sine ære, & ferro constructo jungit, cujus

cujus curam quibusdam Principibus Viris commendat, qui ob id PONTIFICES appellati sunt. *Dion. l.* 3.

129 *Ancus* quarto anno post bellum *Sabinis* illatum, Vejentibus bellum movet, castrisque eorum potitur & pax fit.

131 Biennio post pacem cum Vejentibus factam iterum vincuntur.

133 Contra *Volscos* Romanum agmen deprædantes exercitus ductus *Velitras* obsidet. inde pace facta reducitur. *Dion. l.* 3.

135 Novo bello cum *reliquis Sabinis* exorto, una pugna domiti, & sub jugum missi.

138 *Ancus Martius* cum regnasset an. 24. moritur, relictis filiis duobus fere pubescentibus.

L. TARQUINIUS PRISCUS

Eorum tutor ab *Anco* constitutus Populo suadet, ut se *Regem* creent. Factum an. 2. *Olym.* 41.

139 *Tarquinius* adhuc *centum Patricios* ex Rom. Civibus in Senatum legit, ut Senatorum tum essent 300.

140 Anno sequenti sacra curare incipit, & Virgines duas *Vestales* lege lata legit, ut earum numero *sex* essent.

141 *Tarquinius* primum bellum gerit cum *Apiolis* Urbe latinorum celebri, quibus in servitutem redactis oppidum excindit. *Dion. l.* 3.

142 Contra Crustuminos ducit, a Romulo quondam devictos.

145 Latini magna clade vincuntur. Fuerunt Fidenates, Camerini, & alii. Ab hoc prælio usque ad ultimum cum Etruscis numerat *Dion.* an. 20. *l.* 3.

146 Bellum contra Latinos, quo *totum Latium subactum. Dion. l.* 3.

147 *Tarquinius Circum Maximum* designat, loca Patribus, Equitibus, & plebi dividens tanta amplitudine, ut centum quinquaginta millia hominum locus ille caperet, ibique *Ludos* egit, qui postea annui facti sunt, Romani, seu Magni dicti. *Dion. lib.* 3.

150 Sabini magna clade fracti accipiunt inducias in sexennium.

151 Tarquinius Urbis Romanæ muros de integro condit, & quadratis lapidibus maximis instruere incipit.

151 Cloacas etiam, & fossas maximo sumtu ædificat. *Dion.*

152 Etruscum bellum contra Tarquinium motum videtur ab universa gente; quo Fidenæ Col. Rom. captæ. *Dion. l.* 3.

161 Pax inter *Etruscos*, & *Tarquinium*, pro qua impetrata of-

offerunt Etrusci Tarquinio coronam auream, sellam eburneam, sceptrum Aquila in summitate exornatum, Tunicam purpuream distinctam, Togam, & 12. secures; quos honores consentiente Senatu admittit *Tarquinius*. Duraverat bellum annis 9. *Dion.*

163 Galli Belloveso duce Alpes transcendunt, & Mediolanum condunt. *Liv. lib.* 5.

171 Pax facta inter Sabinos, & Tarquinium, Sabinis omnia sua dedentibus. *Dionys. lib.* 3.

177 Tarquinius jam fere octogenarius insidiis *filiorum Ancii Martii* cæsus interiit, cum annis 38. regnasset.

SERVIUS TULLIUS

Succedit Gener, 30. annorum, anno 4. Olymp. 50.

188 *Tullius Rom. Rex Censum* instituit circa hæc tempora. Certus autem annus ejus rei dari non potest, cum in Romana Historia sæpius inveniantur censores tardius, quam debeant, electi. Inventa sunt, cum *Lustrum* conderet, Romanorum Civium 84700. *Dion. l.* 4.

212 Idem Urbem in quatuor Tribus, Populum in Classes, & Centurias divisit.

Ser. Tullius Templum Bonæ fortunæ in Foro *Boario*, alterum *Fortunæ Virilis* in ripa Tiberis condit, *Dion. l.* 4.

215 Scelestæ nuptiæ *Tarquinii Superbi* cum *Tullia* Regis Servii *minore* filia, interfectis prius ab eo uxore, *Tullia majore*, ab hac vero *Arunte* marito. *Dion.*

220 *Tullius Rex* scelere generi Tarquinii & filiæ occiditur, cum regnasset an. 44.

L. TARQUINIUS SUPERBUS

Rex fit anno 4. Olymp. 61. regnat annis 25. *Dion. l.* 4.

Hic Vertit Regnum in Tyrannidem, primusque Regum *Satellitium* sibi adscifcit.

Tarquinius Volscis, Hernicis, Latinis persuadet, ut Commune *Templum Jovi Latiali* in Albæ tumulis extruerent, & ibi quotannis sacrificarent. Ex *Feriæ* postea *Latinæ* dictæ sunt. *Dion. l.* 4.

229 Gabiis bellum infert, quod 7. annis continuis geritur: demum Gabii dolo Sexti Tarquinii filii capiuntur.

237 *Capitolium* ex Manubiis Pometianis Romæ extructum, ita dictum ab humano capite invento. *Dion. l.* 4.

240 Libri Sibyllini ad Tarquinium afferuntur.

245 *Lucretiæ* infelix casus. Rex Tarquinius cum tota familia Urbe expellitur, & Consules creantur 4. mensibus antequam novus annus iniret. *Dion. l.* 4.

LI.

LIBER SECUNDUS

SECUNDUS STATUS CIVITATIS
ſub Conſulibus, &
Romani Imperii ADOLESCENTIA, quæ
200. an. durat, ad Ap. Claudium,
& Q. Fulvium Coſs.

PRIMI CONSULES

JUNIUS BRUTUS,

L. TARQUINIUS COLLATINUS.

246 *Cenſus* Romæ inſtituitur, qui intermiſſus fuerat tempore *Tarquinii*; & *Tributorum* ordinatio, & conſtitutio a *Servio Tullio rege* facta in uſum revocatur. Inventi ſunt condito Luſtro Cives 130000. *Dion. l.* 5.

247 Contra *Lartem Porſenam* Cluſinorum Regem *Tarquinios* reſtituere conantem Roma defenditur ponte *Sublicio* interrupto. *Horatii Coclitis* egregium facinus; item C. Mutii Scævolæ. *Horatius Pulvillus* Coſ. *Capitolium* dedicat.

249 *Bellum Sabinum* ortum, quod toto quadriennio geſtum eſt. *Dion. l.* 6.

250 *APPIUS Claudius* vir potens in Sabinis Romam cum Clientibus ſuis ſe confert.

251 *P. Valerius* Poplicola moritur hoc anno.

253 Servi Romani de Urbe incendenda conjurantes in Crucem aguntur. *Dion.*

254 Conjuratio egenorum Civium a Tarquinio pecunia ſolicitata a Sulpicio Coſ. detegitur, & comprimitur, ſontibus in foro trucidatis. *Dion. l.* 6.

255 *Dictator Primus* Romæ creatur T. LARTIUS FLAVUS Coſ. hujus anni; idque ſeditionis in Urbe ſedandæ, & rei contra Latinos de Urbe excindenda conjurantes gerendæ cauſſa. *Dion.*

256 *Cenſu* habito a Dictatore cenſa ſunt Civium 150700. Annuæ induciæ inter Latinos, & Romanos fiunt.

257 *Aulus Poſtumius* poſtea Regillenſis dictus *Dictator* creatus ad Regillum lacum cum Latinis pugnat, Idibus Quintilibus. Latinis victis pax data, & de his triumphatum, *Dion. l.* 6. hoc factum ponit an. 256.

259 *Tarquinius Superbus* Rex exul moritur Cumis.

260 *Dictator M. Valerius* M. F. Poplicola,

Coss.

Plebs Romana Sicinio auctore *secedit in Sacrum montem*. Factum hoc post æquinoctium autumnale sub sementis initium, mansitque ibidem per totam hyemem. *Dion. l. 6.*

Coss. hoc anno maturius solito in tantis urbis tumultibus, & magna solitudine creati Kal. Septemb.

Agrippa Menenius ad plebem mittitur, quam Senatui reconciliat recitato apologo de conspiratione membrorum corporis adversus ventrem. Concordia inita post 6. menses fere a secessione, concessumque plebi, ut suum haberet Magistratum, qui sacrosanctus esset, cui auxilii latio esset adversus Coss.

TRIBUNI PLEBIS.

261 C. Martii in expugnandis *Coriolis* maxima virtus ei *Coriolani* cognomen comparavit.

Agrippa Menenius moritur in tanta paupertate, ut deesset, unde sepeliretur.

262 *Feriis Latinis* tertius dies adjectus est, cum duo tantum antea fuissent; & pax jurata inter Romanos, & Latinos sempiterna. *Dion. l. 6.*

Maxima annonæ caritas Romæ exoritur, cum agri mansissent inculti per secessionem plebis.

263 *Coriolanus* in exilium ejicitur paullo ante tempus Comitiorum.

294 *Ludi Jovis Olympii* Romæ magnifice instaurantur, quorum suasione Volsci Duce *Coriolano* Romanis bellum inferunt. *Dion. l. 7.*

265 Martius Coriolanus Volscos excitat ad bellum, eosque prædatum educit in agrum Romanum, inde Circejos oppidum deditione capit.

266 Coriolanus Romam cum exercitu infestus petens a Matre persuadetur, ut exercitum reducat. In reditu male accipitur a Volscis, & in Comitiis lapidibus obruitur. *Dion. l. 8.*

LEX AGRARIA

266 A Sp. *Cassio* Cos. nimium honoribus elato fertur, quæ numquam, ut Liv. habet, sine maximis Reipubl. motibus agitata est. Dissuadente altero Cos. *Virginio*, & toto senatu, res in sequentem annum differtur. *Dion. l. 8.*

267 *Quæstores* hoc anno primum creati a Populo, qui Coss. in militiam proficiscentes comitarentur. *Liv.* Fuerunt autem *Cæso Fabius* & *L. Valerius*. Hoc eodem anno *Sp. Cassius* affectati Regni accusatus, convictus, & damnatus de Saxo Tarpejo dejicitur. *Liv.*

268 Tribuni Plebis impediunt delectum: quare Coss. educto

ducto exercitu extra urbem delectum habent.

269 *Oppia* Virgo Vestalis stupri rea viva defoditur. *Liv.* Hanc Dionys. Opimiam, Orosius Popillam nominat. stupri convicti publice sunt verberati & necati. *Dion. l.* 8.

272 Cum *Comitia* Romæ instarent, Tribuni Plebis ea impediunt. Res ad Interregnum redit, & Respublica sine Magistratibus, & Consulibus est. Creantur tandem Coss. per Interregem circa initium Martii.

273 *Julius Trib. Plebis* vehementer urget divisionem agrorum, sed suadente *Appio Claudio* solicitati a Senatu Collegæ Julii de interceptione eum impediunt. *Dion. l.* 9.

273 Consul *Fabius* cum popularibus suis ex *Fabia Gente* Vejens bellum sibi deposcit. Fuerunt numero 306. Fabii, & Clientes, ac socios habuerunt ad 4000.

276 Pax Vejentibus victis a Fabio jussu Senatus data, eam tamen non observarunt. *Dion. l.* 9.

277 Tribuni Plebis Legem Agrariam urgent.

274 Annus tristis omnium *Fabiorum* ad Cremeram cæde. Vejentes *Janiculum* occupant, & urbem terrent. Ipsum Janiculum Montem per totam hyemem obtinent, agrumque Romanorum longe, lateque vastant, unde anno sequenti

278 Fames Romæ exorta est. *Dion. l.* 9. *Liv.* 2.

279 Triumphus Valerii Cos. de Sabinis, & Vejentibus Kalendis Maji, quæ hoc anno incidunt in 25. Novemb. *Dion. l.* 9.

279 Ingentes Turbæ Romæ hoc anno, quo Genutius Trib. Pl. consules superioris anni Manlium, & Furium, quod legem Agrariam impedissent, accusat. in delectu habendo Juniores ad nomina respondere recusant, inter quos *Valero* spoliari jussus lictores repellit, & Plebem concitat.

280 Coss. L. Pinario Mamercino, & P. Furio Medullino Fuso Varro apud Macrobium tradit, mentionem intercalationis Romanæ fieri in quadam tabula tum posita, sed modus intercalationis non simul explicatur.

Volero Trib Pleb. factus, legem fert de Magistratibus Plebejis eligendis non *Curiatis*, sed Tributis Comitiis. Lex impeditur usque in sequentem annum, & Volero Tribunus reficitur. *Dion.*

280 Lex de creandis Trib. Pleb. Comitiis Tributis urgetur; Appio Claudio Cos. resistente pugna oritur. Quintius alter Cos. persuadet Plebi, ut promulgatio differatur, quæ postea silentio perlata est.

282 *Ap-*

Coſs.

82 *Appio* dies a Tribunis Pl. dicitur; dies producitur: ipſe interim moritur.

LIBER III.

287 *Dii Fidii* Templum Romæ dedicatur a Coſ. Sp. Poſtumo nonis Junii.

289 Romæ peſtilens annus fuit, quo armenta, & pecudes perierunt, inde eadem peſtis in urbem ingruit, qua quarta pars Senatus extincta, mortuus uterque Coſ. item aliquot Augures. Cœpit circa Kalendas Septembris, hoc eſt ad Kalendarium Julianum circa initium Junii, duravitque per totum annum. Comitia autem creandorum Coſs. per Interregem habita ſunt.

290 *C. Terentius* Tribunus Pleb. abſentibus Coſs. legem ferre conatur de quinque novis legibus ſcribendis, ne Coſs. omnia ex ſua ſententia agerent.

291 Prodigia multa Romæ, ut Terræmotus, fulgetra inuſitata. Lex Terentii de Decemviris creandis, & novis legibus ſcribendis a Tribunis Pleb. ſumma vi tentata maximas inter Patres, & Plebem diſſenſiones excitat.

292 Servi *Appio Herdonio* Sabino duce occupant Capitolium, ſeu Arcem Romanam: Tuſculanorum auxiliis recipitur.

Cenſus actus, & *Decimum* ab origine urbis *luſtrum* conditum. Cenſa ſunt Civium capita 132319. *Liv.*

294 *L. Quintius Cincinnatus* ab aratro ad *Dictaturam* evocatus Æquos ſub jugum mittit.

296 Cenſorinus ex commentariis 15. Virorum Ludos ſæculares Coſs. hujus anni M. Valerio, & Sp. Virginio anno urbis 298. actos aſſerit.

Tribuni Pleb. tantum ſibi ſumunt, ut Senatum convocare ſuæ poteſtatis eſſe aſſerant, quod tamen non conceditur; extorquent tamen Senatui, ut Aventinus Mons Plebi habitandus detur, atque ita annus ædificationibus conſumtus eſt.

299 Tanta peſtis Romæ graſſatur, ut fere dimidia pars Civitatis perierit.

300 Multum frumenti Romam comportatum eſt, & peſtis deſiit. Reditus legatorum ex Græcia cum Legibus, quas deſcripſerat *Hermodarus* Epheſius, ut Pomponius Juriſconſ. refert: cui poſtea poſita fuit ſtatua in Comitio, ut habet. *Plin. l.* 34.

Inſtantibus Tribb pleb. Senatuſonſultum fit de *Decemviris* Legum ſcribendarum cauſſa creandis abſq; provocatione, qui Magiſtratum ineant Idibus Majis ſequentibus.

TER-

TERTIUS STATUS CIVITATIS sub Decemviris.

301 Anno trecentesimo altero, quam condita Roma erat, iterum *mutatur forma Civitatis* ab Coss. ad Decemviros, quemadmodum ab Regibus ante ad Coss. venerat, translato Imperio, ait *Liv. l.* 2. *pag.* 219. inierunt Magistratum idibus Maji, ut *Liv.* habet.

302 Magna contentio in *Decemviris* creandis exoritur. *Appius*, qui Comitia habebat, primum omnium se creat. Inde conjurat de retinendo sibi in perpetuum Decemviratu.

303 Cum Idus Maji advenissent, nulla Comitia habita, & Decemviri Magistratum continuarunt magna invidia populi, & Senatus.

304 *L. Virginius*, ut filiam ab Appio pro mancipio abductam a stupro defendat, sumto a laniis cultro trucidat. Plebs hisce mota in Aventinum secedit, deinde in Sacrum montem, Tribunitiam potestatem recuperat, & res ad Coss. redit.

305 Lex a Trib. pleb. lata, ne pauciores, quam decem Tribuni in Comitiis creentur. Præcedenti enim anno tantum quinque creati fuerant, reliqui vero adoptati.

306 Bellum contra Æquos decretum a Senatu, sed Junioribus ad nomina non respondentibus omittitur, & annus contentionibus Tribunitiis circumagitur.

LIBER IV.

309 *C. Canulejus* Tribunus Plebis post multas contentiones obtinet, ut Patrum, & Plebis Connubia promiscua essent. Alteram legem ferre conatus est, ut alter Cos. ex plebe fieret. De hac lege acerrime disceptatum totis annis 78. priusquam plane admitteretur. Jam obtinuit, ut tribuni militares Consulari potestate promiscue fierent, tam ex Plebe, quam ex Patribus.

QUARTUS STATUS CIVITATIS TRIBUNI MILITUM.

Consulari potestate loco Consulum.

Tribuni militares. 310 Creati hoc anno, ut habet *Liv. l.* 4. *p.* 284. *Dionys.* contra affirmat, factum id esse ineunte anno 3. *Olymp.* 84. atque hoc modo id factum esset sequenti anno: quod si ita, par Consulum amissum esset, quod non verisimile, & Roma a Gallis capta fuisset anno 2. Olymp. 98. quod pugnaret cum Dionysio. Aberratum igitur a Dionys. videtur.

Cæterum creati A. *Sempron. Atratinus*, L. *Atilius Longus*, & T. *Cloelius Siculus*, omnes Patritii abdicarunt se magi-

 stratu,

ſtratu, quod vitio creati Auguribus viderentur, tertio menſe, ſeu ut *Dion.* habet, poſt diem 33. & *Interregnum* initum, quod duravit multos dies, cum diſceptaretur, an *Comitia* Conſularia, aut Tribunorum militarium habenda eſſent. Creati tandem Coſs.

311 Pax, inquit Diodorus Siculus, hoc anno per totum Orbem terrarum.

Hoc eodem anno *Liv. l. 4. p.* 286. ponit initium Cenſuræ: alii vero anno ſequenti, quæ tamen diſſenſio ita conciliari poteſt, ut Livius ideo id afferat, quia id accidit ſub Coſs. Geganio, & Quintio, qui ſub finem hujus anni inierunt Magiſtratum. Alii vero id anno ſequenti tribuunt, quia prædicti Coſs. fere uſque ad finem anni ſequentis geſſere Magiſtratum.

Cum 17. annorum ſpatio Cenſus non eſſet actus, viſum eſt eam rem peculiari Magiſtratu egere. Creati igitur

CENSORES PRIMI,
L. PAPIRIUS MUGILLANUS
CL. SEMPRONIUS ATRATINUS,
Condiderunt Luſtrum undecimum.

Conſul Geganius de Volſcis victis, & ſub jugum miſſis triumphat nonis Septembribus.

Sp. Melius ex equeſtri ordine, fame Urbem vexante, largitiones frumenti inſtituit, & de regno conſilia agitat.

315 *L. Minutius jam Præfectus annonæ* anno ſuperiori creatus ad Senatum refert, tela congeri in Sp. Melii ædes. ob id *Dictator*

Dictus *L. Quintius Cincinnatus*, ad quem *Sp. Melius* vocatus a *C. Servilio Ahala* M. equitum, cum comparere nollet, & tumultum cieret, obtruncatur.

316 Plebs Romana cæde Sp. Melii abalienata a Patribus *Tribunos militares* conſulari poteſtate creat, qui ineunt Magiſtratum circa diem 13. Januarii.

317 Cruenta Victoria *Sergii Coſ.* de Larte Tolumnio Vejentium Rege. ob id

Dictator dicitur *Mamercus Æmilius Mamercinus*, qui Vejentibus victis triumphat Idibus Septembribus.

318 Romæ morbis laboratum eſt, crebrique Terræmotus facti.

319 Coſs. C. Julio Julo II. & L. Virginio Tricoſto, peſtilentiſſimus annus fuit; quare Romani (Fidenatibus etiam ad Portam Collinam caſtra ponentibus) in anguſtiis conſtituti per Coſs.

Dictatorem creant *Q. Servilium Priſcum*, vel *Structum*.

Cen-

Cenſores C. Furius Fuſus Paulus, & M. Geganius Macerinus locum ſibi Romæ eligunt, ſc. *Villam* publicam in *Campo Martio*, ubi *Cenſum* agere, & *Luſtrum* condere poſſint. Sed hoc Liv. attribuit anno ſuperiori, non huic.

320 Ob terrorem belli Etruſci, quod Vejentes fruſtra hoc anno ciere conati ſunt, dicitur

DICTATOR

Mamercus Æmilius Mamercinus, qui Cenſuram, quæ quinquennalis erat, ad ſexquiannum redigit, ſeu ad annum & ſemeſtrem, ut *Liv. l.* 4. *p.* 307.

321 Peſtilentia atrox Romæ aliarum rerum otium præbuit. Ædes Apollini vota, multaque facta, placandæ Deum iræ, & peſtis avertendæ a populo cauſſa.

Invitis Coſs. *Dictator* dicitur A. Poſtumius Tubertus contra Æquos, & Volſcos, de quibus triumphat.

323 Inſigni magnis rebus anno additur (ait *Liv. p.* 315. in fine cap. 15.) nihil tum ad rem Romanam pertinere viſum, quod Carthaginienſes tanti hoſtes futuri, tum primum per ſeditiones Siculorum ad partis alterius auxilium in Siciliam exercitum trajecere. Sed fallitur Livius, nam & Carthaginienſes ante quinquaginta annos in Siciliam trajecerant bello Perſico, ubi maxima clade affecti ſeptuaginta annis quieverunt, & poſt 19. annos evocati ab Ægeſtanis tandem cum claſſe in Siciliam redeunt. *Dion. Sicul. l.* 13.

326 Præter ſiccitatem anni aquæ etiam cœleſtes defuere; exaruerunt fontes. Inde *Peſtis* exorta ingens. Cum peregrina Sacra in Urbem inveherentur, Ædilibus negotium datum eſt, ut non niſi Romani Dii colerentur.

Coſſus Conſul ſecundus poſt Romulum *Spolia Opima* Jovi Feretrio retulit, & triumphavit, occiſo Larte Tolumnio Vejentium Rege. Teſtatur hoc *Liv. l.* 4. *p.* 302. & 303. ubi controverſiam de tempore hujus rei agitat.

327 Bellum contra Vejentes decernitur, & Comitia Tribunorum militarium habenda omnes tribus cenſent.

329 Ob trium Ducum contra Vejentes diſſenſiones

DICTATOR

Dicitur Mam. Æmilius Mamercinus III. qui die 16. ab accepta Dictatura triumphat, & ſe abdicat.

331 Annus hic apud Romanos ludis bello votis celebris, & apparatu, & finitimorum concurſu.

Tribunis Plebis populum concitantibus, ut tandem

Tribb.

Tribb. Mil. ex plebe creent, Senatus Comitia consularia decernit.

334 Certamen Tribunorum Plebis Consules creari prohibentium: tandem per interregem Tribb. Mili. Consulari potestate creati.

335 Paullo post aguntur Quæstorum Comitia, & omnes quatuor creantur ex Patritiis.

Conjuratio Servorum de Arce, Capitolioque occupando.

337 Re male gesta a C. Servilio contra Lavicanos, Quintus Servilius Priscus ejus Pater ab eodem filio dictus

DICTATOR

Filius contra Magister equitum a Parente, hostes egregie vincit, & 8. die Magist. abit.

341 *Postumius* Tribunus Mil. pravæ mentis homo, ob fraudatos præda milites, & crudelia supplicia tumultu excitato ab exercitu lapidibus cooperitur.

344 Romani fame afflicti ad frumentum coemendum legatos dimittuntur, qui in Italia superbe habiti, benigne tamen a Siculis adjuti.

345 Valerius Cos. Carmentanam arcem ab Æquis expugnatam recipit, ovans Urbem ingreditur.

346 In Quæstoriis Comitiis uni tantum Patritio locus relinquitur. Tribuni Plebis Comitia Tribb. Mili. ademta Coss. omni spe delectus habendi obtinent.

347 Contra Volscos, & Æquos dictus

DICTATOR

Publius Cornelius Rutilius.

348 Senatus decernit militibus simul, & equitibus stipendium magno gaudio Plebis, cum antea suis sumtibus meruissent. *Liv. l.* 4.

350 Exercitus Vejos deductus; sed nihil fere, ut etiam in
351 sequenti anno, gestum.

LIBER V.

352 Livius hoc anno Tribb. Mil. octo numerat, & inter eos

M. FURIUM CAMILLUM &

M. POSTUMIUM ALBINUM,

Qui facti sunt sequenti anno Censores, sed Plutarchus testatur, Camillum factum Censorem, antequam Tribunus fieret.

Romani Vejos perpetua obsidione cingunt, cum antea interrupta fuisset. hybernacula sibi struunt milites, ut sub pellibus hyemis tempore perdurent. Quare tumultuantes Tribb. Mili. & populum ad seditionem evocantes acerrima oratione ab Ap. Claudio perstringuntur.

Equites tum primum Romæ equis merere cœperunt.

Fa-

Falisci, & Capenates Vejentibus conjuncti castra Romana invadunt, & ex parte capiunt: in dissensione Ducum clades accipitur. Quare Tribuni Magistratu moventur, & alii creantur, qui statim Kalendis Octobrib. Magistr. accipiunt, cum alias Idus Dec. solemnes essent Magistratui ineundo.

Censores hoc anno fuerunt *M. Furius Camillus*, & *M. Postumius Regillensis*. Condiderunt Lustrum 16, *Val. Max. l. 2. c. 3. & Plut.*

354 Cum tributum grave esset Plebi, & Tribb. Pleb. maxime instarent in Comitiis Tribunorum Mil. Plebs primum ex Plebe creavit

P. LICINIUM CALVUM.

355 Livius ait P. *Licinium* primum & solum Tribunum Militum ex Plebe creatum, cæteros fuisse Patritios.

Porro cum Plebs tantam rem obtinuisset, libenter tributum in ærarium intulit. Insignis annus fuit hyeme gelida, & nivosa, quam secuta æstas pestilens.

356 Ob quam Libri Sybillini ex Senatus consulto aditi, & Duumviris creatis *Lectisternium* primum Romæ factum Apollini, Latonæque, & Dianæ, ac Herculi, Mercurioque, & Neptuno. Peregrini in hospitia deducti, & cum inimicis etiam sermones comiter habiti, & omnibus captivis vincula demta.

357 Cum biennio proximo Plebs Tribunatum Militum sola fere obtinuisset, Patritii majorem fere curam habent Comitiorum, quam belli. Clarissimos igitur Viros adornant ad Magistratum petendum, creanturque.

359 *M. Furius Camillus* Dictator dictus Vejos capit, & triumpho omnium clarissimo Urbem ingreditur.

361 Galli hoc anno Alpes transeunt. *Diod. Sic.*

362 Romæ plebs obtinet, ut Tribuni Plebis, qui ferebant legem de relinquenda Roma, & occupandis Vejis, reficerentur. Senatus contra Consules creat post 15. annos, cum interim Tribuni Militares fuissent.

363 Ludi a Camillo Vejentibus victis voti celebrantur. Item Ædes Junonis Reginæ magno studio Matronarum dedicatur.

Volsinienses novi hostes exorti agrum Romanum populantur. Romani, quod fame, & peste conflictarentur, eos ulcisci non possunt; ideo bellum differtur.

364 Romani, ne Volsinienses impune agros vastarent, tempus ineundi Magist. mutant, & Kalendas Quintiles eligunt, quibus Tribuni Magistratum inirent.

Camillus propter prædam Vejentanam damnatus, cum ab-

absolvi non posset, noluit solvere multam, sed in exilium abiit Ardeam. Clusini auxilia a Romanis contra Gallos petunt. Quare tres Fabii Legati mittuntur, qui contra jus gentium pugnant, & Ducem Gallorum occidunt. Hinc tota belli moles a Clusinis in Romanos vertitur.

365 Romæ præsentibus Gallorum legatis, qui Fabios ad cædem postulabant, Fabii apud populum tantum valuerunt, ut pro pœna honorem acciperent, & Tribuni militares crearentur cum aliis. Galli Romam invadunt, & magnam ejus partem incendio perdunt. Accidit clades circa diem 16. Julii circa Solstitium, ut Plutarch. habet. Verum Plutarchus dies apud Livium, & alios metitur ad sua tempora. Porro & Polybius, qui proxime ab his temporibus abfuit, ponit in annum 366: cladem Alliensem, quando dicit eam accidisse anno 19. post cladem Atheniensium ad Ægos Potamos, & anno 16. ante cladem Spartanorum ad Leuctra. Diodorus etiam, & Dionys. ille quidem aperte, hic autem oblique, quando cladem accidisse *Archonte Pirgione*, qui anno 365. die 16. Julii Magistratum nondum susceperat, anno vero 1366. tempore cladis adhuc perstitit. Vide Historiam apud *Liv.*

CAMILLUS absens DICTATOR creatus Gallos pugna prima in Urbe commissa vincit, altera vero extra Urbem adeo conficit, ut ne nuntius quidem cladis relinqueretur. Quare alter Romulus, & Urbis Conditor habitus est.

LIBER VI.

367 Leges 12. Tabularum, & quasdam alias a Regibus latas in publicum redigunt, & diem 17. Julii duplici clade insignem, ut & omnes Kalendas, Nonas, & Idus inter nefastos recensent; diem vero 17. Julii Alliensem nominant.

Volscis, Æquis, & Etruscis ad extinguendum nomen Romanum arma capientibus, *Camillus* Dictator dicitur, qui Volscos ad deditionem cogit 107. anno post bellum cum ipsis cœptum. Post eam Victoriam in Æquos transit, eosque similiter superat. Etruscos demum Sutrium oppugnantes vincit, & trium bellorum Victor exercitum domum reducit, & triumphat.

369 Censores hoc anno fuisse, & Lustrum 18. conditum esse apparet ex eo quod 4. Tribus ex novis Civibus Etruscis additæ sunt, Stellatina, Tramentina, Sabatina, & Narniensis.

Tribb. Mil.

370 Camillus Volscos fundit, & Sutrium recipit ab Etruscis, & incolis restituit.

371 Ob bellum Volscum, & seditionem Romæ coortam A. Cornelius Cossus *Dictator* dicitur.

372 M. Manlius de Tyrannide occupanda convictus, & damnatus de Saxo Tarpejo dejicitur.

373 Pomptinus ager per quinque viros Plebi divisus.

376 Prœnestinis Portæ Collinæ arma inferentibus T. Q. Cincinnatus Dictator dicitur.

379 C. Licinius Stolo, & L. Sextius Tribuni Plebis creantur, qui Tribunatum gesserunt toto decennio, donec impetrarent Consulem ex plebe. Deinceps per quinquennium Urbs sine Magistratibus Curulibus fuit.

385 Tandem Tusculo a Velitermis obsesso, & Tusculanis opem orantibus, Tribb. Pleb. de intercessione remittunt, & Tribb. Mil. creantur.

387 Cum ad ultimam dimicationem de legibus Tribb. Pleb. ventum esset, *Dictator* Camillus IV. dictus.

Sed quod vitio creatus esset, paullo post abdicavit, & in ejus locum *Dictator* creatus P. *Manlius Capitolinus*, qui primus *C. Licinium* hominem de Plebe Magistrum equitum dixit.

388 Tribuni Plebis C. Licinius, & L. Sextius decimum refecti tandem legem de Decemviris, sacris faciendis, creandis pertulerunt, ut quinque ex Patribus, quinque ex Plebe cooptarentur. Qua victoria contenta plebs permisit, ut iterum Tribb. Mil. Comitia haberentur.

Ob repentem famam Gallici belli M. Furius *Dictator* V. dictus de Gallis in agro Albano victis triumphat.

Post ingentia certamina, tandem *Dictator* senatusque victus rogationes Tribunitias accipiunt, & concessum a nobilitate Plebi de Consule Plebejo: a Plebe nobilitati de Prætore uno, qui Jus in Urbe diceret. Ita in concordiam redactis ordinibus, Senatus censuit Ludos Maximos fieri, & diem unum ad triduum adjiciendum. Cum vero id munus Ædiles Plebis recusarent, Juvenes Patritii suam operam offerunt, si Ædiles fierent, atque ita duo Ædiles etiam ex Patribus creati sunt.

LIBER VII.

390 Pestilentia laboratum est Romæ, mortuus Censor Ædilis Curulis, 3. Tribb. Plebis, & *M. Furius Camillus*, vir Princeps in omni fortuna, & pace, & bello, secundus a Romulo *Conditor Urbis* appellatus.

391 Et hoc anno Pestilentia fuit; quare pacis Deum exposcendæ

ſcendæ cauſſa *tertio* tum poſt conditam Urbem *Lectiſternium* fuit, & *Ludi Scenici* primum inſtituti.

392 Cum Peſtis jam triennium ſæviſſet, nec remitteret, *Dictator* dictus L. Manlius Imperioſus, aliis Capitolinus, qui *Clavum* figeret. Lex enim vetuſta, priſciſque literis & verbis ſcripta, ut qui Prætor maximus ſit Idibus Septembribus *Clavum* figat. Hujuſmodi clavi in Templis fixi indices olim fuerunt numeri annorum, cum raræ eſſent literæ, ut tot annos præteritos putarent, quot Clavi in Templo Minervæ fixi eſſent.

393 *M. Curtius* in voraginem equo inſidens ſe immittit. Ap. Claudius Dictator de Hernicis triumphat.

394 Titus Quintius Pennus Dictator hoc anno fuit. T. Manlii Torquati inſignis de Gallo victoria.

Cum Bellum Gallicum inſtaret, *Dictator* dicitur Q. Servilius Ahala, qui hoſtibus victis triumphat.

395 Brutiorum Reſp. ex multitudine promiſcuorum hominum, & præcipue fugitivorum hoc anno inſtituitur. *Diod. Sic. l.* 16.

396 C. Sulpitii Dictatoris inſignis victoria de Gallis.

397 Cenſores hoc anno condiderunt Luſtrum 21. & Tribubus reliquis addiderunt Pomptinam, & Publiliam.

Lex de *Ambitu* primum lata à C. Pætelio Tribuno Pleb. auctore Senatu.

Lex item de Unciario fœnore a Tribb. Pleb. fertur hoc anno. Eſt autem unciarium fœnus, quando annuo ſpatio ſortis uncia, ſive duodecima pars ſolvitur.

Contra Etruſcos communi conſenſu bellum inferentes, *Dictator* dicitur C. *Martius Rutilius primus de Plebe*, qui & Plebejum Magiſtrum Equitum invitis Patribus ſumit, & ſine auctoritate Patrum juſſu Populi triumphat, *quadringenteſimo anno*, quam Urbs Romana condita erat, *quinto*, & *triceſimo*, quam a Gallis recepta: ablato poſt *undecimum annum* a Plebe Conſulatu, *Patritii Coſs. ambo* ex Interregno Magiſtratum iniere.

402 T. Manlius Torquatus *Dictator* contra Cærites, & Etruſcos dictus. in hujus Magiſtratu magnis certaminibus Comitia peracta, tentante Dictatore ambos Coſs. Patricios creare. Dilata igitur Comitia, donec Dictator Magiſtratu abiret. Inde concordiæ cauſſa Senatus jubet obſervari *Legem Liciniam*, & Coſ. Plebejum creari.

403 C. Julius, aliis Q. Julius Julus, Dictator contra Etruſcos dictus fruſtra tentat, ut ambo Patritii Coſs. creentur.

404

Coss. Prætor, Ædiles duo Patritii.

404 *C. Martius Rutilius* primus de Plebe Censor creatus. *M. Fabius* Ambustus Dictator dictus comitiorum caussa, qui caveret, ne ex Plebe Cos. aliquis crearetur.

405 Ægris Coss. *L. Furius Camillus* comitiorum caussa *Dictator* dicitur.

407 *M. Valerius*, Livio Poplicola (postea Corvus) ex provocatione cum Gallo pugnat, & auxilio Corvi vincit.

Dictator Comitiorum caussa *T. Manlius Torquatus*, qui Comitiis habitis æmulum decoris sui absentem M. Valerium Corvum adolescentem an. 23. natum Cos. creat. Hunc fuisse ex Poplicolarum familia Livius arbitratur, sed ex Maximorum familia Fasti Capi-

409 tolini ostendunt, & alii Satricum hoc anno dirutum.

410 *L. Furius Dictator* contra Auruncos ædem Junoni Monetæ vovet.

411 *P. Valerius* Poplicola Dictator Feriarum Latinarum caussa.

412 Belli Samnitici initium. *Ejus caussam vide apud Livium l. 7. c. 6.*

Carthaginienses audita Victoria Romanorum de Samnitibus, Romanis gratulantur, coronamque auream 25. pondo victoriæ caussa offerunt.

413 *L. Valerius Corvus Dictator* adversus seditiosos milites dictus, eis persuadet, ut arma deponant, & in militiam redeant.

LIBER VIII.

414 Fœdus cum Samnitibus ictum hoc anno.

415 Alexander Epiri Rex in Italiam classem appellit.

Bellum contra Latinos, in quo Manlius Cos. filium suum, quod extra ordinem non consultis Coss. pugnasset, securi percussit. Hinc Manliana Imperia: Eodem bello Decius Cos. se pro exercitu devovit.

Antiatibus Volscis bellum renovantibus ægrotante Cos. Dictator dicitur *L. Papirius Crassus*

416 Æmilius Cos. ob negatum triumphum, Senatum criminatur de maligne divisis agris, & Collegam *Q. Publilium Philonem* Dictatorem dicit, qui secundissimas plebi leges tulit, ut *Plebiscita* omnes Quirites tenerent, alteram ut alter utique *Censor* ex plebe crearetur.

417 Furius Camillus Cos. Latio omni subacto, ad Senatum refert, quid de Latinis victis amplius agendum sit. Senatus decernit, ut alii in Civitatem Romanam recipiantur, alii urbibus suis ejiciantur, alii tandem agro multentur.

Antiati populo interdictum mari est, navibusque eorum

rum

rum Romam ſubductis, earum Roſtris ſuggeſtum extructum, & exornatum, idque Templum poſte *Roſtra* appellatum.

418 C. Claudius Regillenſis Dictator contra Sidicinos dictus, quod vitio creatus eſſet, abdicat, & bellum differtur.

419 Annus novo magis, quam magno Auſonum bello inſignis.

420 *M. Valerius Corvus* Coſ. Maximus ea tempeſtate Imperator Auſones, Calibus eorum oppido capto vincit, & ex S. C. triumphat.

421 Coſs. contra Sidicinos exercitum ducentibus Dictator Comitiorum cauſſa dicitur L. *Æmilius Mamercus*.

Ob famam belli Samnitici Dictator creatur P. *Cornelius* Rufinus, qui deinde, quod vitio creatus videretur, Magiſtratu ſe abdicavit, & quia Peſtilentia inſecuta eſt, tamquam omnibus eo vitio contactis auſpiciis res ad interregnum rediit.

423 M. Papirius Craſſus Dictator dicitur ob famam Gallici belli.

Alexander Epiri Rex amicitiam cum Romanis init: eodem anno Luſtrum 24. a Cenſoribus conditum, & propter novos Cives duæ Tribus *Metia*, & *Scaptia* veteribus 27. additæ ſunt.

424 Fœdus annus, vel intemperie Cœli, vel humana fraude, quo Romæ de Veneficiis primum quæſitum. Matronæ (Camilla quadam indice) primum 20. inde 170. comprehenſæ, & priores quidem ſua fraude interierunt, reliquæ capitis damnatæ ſunt. Quæ veneficia cum prodigii loco haberentur, Dictator *clavi* figendi cauſſa dictus Cn. *Quintilius Varus*.

425 Carceres in Circo primum ſtatuti.

426 Coſs. de Privernatibus triumphant.

428 Utroque Coſ. bello impedito, altero contra Palepolitanos, altero contra Samnites, Dictator Comitiorum cauſſa dictus M. *Claudius Marcellus*, qui quod Plebejus eſſet, ab Auguribus pronunciatur vitio factus: Tribunis id ægre ferentibus Comitia impedita fuerunt uſque ad 14. interregem per tres fere menſes.

429 Lectiſternium Romæ quinto fit ab Urbe condita.

430 L. *Papirius Curſor* Dictator dictus belli Samnitici gerendi cauſſa, cum L. *Furius Camillus* Coſ. ægrotaret, de Samnitibus triumphavit.

432 *Aulus Cornelius Amina*, aliis *Coſſus*, Dictator contra Samnites dictus, iis victis, triumphavit. Dubium tamen eſt, an per Coſs. bellum geſtum ſit, an

vero

vero per Dictatorem. Tabulæ Capitolinæ adſcribunt Coſs. triumphum. Unde patet Dictatorem tantum creatum, ut eſſet, qui ægro Prætore in ludis Romanis ſignum mittendis quadrigis daret.

LIBER IX.

433 Caudina pax nobilis Rom. clade T. Veturio Calvino Sp. Poſtumio Coſs. facta eſt.

Q. Fabius Ambuſtus Dictator eſt dictus comitiorum cauſſa, ſed huic vitio creato ſubrogatus M. Æmilius Papus, & tamen Comitia habita non ſunt: quare creati ſunt Interreges Q. Fabius Maximus, & M. Valerius Corvus.

434 Aulus Ceretanus Conſul cum Ferentanis hoſtibus uno prælio debellat, obſidibuſque imperatis in deditionem eos accipit. Alter vero Papirius Curſor Satricum proditione accipit, & præſidium Samnitium intercipit.

436 Samnites ultimis precibus a Pop. Rom. fœdus renovari contendunt, ſed id non obtinent.

437 Apuli Romam veniunt fœdus petentes, impetrantque, non tamen ex æquo; ſed ut in ditione eſſent Populi Rom.

438 Dictator L. Æmilius Satriculam oppugnat: Samnites ne Urbem hanc amittant, cum exercitu adveniunt, ſed Dictator tuto loco habens caſtra, & obſeſſos erumpentes, & Samnites vincit.

439 Ad Satriculam caſtra habet Dictator Q. Fabius: ibi Samnites magno exercitu adveniunt commeatum prohibituri: Magiſter equitum miſſus hoſtes adoritur, & Monomachia cum duce hoſtium congreditur, ſed & ipſe, & Dux hoſtium cadit.

440 Conſules M. Pætelius, & C. Sulpicius per proditionem Soram capiunt. Defectionis auctores 22. capti, & Romam miſſi, ubi & virgis cæſi, & ſecuri percuſſi ſunt.

C. Pætelius Dictator exercitu accepto, cum arx Fregellana a Samnitibus capta eſſet, eo contendit, arcem recipit, & validum præſidium imponit.

442 Dictator dictus eſt C. Sulpitius Longus contra Etruſcos, cujus belli initia exorta erant.

443 Tribuni Militum in Legiones ſuffragio Populi fiunt, cum antea beneficio Ducum fierent.

444 Q. Fabius Maximus Coſ. Etruſcorum ad ſexaginta millia interficit.

445 P. Decius alter Coſ. Tarquinienſes ſubigit, alter vero Q. Fabius Max. Samnites.

Cofs.

446 Appio Claudio, qui arte Civili excellebat, ad Urbem manente, L. Volumnius Cos. Salentinos hostes sibi debellandos sumsit.

447 Hoc anno Romani cum Carthaginiensibus fœdus tertium renovarunt, legatisque ampla munera dederunt.

448 Dictator P. Cornelius Scipio Cofs. hujus anni creat L. Postumium, & T. Minucium, cum ambo Cofs. adhuc contra Samnites in expeditione essent.

449 Q. Fabius Maximus Censor hujus anni omnem forensem turbam excretam in quatuor Tribus conjecit, & Urbanas appellavit, propter quod cognomen Maximi reportavit.

Hic incipit juventa Imp.

LIBER X.

450 Coloniæ Soram, & Albam deductæ sunt, & Arpinatibus ac Trepulanis Civitas data est.

451 Propter terrorem Æquorum bellum redintegrantium, Dictator Romæ creatur C. Junius Bubulcus, qui Æquos domuit, & Romam rediens triumphavit, & se octavo die Imperii dictatura abdicavit.

452 Certamen Romæ ortum est inter primores Civitatis Patritios & Plebejos de numero Pontificum, & Augurum augendo, cum quatuor Pontifices, & quinque Augures essent eligendi, & reliquis addendi, ut 8. Pontifices, & 9. Augures omnino fierent. Eos de Plebe assumendos proponunt Tribuni Plebis, dissuadet id Appius, suadet contra idem P. Decius, & persuadet.

453 Censores hujus anni P. Sempronius Sophus, & P. Sulpitius Averri Lustrum 29. condiderunt. Tribus reliquis duæ additæ, Anniensis, & Tarentina.

454 L. Cornelius Scipio alter Cos. in Etruria cum hostibus pugnat per totum diem magna utriusque partis clade, alter Cn. Fulvius Maximus Samnites ad Bovianum vincit memorabili clade.

455 Ambo Cofs. Q. Fabius Maximus, & P. Decius in Samnium proficiscuntur, & Fabius Samnites asperrime pugna vincit, Decius vero Apulos primum vincit, deinde in Samnium proficiscitur.

456 L. Volumnius, & Ap. Claudius Cofs. in Samnio bellum gerere jubentur, prorogato in 6. menses imperio.

457 Proconsules in Samnio nullo obstante præsidio Murgantiam Romuleam, & Ferentinum magnas urbes expugnant.

458 Prodigiorum caussa supplicatio in biduum a Senatu decernitur. Inter ipsam supplicationem certamen oritur

inter

oss.
inter feminas Patritias, & Plebejas, & cum Plebejæ non admitterentur ad aram Pudicitiæ, Virginia Volumnii Cos. uxor Sacellum ad aram Pudicitiæ Plebejæ dedicat.

459 Jovis Statoris sedem & a Romulo, & ab Attilio Cos. in difficillimo prælio votam Senatus ædificandam locat.

460 Cum annus pestilens esset, ex Sybillinis libris relatum est, Æsculapium in ejus mali remedium ex Epidauro Romam accersendum.

LIBER XI.

461 Romani 10. legatos ad accersendum ex Epidauro Æsculapium mittunt, qui dum consilia agitarent de eo Romam transferendo, anguis, e simulachro elapsus, ad navem Rom. perrexit, seque ibi composuit, inde Romam advectus est, qui in Insulam in Tiberi prope Romam desilivit, & in eodem loco postea Æsculapio Templum constitutum est.

462 Coloniæ deductæ sunt Castrum Læna, Adria.

463 Mercenarii milites apud Syracusanos acceptis stipendiis dimittuntur; qui ad Messanos progressi, amice suscipiuntur, sed illi omnes trucidant, & urbem Messanam Mamertinam appellant. *Dio.*

464 Triumviri Capitales Romæ primum circa hunc annum videntur constituti.

Dictatorem habuit hic annus rei gerendæ caussa App. Claudium cæcum, sed quid caussæ, & quod bellum fuerit, nullibi exprimitur. Tab. cap.

466 Plebs Rom. propter æs alienum post graves, & longas seditiones ad ultimum secessit in Janiculum. Senatus seditionis sedandæ caussa Dictatorem creat Q. Hortensium, qui plebem inde deducit, & Senatui reconciliat, qui tamen in Magistratu moritur.

467 Romæ contra Vultinienses egregie res gestæ sunt, ut & contra Lucanos.

LIBER XII.

468 Legati Rom. a Gallis Senonibus interficiuntur, quare bellum eis indicitur, in quo L. Cæcilius cum legionibus cæsus est.

469 Post devictos Senones Gallos, Senogallia urbs Colonia Rom. facta est.

470 Fabricius Cos. contra Gallos, Samnites, Lucanos, Brutiosque missus, qui Thurios obsidione cinxerant, hostes magnis præliis superat.

471 Q. Martius Cos. triumphat de devictis Etruscis. Tab. c.

472 Pyrrhus Epirotarum Rex in Italiam venit, opem Tarentinis laturus.

LIBER XIII.

473 Valerius Lævinus Cos. adversus Pyrrhum parum prospere pugnat.
Fabricius legatus ad Pyrrhum mittitur pro redimendis captivis, cujus virtutem Pyrrhus admiratus omnes captivos Romanos donat.

474 Cum C. Fabricio Cos. quidam e Pyrrhi exercitu attulisset epistolam, a medico Pyrrhi missam, in qua, si sibi honos haberetur, promittebat, se Pyrrhum veneno necaturum, epistolam, & nuntium Pyrrho remittit Fabricius, & monet, ut sibi ab hujusmodi insidiis caveat.

475 Cajus Junius Brutus Lucanis, & Brutiis oppositus, eos vincit, ideo quoniam insignis victoria fuerat, de iis triumphat in autumno.

LIBER XIV.

476 Pestilentia horribilis Romam invasit; adeo ut mulieres pecudesque omnes abortum facerent, periculumque esset, ne genus humanum cum animalibus plane interiret.

477 Cum Curius Cos. videret sibi cum Pyrrho pugnandum, ea severitate delectum habet, ut militis, qui ad nomen non responderat, bona venderet.

478 Cum Pyrrhus non haberet, unde exercitum aleret, in Macedoniam prædæ caussa proficiscitur, ubi aliquot urbes cepit.

479 Sextilia Virgo Vestalis damnata incesti viva defoditur.

480 Tarentini morte Pyrrhi audita nova arma contra Rom. excitant, & auxilia a Carthaginiensibus accipiunt: quare fœdus cum Romanis violatum est.

V. C.

LIBER XV.

481 Legio militum ante 8. annos Rheginis in præsidium missa, occisis civibus Rhegium occupat. Id facinus Romani bellis impliciti hucusque tolerarant. Hoc vero anno L. Genutio Cos. obsidentur, expugnantur, & quotquot comprehendi potuerunt, virgis cæduntur, & securi percutiuntur.

482 In Isthmo Peloponnesi, cum ibi semper ignes erupissent, tandem Thermæ, sive calidæ aquæ eruperunt.

483 Apolloniatium legati Romæ a quibusdam juvenibus ludibrio habentur, & pulsantur, qui propter hoc facinus jussu populi Apolloniatibus deduntur.

484 Picentes in deditionem veniunt, hominum numerus trecenta, & sexaginta millia.

485 Sallentinis in Apulia bellum a Romanis indicitur, eoque

que ambo Coss. mittuntur, & Sallentini vincuntur, Brundusinique una cum Civitate capiuntur.

486 Quæstorum numerus auctus, ut essent 8.

LIBER XVI.

487 Dictatorem hic annus habuit Cn. Fabium Centumalum clavi figendi caussa.

488 Coss. Agrigentum cum universo exercitu invadunt, & Carthaginienses mœnibus includunt, qui tamen erumpentes multos Romanos occidunt. *Dio.*

489 Coss. cum in Siciliam venissent, nihil memorabile gesserunt, sed tantum milites, & socios navales exercuerunt in re nautica. *Polyb.*

LIBER XVII.

490 Cn. Cornelius Cos. cum in portu Liparæorum esset cum 17. navibus, ab Hannibale Seniore evocatus tanquam in colloquium, per fraudem capitur.

491 L. Cornelius Cos. in Sardinia contra Sardos, & Corsos, & Amnonem Pœnorum ducem feliciter pugnavit.

492 Atilius Calatinus Cos. cum in locum iniquum a Pœnis circumsessum temere duxisset exercitum, M. Calpurnii virtute evasit.

493 C. Atilius Regulus Cos. triumphum navalem agit.

LIBER XVIII.

Atilius Regulus Cos. in Africa serpentem portentosæ magnitudinis cum maxima militum clade occidit.

494 Regulus in Africa tres duces Carthaginiensium vincit.

495 Cum successor Regulo non mitteretur, conqueritur de hac re apud Senatum.

496 Carthaginienses magna clade Rom. afficiunt, & eos terra marique persequuntur.

497 C. Sempronius Blæsus Cos. de Pœnis triumphat.

498 T. Coruncanius primus de plebe Pontifex Maximus factus est.

499 L. Ædilius Metellus, & C. Furius Pacilus in Siciliam proficiscuntur cum 60. navibus ad commeatum afferendum.

500 Regulus missus a Carthaginiensibus ad Senatum, ut de pace, & si eam impetrare non posset, de captivis commutandis ageret, & jurejurando astrictus se rediturum, si commutari captivos non placuisset; utrumque negandi auctor Senatui fuit; & cum fide custodita reversus esset, supplicio a Carthaginiensibus de eo sumto periit.

LIBER XIX.

501 Claudius Pulcher Cos. qui contra auspicia profectus jussit

 im-

Coss.

immergi pullos, qui cibari nolebant, infeliciter adversus Carthaginienses pugnavit.

502 Coloniæ deductæ sunt Fregellæ, in agro Sallentino Brundusium.

503 Lustrum conditum, quo censa sunt civium capita 251222.

504 Claudia soror P. Claudii, qui contemtis auspiciis, male pugnaverat, revertens a ludis cum turba premeretur, dixit: utinam frater meus viveret, iterumque classem duceret: ob eam caussam a Senatu multata est.

505 M. Fabio Buteone Consule populus Romanus classem hostium in Africo mari cecidit: sed ingens iterum clades mari accepta tempestate oriente. *Flor.*

506 Brundusium Colonia deducta. *Vell.*

507 Coss. C. Fundanius, & C. Sulpicius.

508 Cæcilius Metellus Pontifex Max. A. Postumium Cos. quoniam idem flamen Martialis erat, cum ille ad bellum proficisci vellet, in Urbe tenuit, nec passus est a sacris recedere.

509 Bini triumphi navales ducti: prior triumphavit C. Lutatius proconsul de Pœnis, postea Q. Valerius Falto de iisdem.

LIBER XX.

510 Coss. C. Claudio, & M. Sempronio, Livius tragædiarum scriptor primam fabulam exhibuit.

511 Valentia Colonia deducta est. *Vell.*

512 Romani a mercenariis, qui ex Sardinja ejecti fuerant, invitati Sardiniam occupant, Carthaginienses contra contendnnt: ob id bellum oritur; sed Carthaginienses Rom. cædunt. *Polyb.*

513. Bellum Liguribus indictum a Rom. est, hocque duravit annos 80.

514 Carthaginienses, cum ipsi per se quiescere non possent, Sardos impellunt, ut Romanis rebellent, *Oros.*

515 Sardi a Consule T. Manlio vincuntur.

516 Ambo Coss. L. Postumius, & Sp. Carvilius adversus hostes mittuntur, Postumius contra Ligures, Carvilius contra Sardos, qui victores existunt, & triumphant.

517 Tuccia Virgo Vestalis incesti damnata est. *Flor.*

518 C. Flaminius Tribunus plebis legem invitis Patribus fert, ut ea regio, quæ Picenum vocatur, unde Senones Galli pellebantur, Romanis militibus dividatur, quæ caussa fuit, ut bellum Gallicum exoriretur.

519 Censores T. Manlius Torquatus, & Q. Fulvius Flaccus vitio facti se abdicant.

520 Sp. Carvilius Ruga conquestus de uxoris sterilitate, cum ju-

jurasset, se liberorum caussa uxorem habere, Romæ divortium fecit.

521 Bellum Illyricum gestum, & perfectum est.

522 Teuta Regno pulsa legationem Romam mittit, pacemque petit, quam obtinet, hac tamen conditione, ut quotannis Rom. tributum persolvat, omni Illyrico excedat. *Polyb.*

523 Fœdus cum Asdrubale renovatum est, addita tamen hac conditione, ne liceret Carthaginiensibus Iberum fluvium cum armis trajicere, & ut Saguntini liberi essent. *Polyb.*

524 Romani Gallum virum, & feminam ex Gallia cum muliere simul Græca in foro Boario vivos defodiunt. *Oros.*

525 Romani Gallos vincunt, & eorum quatuor millia occidunt, capiuntque decem millia. *Polyb.*

526 Ambo Coss. T. Manlius, & Q. Fulvius in Bojos movent, qui statim se dedunt. *Pol.*

527 Ambo Coss. C. Flaminius, & P. Furius trans Padum in Galliam profecti, omnia longe, lateque vastant, ubi Flaminio Gallorum exercitus occurrit, quem vincit ingenti captivorum multitudine. *Polyb.*

528 M. Claudius Marcellus, occiso Insubrium Gallorum duce Virdumaro, opima spolia retulit.

529 Bellum Istrium motum, quod Istri Romanorum naves frumento onustas intercepissent, subacti autem sunt, etsi victoria haud incruenta, triumphavitque de his Scipio.

530 Romæ cum deprehenderetur, Coss. L. Veturium, & C. Lutatium non auspicato creatos, abdicare coguntur, & alii creantur, scil. M. Æmilius Lepidus, & M. Valerius Lævinus.

531 Binæ Coloniæ Latinæ sex millium deductæ Placentia, & Cremona. *Vell.*

LIBER XXI.

532 Hannibal in Hispania Saguntinis bellum movet, eosque 8. mensibus obsidet, & tandem capit, & urbem exscindit. Rom. audito excidio Sagunti legatos Carthaginem mittunt, qui aut Hannibalem dedendum Rom. juberent, aut bellum ipsis indicerent; cumque Carthaginienses de jure fœderis disceptarent, bellum ipsis indicitur.

533 Cum multa prodigia Romæ hoc anno nuntiarentur, libros adire Decemviri jussi sunt. Itaque urbs lustrata est, & Lectisternium Cere: item Romæ Lectisternium Juventæ imperatum, & alia ad procuranda prodigia.

C. Flaminius Cos. ad Trasymenum cum 15. mil. Rom. occiditur: huic subrogatur M. Atilius Regulus, & ut bellum rectius geratur, Dictator creatur Q. Fabius Maximus, qui cum tuta consilia callidis præponeret, Minutium Magistrum Equitum Dictatori æquat Senatus Rom. Sed Minutius paullo post ab Hannibale victus, & a Fabio servatus sub Imperio Fabii rediit.

534 Romani ad Cannas temeritate Cos. Terentii Varronis omnium maxima clade afficiuntur. Consul quoque Æmilius cum 40. mil. Rom. cum Senatoribus, viris Consularibus, Prætoriis, & Ædilitiis octoginta, & duobus millibus, ac septingentis equitum occumbit.

LIBER XXIII.

Post pugnam Cannensem Cossam urbem in Samnio deditione capit, sed Neapolim profectus repellitur. Quare Capuam petit, quæ ad Hannibalem defecit; inde Nuceriam deditione capit; ad Nolam vero, ubi Marcellus erat, post Cannensem pugnam aperto Marte vincitur, inde Acerras diripit, & incendit, & Casilinum obsidione cingit, quod postea se dedit, magnamque exercitus partem Capuam in hyberna dimittit.

535 Prodigia multa nuntiantur, propter quæ procuranda Novendiale Sacrum fit.

LIBER XXIV.

536 Hannibal ad Nolam a Marcello vincitur, a quo postea Casilinum recipitur. Coss. autem Q. Fabio, & M. Claudio Marcello Classis a privatis Civibus Romæ parata est, & in Siciliam missa, cum Senatores singuli darent 8. nautas cum annuo stipendio, reliqui Cives pro suis facultatibus pauciores.

537 Ludi Scenici per quatriduum hoc anno Romæ primum facti.

LIBER XXV.

538 Vaticinium invenitur de Clade Cannensi antiquum, cui annexa fuit ratio ludorum, ut alienigenæ Italia pellantur: quapropter hoc anno Ludi Apollinares primum facti. Syracusæ a Marcello capiuntur, in ipsaque direptione Archimedes Mathematicus a milite cæsus periit, quem Marcellus sepeliri curavit.

P. & Cn. Sciniones in Hispania in locis diversis ambo 30. dierum spatio a Pœnis trucidantur.

LIBER XXVI.

539 Hannibal obsidionem Capuæ soluturus improviso Romana

mana castra aggreditur, & Campani simul eruptione pugnant; sed Rom. ab utraque parte se acerrime defendunt, & prælio repellitur Hannibal: quare Romam cum exercitu pergit, ubi cum evasio prælii nulla esset; tandem contemtus in Brutios redit: Capua deditur, Senatus securi percutitur.

LIBER XXVII.

540 Salapia Urbs prodito præsidio equitum Rom. deditur.

541 Censores creantur M. Cornelius Cethegus, P. Sempronius Tuditanus, qui lustrum fecerunt quadragesimum quartum: in Principe Senatus legendo controvertitur inter Censores, cum hactenus Princeps Senatus lectus fuisset, qui primus Censor fuisset, ex his, qui viverent. Sed Sempronius se vel Judice Hannibale principem Senatus lecturum Q. Fabium Maximum asseruit, quod factum est. Hic porro, dum Hannibal in Brutiis esset, Tarentum aggreditur, quod proditione capit cum ingenti præda.

542 Ludi Apollinares, cum pestis ingravesceret, cum hactenus indici solerent, Senatus Consulto in statum diem moventur, ut fierent quotannis die 3. Nonarum Quintilium.

543 Junoni Reginæ in Aventino festum institutum, in quo 7. & 20. virgines longam indutæ vestem, & carmen in Junonem Reginam ab Livio Poeta factum per urbem canentes, in Aventinum perrexerunt, ubi duæ boves feminæ albæ in sacrificio oblatæ, & pelvis aurea eidem dicata est.

Coss. de Pœnis, & Asdrubale victo triumphant, & M. Livius alter Cos. Dictator dicitur Comitiorum caussa.

LIBER XXVIII.

544 Lucani omnes in ditionem pop. Rom. redeunt.

Prodigia multa nuntiantur, quæ procurare Coss. jubentur, sed plus omnibus terret Romanorum animos ignis in Æde Vestæ extinctus, ob quam caussam cæsa flagris est Vestalis jussu P. Licinii Pontificis, cujus custodia noctis ejus fuerat.

LIBER XXIX.

545 In libris Sybillinis inventum, Matrem Deûm ex Asia Romam advehendam, si alienigenam ex Italia hostem pellere velint.

546 Mater Deûm a Legatis Rom. defertur ex Asia, cui excipiendæ eligitur vir optimus Romæ P. Cornelius Scipio Nasica, adolescens adhuc, filius Cn. qui in Hispania ceciderat: ejus ludi Megalesia dicta fuerunt.

LIBER XXX.

547 Carthaginienses & Syphax prælio a Rom. funduntur, & Syphax capitur. Cladibus ergo fracti Carthaginienses legatos de pace ad Scipionem, & Romam mittunt.

548 Hannibal a Carthaginiensibus ex Italia ad defendendam Africam revocatur, qui frendens, gemensque Italiam reliquit.

549 Legati Carthaginiensium Romæ audiuntur, cumque satis demisse agerent, impetrant pacem.

LIBER XXXI.

50 Cos. P. Sulpitius Galba cum in Græciam venisset, nam hoc anno initum est bellum a Rom. cum Rege Philippo, Atheniensibus auxilia mittit duce Claudio, qui Chalcidem ex improviso capit, spoliat, & incendit.

LIBER XXXII.

551 Complura prodigia ex diversis locis nuntiantur, quæ procurare Cos. jubetur.

552 C. Quintius Flaminius Cos. una cum exercitu a quodam pastore a Charopo Epirotarum Principe misso per angustum callem ad castra Philippi perducitur, qui Regem e castris ejicit, & fugat.

553 Philippus de eventu belli solicitus colloquium T. Quintii, cui prorogatum fuerat imperium, petit, & tribus diebus de conditionibus pacis disputatur: impetrat tandem, ut eædem conditiones Senatui Rom. proponantur, sed nihil efficitur, nisi tota Græcia excedere velit.

LIBER XXXIII.

554 Romæ primum Triumviri Epulones facti sunt hoc anno, quorum postea 7. facti sunt temporibus Sullæ.

LIBER XXXIV.

555 Oppius Trib. Pleb. legem tulerat paullo post cladem Cannensem, ne qua mulier plus semuncia auri haberet, ne vestimento versicolore uteretur, & ne vehiculo in Urbe veheretur, nisi sacrorum caussa. Hanc abrogare cupiunt Tribb. Plebis, cum res Romanæ crescerent una cum facultatibus. M. Porcius Cato Cos. dissuadet abrogationem luculenta oratione, sed obtinent Tribb. Pleb., & eam legem abrogant.

556 Ver sacrum, quod priori anno factum erat, non recte factum esse a Pontificibus decernitur, ideo de integro factum hoc anno.

557 Hoc anno Senatus a pop. secretus ludos Rom. spectavit, quod tamen multi improbarunt.

558 Ingens terræmotus Romæ duravit integros dies 38. & adeoque frequentes nuntiati ſunt, ut indictarum feriarum homines tæderet, & nec Senatus haberi, nec Reſp. adminiſtrari poſſet: quare ex reſponſo librorum ſupplicatio fuit.

Ligures bellum pop. Rom. movent, Lunenſem agrum, & Piſanum, & Placentinum depopulantur. Quare Q. Minucius Coſ. cum exercitu eo proficiſcitur, & Piſarum obſidionem ſolvit.

LIBER XXXV.

C. Cornelius Cethegus luſtrum condidit, cenſa ſunt Civium capita centum quadraginta tria millia ſeptingenta quatuor.

LIBER XXXVI.

559 Hoc anno primum ludi Scenici exhibiti in Megalenſibus.

LIBER XXXVII.

560 Acilius Glabrio proconſul ineunte vere Lamiam Urbem Ætolorum capit, inde Amphiſſam aggreditur, & operibus oppugnat.

561 C. Manlius Coſ. Aſiam ſortitus, cum pacem feciſſet cum Antiocho, Gallos in Aſia hoſtes vincit, & caſtris exuit.

LIBER XXXVIII.

562 Supplicatio in triduum imperata fuit, quod luce inter horam tertiam ferme & quartam tenebræ obortæ eſſent; & novendiale Sacrificium indictum, quod in Aventino lapidibus pluiſſet.

Cenſores T. Quintius Flaminius, & M. Claudius Marcellus luſtrum condiderunt 48. cenſa ſunt civium Capita 258328.

563 P. Scipio Africanus Petiliis Tribb. Plebis, auctore, ut fama erat, Catone accuſatur. is cum majori fortunæ aſſuetus eſſet, quam ut ſciret ſe reum eſſe, cum dies judicii adveniſſet, in roſtra aſcendit, & totam inde concionem ſecum abduxit ad ſalutandos Deos, & poſtea in voluntarium exilium Linternum conceſſit, nec poſtea Romam rediit.

LIBER XXXIX.

564 Coſs. Spu. Poſtumio Albino, & Q. Martio Philippo Bacchanalia, quæ ex Etruria propagata Romam devenerant, quibus omnium ætatum viri, & feminæ turpiſſime corrumpebantur, & ad omne ſcelus inſtituebantur, deteguntur, & S. C. abrogantur; atque flagitiorum participes puniuntur.

565 In Hiſpania Prætores clade afficiuntur, ſed reparato exercitu

Poss.

xercitu egregie rem gerunt, ad 30. mil. hostium occidunt, & castris eorum potiuntur.

566 Censor inter multos competitores creatur hoc anno M. Porcius Cato, qui Collegam sortitur L. Valerium Flaccum.

567 Coloniæ deductæ hoc anno Aquileja, Mutina, & Parma.

LIBER XL.

568 Complura prodigia nuntiata sunt, ob quæ 20. hostiis majoribus sacrificatum est, & diem unum supplicatio fuit.

569 Pestilentia Romæ laboratum adeo, ut milites in Sardiniam scribi non possent, & Libitina sepeliendis mortuis vix sufficeret.

570 Pestilentia jam tertium annum & Urbem Romam, & Italiam vastabat, itaque libri Sibyllini inspecti, & supplicationes institutæ.

571 Hiems hoc an. adeo sæva & frigore, & omni tempestatum genere fuit, ut arbores, quæ obnoxiæ frigori sunt, cunctas deureret, & multa ædificia dejiceret.

LIBER XLI.

572 Incendio circa forum Romæ facto cum plurima essent cremata, ædes Veneris sine ullo vestigio plane cremata est, & Vestæ ignis extinctus: ob quod Virgo, cujus custodia fuerat, flagro cæsa est jussu M. Æmilii Pont. Maximi.

573 Proconsules M. Junius Brutus, & A. Manlius Volso in Istria hostes prælio vincunt, & ad pacem petendam adigunt, quam dant, obsidibus imperatis.

574 Consul Cn. Cornelius Scipio ex Monte Albano, cum Latinas egisset, concidit. & parte membrorum captus ad aquas Cumanas profectus, ibi moritur, eique sufficitur C. Valerius Lævinus.

575 Mucius Scævola in Liguria præclare rem gerit, ideo, cum ad Urbem redisset, triumphavit.

576 Pestis adeo grassatur Romæ, ut nec Libitina funeribus liberorum sufficeret, multo minus servorum; itaque cadavera publice abjecta, quæ tamen nec canes, nec vultures attingebant.

LIBER XLII.

577 Q. Fulvius Flaccus, ut ædem Fortunæ equestris, quam in Hispania voverat, magnificentissime extrueret, & exornaret, Templum Junonis Laciniæ in Brutiis tegulis marmoreis spoliat, & suum tegere conatur; verum obstitit Senatus, & Sacrilegium hoc ita pu-

nitum

nitum est, ut biennio post Censor Fulvius se laqueo suspenderit.

578 Locustarum ingens nubes in Apuliam infertur, adeo ut agros suis examinibus cooperirent; missus agitur Prætor Sicinius, qui coacta ingenti multitudine hominum pestem illam frugum collegit, & perssumdedit.

579 P. Licinius Cos. bellum in Græcia cum Perseo ita gerit, ut æqua fere clade per totam æstatem res gererentur; C. Cassius vero alter Cos. per Carniam in Macedoniam exercitum ducere conatur: Rom. Senatus de hoc itinere certior factus legatos mittit, qui Consulem retrahant.

LIBER XLIII.

580 Lucretius superioris anni Prætor, quod Chalcidenses avare, & inhumaniter tractasset, Romæ a Chalcidensibus accusatur: cum ei dies dicta esset, decies centum millium æris damnatur.

581 C. Claudius, & T. Sempronius Censores hoc anno fuerunt, qui, quod publicanos in ordinem redigerent, offendunt Tribunos Plebis: ob id accusantur: & C. Claudius damnatus fuisset, nisi Gracchus conceptis verbis jurasset, se exilii comitem Collegæ futurum. Condiderunt lustrum 52. Principem Senatus legerunt M. Æmilium Lepidum: censa fuerunt Civium capita 212805.

LIBER XLIV.

582 L. Æmilius felicissimo prælio exercitum Persei vincit, occisis viginti millibus Macedonum, captis 6. millibus. Perseus fugiens relicto regno Samothraciam petit, sed Æmilium classem eo mittit, eumque capit.

LIBER XLV.

583 Æmilius Paulus, priusquam 10. legati ab Urbe in Macedoniam venirent, totam Græciam intra & extra Peloponnesum lustrat, hospitaliter ubique ab omnibus acceptus, nec ipse etiam in suspectos inquisivit.

LIBER XLVI.

584 L. lata est, ne alicui Regi liceret Romam venire.

585 Coss. Cn. Octavio Nepote, & T. Manlio Torquato Hecyra Terentiana acta ludis Rom. sed non peracta, quod Funambuli spectaculo actio turbaretur.

586 Censores L. Æmilius Paulus, & Q. Martius Philippus condiderunt lustrum 53. & principem senatus quar-

tum legerunt M. Æmilium Lepidum: censa sunt civium capita 327022.

587 Terentii Comœdia Heutontimorumenos acta ludis Megalensibus Coss. Tib. Sempronio, M. Juventio.

588 Vitio Coss. creati P. Cornelius Scipio Nasica, & C. Martius Figulus abdicant, & eorum loco dicuntur P. Cornelius Lentulus, Cn. Domitius Ahenobarbus.

589 Senatus Consultum factum in hæc verba, ut M. Pomponius prætor animadverteret, curaretque, ut si e Rep. fideque videretur, Philosophi Romæ, & Rhetores non essent.

590 Pomptinæ paludes a Cethego Cos., cui ea provincia obvenerat, siccatæ, & ager ex his factus.

LIBER XLVII.

591 Censores hujus anni P. Cornelius Scipio Nasica, & M. Pompilius Lænas lustrum condiderunt quinquagesimum quartum, & principem Senatus quintum legerunt M. Æmilium Lepidum; censa sunt civium capita 328314.

592 M. Fulvius Proconsul ultimus de Liguribus domitis triumphat, atque ita bellum Ligusticum per 80. fere annos gestum finitum est.

593 Coss. Sex. Julio Cæsare, L. Aurelio, meminit Plin. lib. 33. cap. 3. in ærario Rom. fuisse laterum aureorum pondo 1500., argenteorum pondo 92000., & in numerato sestertium quadringenties, quæ summa efficit plus quam sexaginta 6. milliones.

594 C. Martius Cos. adversus Dalmatas primum parum prospere rem gerit, postea tamen feliciter cum eis pugnat.

595 Ambo Coss. triumphant, P. Cornelius Scipio de Dalmatis, M. Claudius Marcellus de Liguribus, & Veleatibus, quos subegerat.

LIBER XLVIII.

596 Censores M. Valerius Messala, & C. Cassius Longinus lustrum fecerunt quinquagesimum quintum, & principem Senatus legerunt sextum M. Æmilium Lepidum: censa sunt civium capita 324000.

597 Q. Fulvius Cos. bellum Celtibericum inchoat, sed non satis feliciter id administrat.

598 Publilia, & Licinia, nobiles feminæ, quæ viros suos necasse venenis dicebantur, cognita caussa, cognatorum decreto necatæ sunt.

599 L. Licinius Lucullus, & A. Postumius Albinus, Coss. cum delectum severe agerent, nec cuiquam militiæ gratiam facerent, a Tribunis Plebis, qui cognatis

suis

ſuis militiæ vacationem impetrare non poterant, in carcerem conjiciuntur.

600 Carthaginienſes bellum gerunt cum Maſſaniſſa jam nonageſimum ſecundum annum habente, & prælio congreſſi vincuntur, & inſuper bellum Rom. ſibi avertunt. Scipio Æmilianus hujus prælii ſpectator fuit, qui nihil eo jucundius in vita ſpectaſſe affirmavit.

LIBER XLIX.

601 Tertium bellum Punicum initum, quod Carthaginienſes contra fœdus naves haberent, & extra fines exercitum duxiſſent, & ſocio, atque amico Pop. Rom. arma intuliſſent.

LIBER L.

602 Maſſaniſſa Rex Numidiæ annis 90. major moritur, qui filiis ſuis tribus per Scipionem Æmilianum Regnum diſtribui voluit, cum paullo ante Marcellus Legatus Rom., qui ter Coſ. fuerat, tempeſtate ſuborta fluctibus merſus fuiſſet.

LIBER LI.

603 P. Cornelius Scipio Africanus, cui extra ſortem Africa provincia data fuit, foſſam in circuitu Carthaginis duxit, quæ viginti tria millia paſſuum in circuitu habebat, hoc eſt plusquam quinque milliaria Germanica, atque ita Urbem obſedit, & portum obſtruxit.

LIBER LII.

604 Metellus ex Macedonia in Græciam veniens, ut motus Lacedæmoniorum, & Achæorum componeret, pugnare cogitur cum Achæis, quos vincit, Romamque revertitur triumphans.

605 Hiſpania Provincia conſularis facta eſt, & Q. Fabius Coſ. eam accipit.

606 Cum diſſenſio eſſet Romæ, uter Coſs. contra Viriatum in Hiſpaniam mitteretur, Scipio neutrum ſibi placere affirmavit, propterea quod alter, ſc. Sulpitius Galba, nihil haberet, alteri, ſc. L. Aurelio, nihil eſſet ſatis, ita neuter miſſus eſt, & Fabio prorogatum eſt imperium.

LIBER LIII.

607 Q. Cæcilius Metellus in Hiſpaniam mittitur contra Celtiberos, bellicoſiſſimam gentem.

608 Q. Fabius Coſ. multas Urbes in Luſitania expugnat, & maximam ejus partem recipit, transfugis, & rebellibus dexteras abſcindit, ut defectionis metum reliquis injiceret.

Cofs.

LIBER LIV.

609 Lustrum a Censoribus conditum quinquagesimum 7. censa sunt civium capita 328342.

610 Cum Viriatus jam 14. annos Romanos Duces, & exercitus protrivisset, a proditoribus quibusdam a Servilio Cæpione Cos. corruptis occisus est.

611 T. Manlius Torquatus filium suum Junium Silanum a Macedonum legatis repetundarum accusatum ipse judicat, condemnat, & ad laqueum adigit, nec ejus funeri interesse voluit.

LIBER LV.

612 Cum Coss. P. Cornelius Scipio, & D. Junius Brutus delectum haberent in conspectu tyronum, C. Matienus accusatus, quod exercitum in Hispania deseruisset, damnatusque sub furca diu virgis cæsus est, & sestertio nummo veniit.

613 C. Hostilius Mancinus Cos., cui Provincia Hispania obvenerat, cum sacrificaret, pulli e cavea evolaverunt, conscendente eo deinde in navem, ut in Hispaniam proficisceretur, in portu Herculis vox audita est: Mancine mane; ipse autem adeo infeliciter rem gessit, ut turpissimum fœdus cum Numantinis fecerit.

LIBER LVI.

614 Æmilius Lepidus Proconsul Vaccæos innoxiam gentem expugnare conatur, sed magna afficitur clade, castra etiam amittit, quæ ab hostibus exusta fuerunt.

615 Lustrum 58. a Censoribus conditum: Princeps Senatus Ap. Claudius; censa sunt civium capita 323000.

LIBER LVII.

616 P. Cornelio Scipioni Cos. bellum Numantinum extra sortem commendatur.

LIBER LVIII.

617 Cum fere in exitu anni Ti. Gracchus iterum Trib. Pleb. fieri vellet, & vi leges suas promulgare, P. Cornelius Nasica privatus jussit eum occidi, quod factum est in Capitolio, subselliorum fragmentis contusus, inde insepultus in Tiberim projectus est.

LIBER LIX.

618 P. Rupilius Cos. in Sicilia Taurominiam & Ætnam firmissima fugitivorum receptacula bello recipit, ubi multa millia servorum trucidata.

619 P. Licinius Crassus, cum Pontifex Maximus esset, primus Pontificum extra Italiam contra Aristonicum cum exercitu mittitur, qui cum plurima a Regibus

Asiæ

Asiæ accepisset auxilia, tamen ab Aristonico vincitur, & fuga capitur: captus, ut ignominiam fugeret, virgam, qua Regnum regebat, oculis Thracii militis, a quo vinctus trahebatur, inflixit, & eum exoculavit, quare iratus Crassum occidit.

620 Lustrum a Censoribus conditum 59. censa sunt Civium capita 368823.

621 C. Sempronius Cos. contra Japudas in Illyrium missus, rem male gerit, postea tamen virtute Bruti, qui Hispaniam vicerat, magna victoria potitur, & triumphat.

622 Coss. creati hoc anno sunt Cn. Octavius, & T. Annius.

623 Coss. L. Cassius, & L. Cinna.

LIBER LX.

624 L. Aurelius Cos. Sardos rebellantes subegit.

625 Pestilentia in Africa ab ingenti multitudine locustarum, & deinde necatarum strage fuit.

626 Coss. Transalpinis Gallis bellum inferunt, & Arbenorum infinitam multitudinem ad Rhodanum fluvium interficiunt.

627 Q. Metellus Cos. adversus Baleares missus bellum gerit.

LIBER LXI.

628 C. Sextius Proconsul victa Salviorum gente Coloniam Aquas Sextias condidit ob aquarum copiam, ex calidis, & frigidis fontibus, atque a nomine suo ita appellatas.

629 C. Gracchus a L. Opimio Cos. ex S. C. Pop. vocato ad arma interemtus est una cum Fulvio Flacco, eo quia legum Gracchianarum abolitionem impediret.

630 L. Opimius prioris anni Cos. accusatus a Q. Decio Trib. Plebis, quod indemnatos Cives in carcerem conjecisset, liberatur.

LIBER LXII.

631 L. Cæcilius Metellus Cos. Dalmatas subegit.

LIBER LXIII.

632 C. Porcius Cos. in Thracia adversus Scordiscos male pugnavit.

633 L. Cæcilius Metellus Cos nihil delinquentibus Dalmatis bellum infert, qui tamen amice ipsum suscipiunt, ipse vero cum Solone hiemem transegit.

634 L. Cicinius Geta, & Q. Fabius Max. Eburnus Coss.

635 Lustrum conditum 62. censa sunt civium capita 394336.

636 Tres uno tempore Virgines Vestales genere nobilissimæ

cum

Coss.
cum aliquot Equitibus Rom. incesti pœnas dederunt, Æmilia, Licinia, & Marcia.

637 Cimbri gens vaga, populabundi in Illyricum veniunt, ab his Cn. Papirius Cos. cum exercitu funditur.

638 Livius Drusus Cos. adversus Scordiscos, gentem a Gallis oriundam, in Thracia feliciter pugnat.

LIBER LXIV.

639 L. Calpurnius Cos. cum exercitu contra Jugurtham in Numidiam mittitur, homo avarus, cæterum non imperitus belli.

640 Romæ intercessionibus Comitia impediuntur, ita ut nulli Curules essent Magistratus: quapropter A. Postumius legatus, ut in Numidia bellum conficeret, in ipsa hieme exercitum educit, sed imperitus in impedita loca profectus, patitur se pecunia corrumpi, & vendit Jugurthæ victoriam: castris ita exutus, & in colle quodam obsessus pacem æquam cum Jugurtha facit.

LIBER LXV.

641 Q. Cæcilius Metellus Cos. duobus præliis Jugurtham fudit, totamque Numidiam vastavit.

642 Q. Servilius Cæpio Proprætor ex Hispania triumphat.

643 L. Cassius Cos. Provinciam Galliam sortitur, sed Tigurini, & Helvetii eum cum Pisone legato consulari, & exercitu cædunt.

LIBER LXVI.

644 Jugurtha petitur a C. Mario ex Numidia.

LIBER LXVII.

645 Q. Servilii Cæpionis bona publicantur, quod infeliciter contra Cimbros pugnasset.

646 C. Marius de Jugurtha triumphat, eumque in carcerem conjicit, ubi omnibus rebus spoliatus cum fame 7. dies collectatus tandem moritur.

647 Cimbri, vastatis omnibus, quæ inter Rhodanum, & Pyrenæum sunt; per saltum in Hispaniam transgressi, a Celtiberis fugantur.

LIBER LXVIII.

648 C. Marius Cos. Teutones, & Ambrones circa Aquas Sextias concidit; traduntur autem cæsa hostium ducenta millia; capta nonaginta.

649 Publicius Malleolus Matrem suam interfecit, & damnatus Parricidii primus omnium insutus culleo in mare præcipitatus est.

LIBER LXIX.

650 Metellus Numidicus in exilium voluntarium Rhodum pro-

profectus est, eo quod noluit jurare in legem agrariam per vim latam.

651 Q. Cæcilius Metellus ab exilio ingenti totius Civitatis favore reductus est.

LIBER LXX.

652 Cum M. Aquilius caussam de pecuniis repetundis diceret, ipse judices rogare voluit. M. Antonius vero Orator ejus tunicam a pectore ejus discidit, honestasque pop. cicatrices ostendit; quo facto statim absolutus est.

653 Senatus consultum hoc anno factum, ne homo immolaretur, palamque tum siluit Sacri prodigiosi celebratio.

654 Coss. Cn. Domitio, C. Cassio Ptolemæus Cyrenarum Rex cognomine Apion moriens Populum Romanum testamento hæredem reliquit: ejus Civitates Senatus liberas esse jubet.

655 Ariobarzanes in Regnum Cappadociæ a L. Cornelio Sulla reductus est.

656 P. Rutilius summa innocentia vir invisus Equestri ordini, penes quem judicia erant, repetundarum damnatus in exilium missus est.

657 Cyrenis advecta Romam Laserpitii pondo 30.

LIBER LXXI.

658 Hoc anno nobilis illa caussa M. Curii, & M. Coponii, de qua Cicero diversis in locis meminit, apud Centumviros a duobus Consularibus L. Crasso, & Q. Scævola acta est.

659 *Livius* Drusus Senatui invisus factus, velut socialis belli auctor, incertum a quo, domi occisus est.

LIBER LXXII.

Bellum motum est sociale, quod & dicitur Marsicum, quod Marsi primum arma sumsissent: item Italicum, in quo bello Hortensius primum fuit miles, in sequenti autem Tribunus.

LIBER LXXIII.

660 P. Rutilius Cos. male pugnat contra Marsos, & in prælio cadit. Marius legatus feliciori aliquanto eventu decertat.

LIBER LXXIV.

661 Cum ære alieno oppressa Civitas esset, A. Sempronius Prætor, quoniam secundum debitores jus dicebat, ab his, qui fœnerabantur, in foro occisus est.

LIBER LXXV.

L. Porcius Consul rebus prospere gestis, fusisque aliquoties Marsis, dum castra eorum expugnat, accidit.

Coss.

L I B E R LXXVI.

A. Gabinius Legatus rebus adversus Lucanos prospere gestis, multis oppidis expugnatis, in obsidione castrorum hostilium cecidit.

L I B E R LXXVII.

662 P. Sulpicius Trib. Pleb. auctore Mario perniciosas fert leges, & adversantibus Coss. vim adfert, Pompejique alterius Consulis filium Sullæ generum occidit. L. Sulla Cos. cum exercitu in Urbem venit, & adversus factionem Sulpicii, & Marii in ipsa Urbe pugnavit, eamque expulit.

L I B E R LXXVIII.

Mithridates totam Asiam occupat, & Q. Oppium Proconsulem, item Aquilium legatum in vincula conjicit.

L I B E R LXXIX.

663 L. Cornelius Cinna Cos. cum perniciosas leges per vim ferret, pulsus est Urbe a Cn. Octavio Collega.

L I B E R LXXX.

Cinna, & Marius in Urbem recipiuntur, qui velut captam eam cædibus, & rapinis vastarunt.

L I B E R LXXXI.

L. Sulla Athenas cum maximo labore expugnat.

L I B E R LXXXII.

664 L. Valerius Flaccus Cos. Collega Cinnæ missus, ut Sullæ succederet, propter avaritiam invisus exercitui suo a C. Fimbria legato ipsius, ultimæ audaciæ homine, occisus est.

L I B E R LXXXIII.

665 L. Cornelius Cinna ab exercitu suo, quem invitum cogebat naves conscendere, & adversus Sullam proficisci, interemtus est.

L I B E R LXXXIV.

666 Cn. Papirius Carbo, cum ab omnibus oppidis Italiæ, coloniisque obsides exigere vellet, ut fidem illorum contra Sullam obligaret, consensu senatus prohibitus est.

L I B E R LXXXV.

667 Capitolium Romæ conflagravit, quo incendio perierunt libri Sibyllini a Numa Pompilio olim comparati. Culpam cremati Capitolii Plutarchus in Sullam conjicit.

L I B E R LXXXVI.

668 C. Fabius in Africa propter crudelitatem, & avaritiam in prætorio suo vivus exustus est.

LI-

LIBER LXXXVII. & LXXXVIII.

C. Marius Cos. an. natus 26. vincitur a Sulla, & se Præneste cum exercitu includit, ubi obsidetur: cum vero erumpere non posset, cuniculum effodit, sed hoc obstructo, servo imperat, ut se occidat.

LIBER LXXXIX.

669 Cn. Pompejus an. ætatis 25. Africam provinciam sortitur, eamque subjicit, & Domitium vincit, & occidit.

670 Mitylene, quæ sola Urbs post Mithridatem arma retinuerat, a M. Thermo Prætore expugnatur, in qua expugnatione Julius Cæsar corona Civica donatus est.

LIBER XC.

671 P. Servilius Cos. in Siciliam, & Pamphiliam missus primus in Isauriam iter fecit, & post triennium revertens de his triumphat, & nomen Isaurici meretur.

672 M. Lepidus Cos. cum acta Syllæ tentaret rescindere, bellum excitavit, & a Q. Catullo Collega Italia pulsus est, & in Sardinia frustra bellum molitus periit.

673 Q. Sertorius proscriptus in ulteriore Hispania ingens bellum excitat.

LIBER XCI.

674 Sertorius aliquot Urbes expugnat, & plurimas capit.

LIBER XCII.

675 Cn. Pompejus cum Sertorio in Hispania bis congreditur, sed dubio eventu.

LIBER XCIII.

676 M. Aurelius Cotta Cos. ad Phalcedonem prælio a Rege victus est.

LIBER XCIV.

677 L. Lucullus Cos. adversus Mithridatem equestribus præliis feliciter pugnavit

LIBER XCV.

C. Curio Proconsul Dardanos in Thracia domuit.

LIBER XCVI.

678 Ambo Coss. L. Gellius & Cn. Cornelius Lentulus contra Spartacum proficiscuntur, & Gellius parum caute in hostes irruens omnes fere copias amittit. Alter consul a tergo ab hostibus invaditur, vincitur, & castra amittit.

679 C. Cassius Proconsul, & Cn. Manlius male adversus Spar-

Spartacum pugnant, ideo id bellum M. Licinio Crasso prætori mandatum.

LIBER XCVII.

M. Licinius Crassus feliciter pugnavit contra Spartacum, eumque cum 40. millibus occidit; atque ita bellum hoc servile sublatum est.

680 Ambo Coss. M. Crassus & Cn. Pompejus Tribunitiam potestatem, cujus imaginem tantum Sulla Dictator reliquerat, restituunt.

LIBER XCVIII.

681 Lustrum conditum est; censaque sunt Civium capita 450000.

682 Coss. sunt L. Cæcilius Metellus, & Q. Marcius, sed Metellus paullo post mortuus est, & qui in ejus locum suffectus est, similiter mortem obiit, antequam magistratum iniret, quapropter religio Rom. fuit tertium subrogare, atque ita Q. Marcius solus consulatum gessit.

LIBER XCIX.

683 Cn. Pompejus lege ad Pop. lata persequi Piratas jussus, qui commercium annonæ intercluserant, intra quadragesimum diem toto mari eos expulit.

LIBER C.

684 Cn. Pompejus ad gerendum bellum adversus Mithridatem profectus, ipsum equestri prælio vicit.

LIBER CI.

685 Conjuratio eorum, qui in petitione Consulatus ambitus damnati erant, facta de interficiendis Coss. oppressa est.

LIBER CII.

686 Cn. Pompejus in Provinciæ formam Pontum redegit.

687 Cn. Pompejus Judæos subegit, templum eorum Hierosolymæ inviolatum ante id tempus cepit.

LIBER CIII.

688 Catilina a C. Antonio Proconsule cum exercitu cæsus est.

689 P. Clodius accusatus, quod in habitu mulieris in sacrarium, in quod virum intrare nefas est, intrasset, & cum uxorem Metelli Pontificis stupravisset, absolutus est.

690 Pompejus de liberis Mithridatis, Tigrane, & Tigranis filio triumphavit.

691 Leges agrariæ a Cæsare Cos. cum maxima contentione, invito senatu, & altero Cos. M. Bibulo, latæ sunt.

692 M. Cicero lege a P. Clodio Trib. Plebis lata, quod indemnatos Cives necavisset, in exilium missus est.

LIBER CIV.

693 M. Cicero, Pompejo inter alios orante, & T. Annio Milone Trib. Pleb. agente, ingenti gaudio Senatus, & universæ Italiæ ab exilio reductus est.

LIBER CV.

694 M. Cato, cum legem impediret, qua Provinciæ in quinquennium Pompejo Hispaniæ, Crasso Syria, & Parthicum bellum, Cæsari Gallia, & Germania dabantur, a C. Trebonio Trib. Plebis legis auctore in vincula ductus est.

695 A. Gabinius Proconsul Ptolemæum reduxit in regnum Ægypti, ejecto Archelao.

LIBER CVI.

696 Julia Cæsaris filia, Pompeii uxor decessit, honosque maximus ei a pop. habitus est, ut in Campo Martio sepeliretur.

LIBER CVII.

697 Milo, cum Lanuvium proficisceretur, obvium habet P. Clodium inimicum suum: inde convicia jacta ad pugnam rem pertraxerunt, qua Clodius vulneratus fuit, ac deinde occisus, a suis vero Romam deportatus in curia Hostilia, plebe tumultuante, & volente, una cum Curia crematur.

698 Cn. Pompejus Consul fert legem, ne quis aliquem Magistratum absens peteret: recordatus vero soceri sui C. Cæsaris eumdem a lege eximit, & hunc absentem Consulatum petere posse concedit.

LIBER CVIII.

699 Marcellus Consul legem profert de Imperio Cæsari abrogando; eam dissuadent Tribuni, & Sulpitius alter Consul, & aliquo modo Pompejus; ideo decernitur, ut Cæsar sequenti anno exercitus dimittat.

LIBER CIX.

700 Contentiones oriuntur de successore C. Cæsari mittendo, cum se dimissurum exercitus negaret, nisi a Pompejo dimitterentur.

LIBER CX.

701 C. Cæsar Massiliam, quæ portas ipsi clauserat, obsedit.

LIBER CXI.

702 M. Ælius Rufus Prætor cum seditiones in Urbe concitaret, novarum tabularum Plebe solicitata, abrogato Magistratu, pellitur Urbe.

LI-

LIBER CXII.

Pompeius cum victus a Cæſare Ægyptum petiiſſet, juſſu Ptolemæi Regis pupilli occiſus eſt.

LIBER CXIII.

703 Romæ magnæ turbæ fuerunt; Dolabella enim Ciceronis gener novas tabulas propoſuit.

LIBER CXIV.

704 Cæſar Scipionem prætorem, Afranium, & Jubam vicit ad Thapſum, caſtris eorum expugnatis.

LIBER CXV.

705 Cæſar in Hiſpaniam profectus adverſus Cn. Pompejum, utrimque multis expeditionibus factis, & aliquot Urbibus expugnatis, ſummam victoriam cum maximo diſcrimine ad Mundam urbem conſecutus eſt.

LIBER CXVI.

Cæſar tandem conſpiratione facta a M. Bruto, C. Caſſio, a Bruto, & C. Trebonio in curia Pompeji occiſus eſt 23. vulneribus.

LIBER CXVII.

Lepidus Pontif. Maximus in rerum confuſione, ac tumultu interficitur.

LIBER CXVIII.

M. Antonius D. Brutum Mutinæ obſidet.

LIBER CXIX.

C. Trebonius unus ex interfectoribus Cæſaris a P. Dolabella Smyrnæ trucidatur, propter quod Dolabella a Senatu hoſtis judicatus eſt.

LIBER CXX.

706 Cicero a Popilio Centurione, qui fuerat in cauſſa capitis ab eo defenſus, & conſervatus, interficitur.

LIBER CXXI.

C. Caſſius Dolabellam in Urbe Laodicea obſeſſum mori cogit.

LIBER CXII.

M. Brutus adverſus Thracas parum proſpere rem gerit.

LIBER CXXIII.

Cæſar, & Antonius cum exercitibus in Græciam trajiciunt, bellum contra Brutum, & Caſſium geſturi.

LIBER CXXIV.

708 C. Cæſar, & Antonius apud Philippos vario eventu contra Brutum, & Caſſium pugnant.

LIBER CXXV.

709 L. Antonius Conſul M. Antonii Frater, Fulvia M. Antonii uxore conſulente, bellum Cæſari infert.

LI-

LIBER CXXVI.

710 Perusia fame coacta deditur, Antonius, & Fulvia ibi existentes incolumes dimittuntur,

LIBER CXXVII.

711 Antonius, & Augustus pacem faciunt cum Pompejo.

LIBER CXXVIII.

712 Belli caussæ inter Pompejum, & Augustum oriuntur, & utrinque pugnatur vario eventu.

LIBER CXXIX.

713 Adversus S. Pompejum vario eventu navalibus certaminibus pugnatum est.

LIBER CXXX.

714 M. Antonius, dum cum Cleopatra luxuriatur, tarde Mediam provinciam ingreditur, & bellum Parthis infert, in quo multa hominum millia amittit.

LIBER CXXXI.

715 Sex Pompejus cum in fidem M. Antonii veniret, bellum adversus eum in Asiam moliens, oppressus a legatis ejus occisus est.

716 Antonius Artavasdum Armeniæ Regem, fide data, perductum, in vincula conjici jubet, & Regnum Armeniæ filio suo ex Cleopatra nato dedit.

LIBER CXXXII.

717 C. Cæsar in Illyrico Dalmatas domat.

718 Antonius Octaviam Augusti sororem repudiat; & alia peragit, quibus offendit Pop. Rom. quare bellum illi indicitur.

LIBER CXXXIII.

719 Antonius ad Actium classe vincitur a Cæsare.

720 Augustus in Ægyptum veniens Pelusium proditione Cleopatræ capit; Antonius autem Alexandriam fugit, & obsessus a Cæsare in ultima rerum desperatione, præcipue occisæ Cleopatræ falso rumore impulsus, ipse se interimit.

721 Augustus tres triumphos agit reversus in Urbem, unum ex Illyrico, alterum ex Actiaca victoria, tertium de Cleopatra.

722 M. Lepidus, qui Lepidi triumviri fuerat filius, conjuratione contra Cæsarem facta, bellum moliens occisus est.

LIBER CXXXIV.

723 C. Cæsar, rebus omnibus compositis, Augustus cognominatus est; & mensis sextilis in ejus honorem appellatus est.

Bellum contra Bastarnas, & Mæsos, & alias gentes a M. Crasso gestum est.

LI-

Coss.

LIBER CXXXV.

725 Cæsar adversus Hispanos bellum gerit; & Salassos, gentes Alpinas, domat.

726 Augustus ex Hispania ad Urbem redit, ubi Marcellum sororis suæ filium Quæstorem creavit, Tiberium vero Ædilem. *Dio.*

727 Augustus morbo adeo decubuit, ut nulla spes esset salutis: quapropter testamentum condidit, & senatui misit, sed ex hoc morbo liberatur industria Antonii Musæ Medici. *Dio.*

LIBER CXXXVI.

728 Inundationes Urbem Romam vastarunt, & pestis per totam Italiam ita grassata est, ut nemo agris colendis vacaret, unde fames exorta. *Dio.*

729 Augustus, rebus in Sicilia ordinatis, in Græciam transmisit, ubi Lacedæmonios reditibus auxit, quod Livium in exilio olim humaniter recepissent. *Dio.*

730 Augustus ex Lesbo in Asiam pergit, & Bithyniæ provinciam ordinat. *Dio.*

LIBER CXXXVII.

731 Agrippa aquam in agro Lucullano collectam, quæ Virgo appellabatur, quod a Virgine venæ ejus ostensæ essent, in Urbem deduxit.

732 Augustus, cum Decennii Principatus in exitu esset, in aliud quinquennium sibi principatum prorogavit.

733 Seculares ludos hoc ann. Augustus quinto celebravit.

734 Augustus Templum Quirini Romæ de novo ædificat, idque exornat columnis 76. *Dio.*

LIBER CXXXVIII.

736 Drusus Rhætos, qui latrociniis vicina infestabant, domat.

737 Incendio Sacra Vestæ fere vastata fuerunt. *Dio.*

738 Augustus Senatum legit, & cum ex nobilioribus familiis pauci essent Senatores, inopiam eorumdem sublevavit. *Dio.*

739 Agrippa, cum in Campaniam venisset, in morbum incidit, & moritur.

LIBER CXXXIX.

740 Drusus Rhenum transvectus Usipetas Imperio subjicit. Lupiam fluvium transit, & in Sicambros irrumpit, per eos in Cheruscorum Regionem ad Visurgim procedit. *Dio.*

LIBER CXL.

741 A Senatu decernitur, ut Jani Templum claudatur, cum

Coss.

cum bella, propter quæ reſeratum fuerat, compoſita eſſent. *Dio*.

LIBER CXLI.

Bellum contra Tranſrhenanas gentes a Druſo geritur.

LIBER CXLII.

742 Auguſtus de Senatu habendo, & Senatus Conſultis faciendis leges promulgat, in Urbem tamen non venit propter mortem Druſi, qui ad Rhenum collapſus equo fracto crure interierat.

FINIS.



AUGUSTÆ TAURINORUM

MDCCXXXII.

Ex Typographia Fontana.

Cum Privilegio Regis.

EXERCITATIONES RHETORICÆ IN ORATIONES TITI LIVII PATAVINI.

TAURINI, MDCCXXXII.

Ex Typographia Fontana.

Superiorum permissu.

IMPRIMATUR

Vic. Gen. S. Officii.

V. C. F. Abbas Badia in R. U. Philosophiæ, & Artium liberalium Præses.

V. Casellette de Craveris pro Excell. D. Marchione De-Zoppi Magno Cancellario.

EX
DECADIS PRIMÆ
LIB. I.
ORATIONIS I.
Metii Fufetii ad Tullum Hostilium

Argumentum.

MOrtuo in castris Clælio Albanorum Rege, suffectus in ejus locum Dictator Metius hac Oratione Tullo Hostilio prælium dissuasit, obtinuitque, ut Horatiis, & Curiatiis tergeminis Fratribus fata utriusque Populi committerentur.

Loci communes ab *Adjunctis.*

Motus, *Timor*, Mores *Viri modesti*, *& simplicis.*

Tres habet hæc Oratio partes, *Insinuationem*, *Contentionem*, *& Conclusionem.*

Injurias) *Insinuatio* sumta a *caussis* belli tum simulata, tum vera, sibique conciliat benevolentiam, virum se candidum, & modestum exhibens, *ex Arist. l. 2. cap. 4. tex. 26. & 34.*

Injurias, &) Simulata caussa, quod scilicet excursiones ubique fecerint, & contra fœdus negaverint restituere, quæ repetebantur.

Sed si vera) Belli vera caussa, cupido imperii, quam candide exponit; quod subsequitur, *neque recte*, modestiam denotat.

Illud te) *Contentio* hujusmodi *Syllogismo* continetur ab *Adjunctis.*

Prælium est periculosum iis, quibus communis, vicinus, & potens hostis imminet:

Sed nobis utrisque Hetrusci imminent vicini, & potentes Hostes.

Ergo periculosum est prælium, adeoque intermittendum.

Propositionem omittit, quippe minime dubiam, *ex Arist. l. 1. cap. 6. tex. 78. & lib. 2. c. 5. tex. 41. & 45.*

Assumtionem etiam breviter attingit; neque enim Tullus negare poterat, Hetruscos & vicinos hostes, & potentes esse.

Memor esto) Admonet Tullum, ut meminerit, fore Hetruscos prælii spectatores, ut utrosque deinde fessos opprimant.

Itaque) Concludit, cum utile sit rem prælio non committere, ineundam esse aliquam viam, qua sine multo sanguine uter utri populo imperet, decernatur.

Sententiæ.

Cupido imperii cognatos vicinosque Populos facile ad arma stimulat.

Magna pacis colendæ necessitas est, ubi periculum commune.

ORATIONIS II.

M. Horatii ad Populum

Argumentum.

M. Horatium, quod sororem interfecisset, Perduellionis a Duumviris damnatum, & ad Populum provocantem Pater defendit, precibusque, & lacrymis, ut absolveretur, impetravit.

Loci communes a *Comparatione*, & ab *Adjunctis*.

Motus, *Misericordia*. Mores *Pii Fratris*, & de *filio solicit.*

Oratio brevis est, & nullum habet *Exordium*, nam & recens ex Curiatiis relata victoria satis ad *Benevolentiam* valebat, & ipsa per se magnitudo rei *Attentos* faciebat. *Arist. l.* 3. *c.* 14. *t.* 101.

Hunccine) Cum filiam jure interfectam asserere Pater non posset, ad *Misericordiam* confugit, & quia miserrimum est inde malum contingere, unde bonum provenire oportebat, *ex Arist. l.* 2. *c.* 8. *t.* 89. indignum esse ait, juvenem tanta ornatum victoria morte damnari. *ex Arist l.* 2. *c.* 9. *tex.* 93.

Quod vix) A *Comparatione* ostendit indignitatem rei hoc modo:

Albani hostes vix hoc ferrent.

Ergo vos multo minus.

I Lictor) Per hypotyposim proponit quasi ante oculos cruciatus, & supplicium: cum enim imminentia mala ad *Misericordiam* moveant, *Arist. lib. tex.* 92. ea majorem vim habent, si quasi præsentia videantur, idque facit per comparationem contrariorum, ut ea fortuna indignus appareat.

I, Caput Obnube (hæc, sicut etiam antecedentia, ipsa verba sunt, quibus utebantur Duumviri, si quem da-

damnarent; ut videre est apud *Cic. Orat. pro C. Rabirio.*

Verbera Vel) Probat ab *adjunctis* loci esse indignum ea pœna, tali ratione: Tam intra, quam extra Pomærium pulcherrima habet monumenta virtutis.

Ergo utroque in loco, indignum est, de eo supplicium sumi.

Explicat *Antecedens* per distributionem, quod *intra* Pomœrium spolia, extra Pomœrium sepulchra sint Curiatiorum, quibus ille interfectis Patriæ Imperium pepererat, & e servitute liberaverat.

Intra illa Pila) Pila Horatia dicebantur, unde relata ex Curiatiis spolia pendebant *Dionysius lib.* 1.

Pomœrium autem locus erat circa murum Vrbis regionibus certis determinatus, qui inaugurato consecrabatur.

ORATIONIS III.
Tulli Hostilii ad Milites
Argumentum.

TUllus Hostilius vocata militum concione Metium Fufetium accusat, quod in prælio contra Fidenates, & Vejentes prodidisset Romanos, itemque exponit, quo genere supplicii in eum uti velit.

Loci communes a *Caussis*, a *Comparatione*, & a *Contrariis*.

Motus, *Odium*, & *indignatio*. Mores *viri gravis*, & *prudentis*.

In quatuor partes hæc oratio dividi potest, *Exordium*, *Narrationem*, *Contentionem*, & *Conclusionem*.

Romani) *Exorditur* a parta victoria, quam amplificat ex magnitudine periculi; sibique beuevolos facit milites, quorum virtutem laudat, & odium in Metium concitat illius periculi auctorem, *ex Arist. l.* 2. *c.* 4. *t.* 24. *&* 27.

Nam, ne vos) *Narratio*, in qua breviter exponit, Albanos perfide egisse, docetque rationem sui consilii, quo se ostendat providum esse, & prudentem Imperatorem. *Ex Arist. l.* 3. *c.* 16. *tex.* 128.

Nec ea) *Contentionis* duæ sunt partes, in prima probat, Albanos non peccasse, hoc *Syllogismo* sumto a *Caussa finali.*

Illi non peccarunt, qui secesserunt a prælio, ut suo Duci parerent.

Sed Albani inscii proditionis secesserunt a prælio Ducem sequuti.

Ergo non peccarunt.

Propositionem confirmat a *comparatione* partium; idem enim, inquit, vos Romani fecissetis, si agmen alio vertissem, nec vos quisquam propterea jure proditores appellaret.

Metius) Altera est *contentionis* pars, qua culpam omnem transfert in Metium, eumque unum proditorem fuisse ostendit, proindeque dignum ultimo supplicio tali ratione: Qui socios contra fœdus, & jusjurandum prodit, dignus est morte. Metius nos prodere voluit contra, &c. Ergo.

Propositio latet in pulcherrima illa sententia: *Audeat deinde*, innuens a *Contrariis*, puniendum esse, qui talia admittit.

Assumtio manifeste habetur expressa per figuram Repetitionem, qua tria Metii peccata recensentur. 1. secessio ad Montes. 2. bellum illius consilio excitatum. 3. violatio fœderis: nec temere primo loco ponit, quod magis notum, magisque præsens erat.

Quod bonum) Concludit, exponens quid jam statuerit tum de Albanis, tum de Metio, illos scilicet traducendos esse Romam, & civitate donandos, hujus corpus in pœnam proditionis passim esse distrahendum.

Quod bonum) Formula Romanis usitata, cum precarentur feliciter sibi evenire, quæ agenda susciperent.

Populum omnem) Prima pars *Conclusionis* de Albanis traducendis Romam: cumque supra eos a culpa immunes fuisse dixerit, hic negare videtur, hujusmodi consilium molestiam Albanis afferre posse, tum quod promittat, illos fore participes civitatis, Senatus, & Reip. tum quod conveniens dicat esse, redire in unum, qui ex uno in duos populos divisi fuerant.

Meti Fufeti) Altera pars concl. comprehendit supplicium Metii, qua probat, puniendum esse genere supplicii supra allato, & quidem indignum esse *Misericordia*, sic ab *Antecedentibus*.

In eum lenis esse non debeo, qui est insanabilis; Ex *Arist. l.* 2. *c.* 3. *t.* 16.

Talis est Metius. Ergo.

Ostendit enim Metius, nescire se fœdera servare, cum illud vix cum Romanis ictum statim violaverit.

Ut igitur) Convenire Metio illud supplicium probat a *pari*; ut qui animum inter hostes, & Romanos habuit ancipitem, & neutris totus adhæsit, illius etiam corpus laceretur, & distrahatur in partes.

Sen-

Sententiæ.

Major, & periculosior dimicatio est cum perfidis sociis, quam cum hostibus.

Audebit quivis alius, nisi in sceleratos insigne mortalibus documentum detur.

ORATIONIS IV.
Lucretiæ ad Cognatos.

Argumentum.

Lucretia per vim stuprum passa a S. Tarquinio, rem suis aperit, & ad ultionem hortatur.

Loci communes ab *Effectis*, & a *Caussis*.

Mores *Matronæ castæ*, *&* *injuria affectæ*.

Motus, *Ira*, & *indignatio*.

Quatuor, eæque brevissimæ, sunt hujus Orationis partes; queritur de injuria; se a culpa immunem facit; obtestatur virum, & amicos, ne patiantur inultam; & consilium moriendi patefacit.

Minime). Amplificat ab *Effectis* injuriam sibi a Tarquinio illatam:

Omnia eripit mulieri, qui ejus pudicitiam violat:
Me violavit Tarquinius.

Ergo omnia simul eripuit, adeoque maxima affecit injuria.

Propositio pulcherrima sententia continetur, *Assumtio* habetur iis verbis: *Vestigia &c.*

Cæterum). Secunda pars, qua se excusat hoc *Syllogismo* a *Caussis*:

Ille non peccat, qui non consentit:
Ego non consensi. Ergo non peccavi.
Patet *propositio*; *Assumtio* probatur ab effectis.
Si consensissem, non ultro mori vellem:
Sed ultro volo mori. Ergo.

Sed date). Tertio loco ad Ultionem hortatur, amplificans ab *adjunctis* magnitudinem injuriæ, quod hospitem violaverit, quod vim adhibuerit, quod voluptatem utrique pestiferam perceperit. *Arist. lib. 2. cap. 2. t. 12.*

Eos videritis) ultimo exponit, quid de se ipsa statuerit, redditque caussam, cur, etiamsi non peccaverit, mori tamen velit; ne scilicet, si ego vixero violata per vim, habeant impudicæ mulieres, quo se excusent.

Sententiæ.

Nihil salvum est mulieri amissa pudicitia.

Ex Dec. 1. Lib. 2.

ORATIONIS V.

Bruti ad Collatinum

Argumentum.

PUlsis Tarquiniis, ex eadem gente Collatinus obtinuit Consulatum, quem proinde Brutus hortatur hac oratione, ut se magistratu abdicet, & eat sponte in exilium, quo Populum omni suspicione liberet.

Loci communes ab *Adjunctis*, & a *Caussis*.

Motus, *Timor*. Mores *probi Civis, & de libertate solicitii*.

Hoc uno *Syllogismo* res agitur.

Nemo, a quo periculum libertati sit, Romæ esse debet, & Imperium obtinere.

A te, Collatine, periculum est Libertati.

Ergo neque Romæ, neque cum imperio esse debes.

Neminem) *Propositionem* confirmat allato Populi jurejurando, quod asserit summa ope, & omnino tuendum esse.

Invitum se) Antequam *Assumtionem* probet, duo præmittit, quibus *Benevolentiam* sibi conciliat, & invitum se hoc dicere, quod amicus sit Collatino, neque dicturum, nisi cogeret Patriæ amor: quorum alterum patet ex *Arist. l.* 2. *c.* 4. *t.* 33 alterũ *ex eod. l.* 1. *c.* 7.

Non credere) Probatur *Assumtio*, imminere scilicet periculum libertati a Collatino, ab *Adjunctis* Populi sibi metuentis, donec ille fuerit in Urbe. *Arist. l.* 2. *c.* 5. *t.* 41. Generis, quod ex Genere Tarquiniorum sit; Nominis, quia & ipse Tarquinius vocabatur: Dignitatis, quod esset in Imperio.

Id officere) obesse dicit Reip. non solum quod in imperio sit Collatinus, sed etiam quod in Civitate, utrumque enim comprehendit.

Hunc tu) *Concludit*, suadens non tantum abdicationem Magistratus, sed etiam exilium: cumque superius ostenderit, ad conservandam libertatem hoc esse necessarium, nunc hortatur, ut sua voluntate id præstet, & argumentatur ab *honesto* hoc modo. *Ex Arist. l.* 1. *c.* 9. *tex.* 151.

Sublatum e civitate Regnum tuum est beneficium.

Sed si Tu ex regio Tarquiniorum genere fueris in Civitate, non omnino sublatum est regnum.

Ergo, ut tuum absolvas Beneficium, civitate cedas necesse est. Deinde ab Utili.

Res

Res tuas) Quod si sponte abiret, habiturus erat omnia, quæ possidebat, quasi minitari vellet amissionem bonorum, si judicium Populi expectaret. *Arist. l. 1. cap. 6. t. 72.*

Amicus abi) A *necessario*, fore, ut quam primum eum Populus abire jubeat, qui cum gente Tarquinia Regnum abiturum Roma putabat, ideoque satius esse id sponte, & amico animo suscipere, quod evitari non poterat.

Sententiæ.

Non ferendum in Repub. unde periculum sit libertati.

ORATIONIS VI.

Valerii Consulis ad populum

Argumentum.

P. Valerius Consul, quod in Velia ædificaret domum alto, & munito loco, venit in suspicionem regni affectati, de quo crimine se hac oratione apud Populum expurgavit.

Loci communes a *Repugnantibus*.
Motus, *verecundia*, & *indignatio* ob suspicionem.
Mores *viri integri* & *prudentis*.

Exordium nullum est: cum enim Historicus extra concionem admoneat, multa dicta fuisse a Valerio, dolente maxime, vocari se in crimen, & *Invidiam*, per duplicem comparationem, tum Bruti a simili, qui matura gloria, necdum se vertente in *Invidiam*, occubuerat, tum Proditorum a *dissimili*, quibus ipse libertatis assertor assimilari videbatur; hæc valent vici *exordii* ad excitandam in se populi *Misericordiam*, adeoque amorem, quasi illa immerito pateretur. ex *Arist. l. 2. c. 8. t. 92.*

Numquamne) Statim igitur purgare incipit se de objecto crimine; & primum a *Repugnantibus* hoc modo: *Arist. l. 3. c. 15. tex. 103.*

In eum non cadit suspicio affectati regni, qui civis est integerrimus, & inimicus Tyrannidis.
Talis ego sum. Ergo in me non cadit.

Numquamne) *Propositio Syllogismi* generalis.

Ego me) *Assumtio* indignationem habet, ideoque per iteratas interrogationes profertur. *Arist. l. 2. c. 9. tex. 101.*

Tam levi momento) hoc est, adeone facili negotio mea apud vos fama lædi potest?

 Non

Non obstabunt) Alia ratione a *Repugnantibus* ita disputat de *Caussa* ipsa suspicionis:

Non ideo ædificavi in Velia, quod regnum affectarem, si paratus sum Ædes illas demoliri, & infra collem ædificare; *Arist. l. 3. c. 15. t. 115.*

Sed ita res se habet. Ergo.

Propositio reticetur, *Assumtionem* autem explicat, declarans palam omnibus, quid facturus sit.

In Velia) *Epiphonema*, pudorem simul, & *indignationem* exhibens, quasi ipse sit indignus, ut eo in loco habitet, in quo passim reliqui omnes. *Arist. lib. 2. cap. 6. t. 66. & c. 9. t. 97.*

Sententiæ.

Spectata virtus procul esse debet a suspicione.
Levi momento boni viri fama apud plebem pendet.
Qui sim, quam ubi sim, magis refert.

ORATIONIS VII.
Coriolani ad Patres.

Argumentum.

CUm ad levandam caritatem annonæ magna vis frumenti ex Sicilia advecta esset, Martius Coriolanus Patres hortatus est, ne prius daretur Plebi frumentum, quam illa jura cederet per secessionem extorta: hinc exilium Coriolano.

Loci communes a *contrariis*, *comparatione*, & ab *Adjunctis*.

Motus, *Indignatio*. Mores *Viri Nobilis*.

Duplici ex capite contendit, non esse dandum frumentum Plebi, nisi reddat sua jura Patribus; tum quia per vim, & injuriam eadem extorsit, tum quia Plebs caussa erat caritatis.

Primus *Syllogismus* ab iniquo sic procedit:

Ut habeant frumentum, reddere debent, quod contra æquitatem tenent.

Sed contra æquitatem ea sibi jura arrogarunt per vim.

Ergo iis cedant, ut frumentum habeant.

Si annonam) *Conclusio Syllogismi.*

Cur ego) *Assumtio*, & quamvis de se loquatur, omnes tamen Optimates comprehendit; ad *indignationem* excitandam crebris utitur interrogationibus.

Cur ego) Prima *interrogatio* a *Contrariis*: Iniquum est, Viros nobiles quasi sub jugum missos, & iniquis conditionibus redemtos ferre plebejos Magistr. & vilissimi hominis potentiam.

Egone

Egone) Secunda *interrogatio* ab *Adjunctis* temporis. Nunc possumus his nos indignitatibus liberare, cum antea excusaret necessitas.

Tarquinium) Tertia *interrogatio* a *Comparatione*: iniquum est parere Sicinio, qui parere Tarquinio recusarunt.

Alter *Syllogismus* a *Caussa* ita procedit:
Jure premitur Caritate, qui caussa est Caritatis.
Sed Plebs caussa est Caritatis Annonæ. Ergo.

Propositio manifesta est: cumque misereamur eorum, qui injuste calamitate premuntur, ex *Arist. l. 2. cap. 8. t. 92.* indignus est *misericordia*, qui sui auctor est infortunii.

Secedat nunc) *Assumtio* per concessionem expressa plenam indignationis, & acerbitatis.

Audeo dicere) *Concludit*, si Plebs caritate Annonæ prematur, fore, ut se ad cultum Agrorum convertat, quos antea coli prohibuerat, scilicet calamitate feroces cæterum Plebis animos domari.

ORATIONIS VIII.
Tullii ad Coss. Romanos.
Argumentum.

TUllius Princeps Volscorum Consules hortatur, ut Volscos ludis prohibeant, quærens belli caussam contra Romanos: & inde atrox bellum ortum est.

Loci communes a *Caussis*, & ab *Adjunctis*.
Motus, *Timor*. Mores *Viri simulato prudentis*, & *integri*.

Hæc brevis Oratio tres habet partes, *Exordium*, *Contentionem*, *Conclusionem*.

Invitus) *Exordium*, quo removet a se malevolentiæ suspicionem, cum & invitus de suis Civibus diceret, & non admissa ab iis facinora criminaretur, sed curaret, ne admitterentur. *Arist. l. 2. c. 4. 26. & 29.*

Nimio) Sequitur *Contentio*, quæ tali Syllogismo continetur a *Caussis*:

Ab iis cavere debent Romani, qui volunt, & possunt lædere.
Sed Volsci & volunt, & possunt lædere. Ergo.

Propositio habetur ex *Arist. l. 2. c. 5. t. 41.*

Nimio) Probat primam partem *Assumtionis* velle Volscos Romanis injuriam facere, ex bellis antea sæpe gestis, & ex mobilitate ingenii. *Arist. l. 1. c. 12. t. 222.*

Magna hic nunc) Probatur altera *Assumtionis* pars ab *Adjunctis* multitudinis Volscorum, & ludi publici, cujus spectaculum magis reddat incautos. *Arist. l.* 1. *c.* 12 *t.* 223.

Memini) Idem etiam confirmat exemplo Sabinorum, ubi malitiose Sabinis tribuit, quod Romanorum facinus fuit.

Horret animus) *Conclusio* ipsius *Assumtionis*; probabile est enim, ii, qui volunt, & possunt lædere, fore ut lædant. Syllogismi autem *Conclusio* non exprimitur ad evitandam calumniæ suspicionem.

Hæc nostra) Ultimo sibi Amorem, & Fidem conciliat; Amorem, utpote non tantum de sua, sed etiam de Romanorum salute solicitus: *Ex Arist. l.* 2. *c.* 4. *t.* 22. Fidem, quippe qui Roma non abiret, nisi periculum immineret.

ORATIONIS IX. Tulli ad suos

Argumentum.

JUssos abire Roma Volscos, adeoque ira inflammatos hac Oratione Tullus ad bellum contra Romanos concitavit.

Loci communes a *Comparatione*, ab *Adjunctis*, & a *Consequentibus*.

Motus, *Ira.* Mores *Viri Magnanimi*, & de *Patriæ* gloria *soliciti*.

Tota hæc Oratio *uno Syllogismo* comprehenditur:

Ulcisci debemus eos, qui nos ignominia afficiunt. Romani nos ignominia affecere: Ergo eos ulcisci debemus.

Propositio pendet ex dictis ab *Arist. l.* 2. *c.* 2. *t.* 8. *&* 9.

Veteres) *Assumtio* amplificata primum a *Comparatione*; ostendit enim hanc esse maximam contumeliam præ cæteris antea acceptis. *Arist. l.* 1. *c.* 14. *tex.* 256.

An non) Prosequitur deinde ab *Adjunctis* personarum, quæ Volscos ignominia affectos viderunt; ait autem, *traductos per ora hominum*, hoc est, ab omnibus derisos contumeliose.

Quid qui vos) Tertio amplificat *Assumtionem* a *Consequentibus*; qui enim factum noverunt, & caussam ignorant, putabunt, inquit, vos alicujus sceleris fuisse conscios.

Quid deinde) Tandem ab *adjunctis profectionis*, quam ira maturare coacti sunt, ut fugæ potius, quam profectionis speciem habuerit.

Bellum vobis) *Conclusio Syllogismi*, debemus igitur ulcisci, qui nos primi læserunt. *Arist. l.* 1. *c.* 14. *t.* 255.

ORATIONIS X.
Veturiæ ad Filium

Argumentum.

VEturia cum filio Coriolano expostulat Romana mœnia obsidente, & illi persuadet omittere Patriæ communis oppugnationem.

Loci communes ab *effectis*.

Motus, *Misericordia*. Mores *Matronæ gravis*, *quæ Mater sit*.

Duas habet partes, *Exordium*, & *Contentionem*.

Sine, prius) Excitat in Exordio *Misericordiam* tum respectu sui, quæ fere captiva videri possit, tum respectu filii, quem exulem postea & hostem videat; nam cum sit Mater, nihil opus est Benevolentia. *Arist. l.* 2. *c.* 8. *t.* 86.

Sequitur *Contentio*, in qua Filium hortatur, ut desistat ab oppugnanda patria in gratiam Patriæ, Matris, & liberorum.

Potuisti) Hoc utitur argumento ab amore Patriæ.

Impium est oppugnare Patriam, quæ nos genuit, & in qua sunt domus, penates. Talis est tibi Roma. Ergo.

Ergo ego) Alterum argumentum a se ipsa hoc modo:

Pati non debes, me omnium miserrimam esse.

Sed tua caussa miserrima omnium sum. Ergo.

Et *Assumtionem* probat ab Effectis, quia nisi Coriolanum peperissem, inquit, mihi, & Patriæ certa esset libertas.

Sed ego) Acerbissima consolatio, qua se dicit neque deterius quidquam pati posse, & hæc sibi quam primum finem habitura; & ultimo parvulos liberos ostendit, quibus in communi calamitate aut mors, aut servitus immineat. *Arist. l.* 2. *c.* 8. *t.* 89.

Sententiæ.

Nemo bonus populatur terram, quæ eum genuit, & aluit.

ORATIONIS XI.

Fabii ad Tribunos

Argumentum.

TErentillo Trib. Pleb. Legem promulgante adversus Imperium Consulare, cum uterque Consul abesset, Q. Fabius Præfectus Urbis Tribunos reliquos hortatur, ut rem usque ad adventum Consulum differri curent.

Loci communes a *Caussis*, & a *Comparatione*.

Motus, *Pudor*. Mores *Viri prudentis*.

Hujusmodi Orationis *Syllogismus* talis est.

Illud impedire debetis, quod nobis est miserum, vobis invidiosum.

Sed Legem hanc ferri absentibus Consulibus nobis miserum, vobis invidiosum est.

Ergo impedire hoc debetis.

Vos cæteri) *Propositio* confirmata a *Caussa* finali Tribunatus.

Nobis miserum) *Assumtio Syllogismi*, & desertam Remp. dicit, hoc est præsidio Consulum spoliatam.

Agite cum) *Conclusio* manifeste expressa.

Ne æqui) *Confirmatio Assumtionis* a *Comparatione* hoc modo.

Facere non debent Tribuni, quod hostes non fecerunt.

Sed mortuis anno priore Coss. bello non institere:

Ergo neque Tribuni instare debent Legi Coss. absentibus, adeoque si institerint, nobis quidem miserum, illis autem invidiosum erit facere id, quod hostes non fecere. *Arist. l. 2. c. 4. t.* 47.

ORATIONIS XII.

Valerii ad Populum.

Argumentum.

SErvi, & exules occupaverant Capitolium duce Herdonio Sabino: cumque contra eos haberi delectum Tribuni impedirent, P. Valerius Consul hac oratione in eosdem invectus est, populoque suasit, ut arma caperet.

Loci communes a *Repugnantibus*, & ab *Adjunctis*.

Motus, *Indignatio*, & *Metus*. Mores *boni Civis*, & *Religiosi*.

In tres partes dividitur, Exordium, Contentionem

Quid hoc) Exorditur increpans Tribunos, qui Reip. perniciem inopportuna illa contentione intentarent. *Tam felix Arist. l. 2. c. 9. t. 98.*

Duplici deinde utitur in Contentione Argumento, quorum primum sic se habet:

Deos saltem vobis conservare debetis. Ex *Arist. l. 2. c. 5. t. 50.*

Sed ii obsidentur in Capitolio. Servate igitur, arma capientes.

Si vos vobis) *Propositio syllogismi.*

Jupiter) *Assumtio*, & appellat Penates publicos, quia universæ Civitatis, non privati alicujus, Dii erant Penates.

Alter *Syllogismus* sic conficitur *a Repugnantibus*.

Illa male administratur Resp., in quam cum hostes ingruunt, non arma capiuntur, sed Senatus, & Comitia habentur.

Sed nunc hostes ingruunt, & non modo non arma capimus, sed etiam Senatus, & Comitia quasi pacis tempore habentur.

Hæc vobis) *Conclusio syllogismi* per interrogationem probata.

Tantum hostium] *Assumtionis* prima pars ab *Adjunctis* loci amplificata.

Comitia interim) altera pars *Assumtionis*. Comitia habentur, cum arma sumenda forent. Dicit autem Comitia esse in foro, quasi ad Legem contra consulare imperium ferendam convenissent, & ad resistendum Legi Senatus interea haberetur.

Romule Pater) Convertitur ad Romulum, eumque cum precatur, seque pollicetur primum affuturum, alios etiam excitat, tum reverentia Patris Romuli, tum exemplo suo.

Ab his iisdem) Historia habetur in primo Libro; Sabini enim Tatio Duce Tarpejam arcem occupaverant.

ORATIONIS XIII.

L. Quintii Cincinnati adversus Tribunos.

Argumentum.

Perturbantes Remp. Tribunos Pleb., maximeque A. Virginium acriter hisce verbis objurgat L. Q. Cincinnatus Consul, ut eos averteret a Lege ferenda.

Loci communes ab *Effectis*, a *Consequentibus*, a *Comparatione*, & a *Dissimili*.

Mo-

Motus, *Ira*, & *Pudor*. Mores *Viri gravis*, & *vehementis*.

Duas habet hæc Oratio partes: prima quidem invectivam in Tribunos continet: in secunda profitetur, se velle Plebem a Comitiis ad bellum traducere, cumque vi, & imperio uti statuerit, nullum adhibet ad captandam Benevolentiam Exordium. *Ex Arist. l.* 3. *c.* 13. *Text.* 93.

Quoad primam partem, hujusmodi syllogismus habetur ab *Effectis:*

Ii sunt objurgandi, qui male merentur de Rep., & Religione.

Tribuni pessime meriti sunt de Rep., & Religione. Ergo.

Propositio manifesta est.

Assumtio probatur per partes, & in primis a *Comparatione* majorum sic:

Plus nocuere Tribuni Reip., quam hostes. Ergo.

Secundo sic a *Consequentibus*.

Tribunorum culpa Plebs trucidata fuisset, nisi Tusculani auxilio venissent.

Ergo pessime de Rep. meriti sunt.

Tertio tali ratione a *Comparatione* minorum.

Cuilibet ex Plebe laboranti auxilium ferendum est. Ergo Diis multo magis. Ergo qui Diis auxilium ferri prohibuerunt, male de Religione meriti sunt.

Aulus ille) *Conclusio* majoris syllogismi, neque solum objurgatione, sed ultimo etiam supplicio dignos esse dicit.

Herdonius si) Prima probatio *Assumtionis*, qua contendit majus fuisse Tribunorum scelus in Remp. quam hostium.

Et vos] Repetitio superioris *Conclusionis* probata per interrogationem invidiæ, & indignationis plenam. *Ex Arist. l.* 1. *c.* 14. *tex.* 256.

Pudet deorum] Secunda probatio *Assumtionis*, quam amplificat ab Adjunctis loci, & Personarum. *l.* 2. *c.* 6. *t.* 65.

Et qui ante) *A dissimili* ostendit indignitatem rei.

Hoc est tribuni) Vos, scilicet, qui ad auxilium Plebi ferendum creati estis, eam Hosti trucidandam objecistis, neque tantum malum evasisset, nisi armati Romam Tusculani venissent. *l.* 2. *c.* 9. *tex.* 89.

Scilicet si quis) Tertia probatio *Assumtionis*; exprobrat

Erat autem Tribunis, quod Plebem a caetero quasi Populo separent in perniciem Civitatis, cum universa Resp. tribus ordinibus contineatur, Senatus, Equitum, & Plebis.

Jupiter optimus] Altera *Comparationis* pars. Si plebejo homini, Jovi multo magis.

Et hi postulant] *Conclusio* hujus Argumenti, quae majorem vim habet a titulo Tribunorum, quod cum Sacrosancti ipsi dicerentur, Deos Sanctos esse non putarent.

Absoluta reprehensione adversus Tribunos suscepta, aperit in secunda parte suae mentis sententiam, quidque jam decreverit facere, declarat.

At enim) Asserit nullo modo se pati velle, Legem Terentillam perferri, additque rationem a congruo, quia non decebat tantis obrutos sceleribus Legum esse latores.

Tum hercule) Mortuo Valerio, lex tamen Reip. perniciosa lata non est: si me consule tuleritis, dicendum erit, creari me Consulem perniciosius Reip. fuisse, quam illum alterum mori.

Jam primum) Denunciat Expeditionem in Hostes, proposito periculo, si captum Capitolium intellexissent, antequam reciperetur. *Lib. 1. cap. 12 t. 213.*

Sententiae.

Magis supplicio dignus est seditiosus Civis, quam hostis.

Sanctus non est, qui Deum neque Sacrum, neque Sanctum putat.

Multi bellantes magis, quam pacati propitium Deum habent.

ORATIONIS XIV.

Cincinnati ad Senatum

Argumentum.

FActum fuerat Sen. Consultum, ne continuarentur Magistratus, & idem Tribuni reficerentur: creatis a Plebe iisdem Tribunis, Senatum etiam eundem Cincinnatum Consulem designantem ipse reprehendit.

Loci communes a *Comparatione*, & a *Contrariis*.

Motus, *Verecundia*. *Mores Viri constantis*.

Dividi potest Oratio in tres partes, *Exordium*, *Contentionem*, & *Conclusionem*.

Mirer si) In *Exordio*, ut Patres statim reprehendat, caussam affert, cur Plebs parvi faciat decreta Senatus,

quia

quia nimirum ipsi eadem elevant, & nullius momenti esse docent.

Quippe quia) Contendit, absurdum esse, Patres velle æque se temere gerere, ac se gerit Plebs, idque probat quadruplici ratione.

Tanquam) Prima ratio, quia non ideo Senatus plus poterit in Civitate, quia plus habebit licentiæ.

Levis enim) Secundario a *Comparatione*.

Magis peccat qui sua, quam qui aliorum decreta violat. *Arist. lib.* 1. *c.* 14. *t.* 25.

Ergo vos magis peccatis, quam Plebs.

Imitemini) Tertio a *Contrariis*: Prudens non debet illum imitari, qui est sine consilio; Senatus prudens est, Plebs inconsulta. Ergo non debet. &c.

Propositio reticetur. *Assumtio* vera, & *Conclusio* simul habetur in concessione illa Ironica.

Et qui exemplo) Ultimo tandem sic ab officio Senatus.

Vos exemplo esse debetis, ut alii recte agant.

Ergo ad aliorum exemplum non debetis pecare.

L. 2. *c.* 6. *t.* 68.

Nec me (Suam voluntatem patefacit, eosque frustra laborare ostendit, cum ipse ad resistendum paratus sit.

Te vero) Per Apostrophen concludit hortando collegam, ne sui rationem habeat in comitiis consularibus, qua una ratione ait suam gloriam augeri posse, & invidiam ex continuato Magistratu levari. *l.* 2. *c.* 10. *t.* 106.

Universa porro hæc Oratio variis, pulcherrimisque sententiis scatet, unde nil opus est aliquot solummodo decerpere.

ORATIONIS XV.
Icilii ad Appium Decemvirum de sponsa Virginia.

Argumentum.

APpius Claudius sententiam tulerat contra libertatem Virginiæ, cujus ille captus erat amore; superveniens Julius Virginiæ sponsus Appium alloquitur.

Loci communes nulli sunt.

Motus, *Confidentia*. Mores *pii*, *&* *soliciti sponsi*.

Partes Orationis tres sunt.

Ferro] *Exorditur* a violentia, & libidine Appii, ut in eum odium Populi concitet. *Lib.* 2. *c.* 4. *t.* 37.

Virginem ego] Appio multa exprobrat, nimiam potentiam, Tyrannidem, & libidinem, quod civium spon-

ſponſas violare auderet. *L. 2. c. 6. t. 73.*

Non ſi tribunitium] Decemviri ea lege creati fuerant, ut nullus alius Magiſtratus Romæ eſſet, & ne ad Populum quidem ab iis provocatio daretur, quod ipſum invidioſum erat.

Huic ſi vis] Minitatur vim, ſi cum Virginia vi agatur.

Poſtulo Appi] *Concluſio*, qua Appium hortatur, ne quidquam temere decernat, & expectari Patrem jubeat; ſe interea profitetur conſtantem fore in vindicanda libertate Puellæ. *Lib. 2. c. 5. t. 55.*

Si hujus] Hoc eſt, ſi pater permiſerit manere in ſervitute filiam, donec judicium proferatur, ei conditionem illius quærendam eſſe, ſervane ſit, an libera.

Sententiæ

- Tribunatus, & Provocatio duæ arces tuendæ libertatis.

Omnium maxime pudicitia in tuto eſſe debet.

Virum fortem vita potius deſeret, quam fides.

ORATIONIS XVI.
Seniorum ex Patribus de abrogando Decemviratu.

Argumentum.

Facta in Sacrum montem Plebis ſeceſſione, quidam ex ſenioribus Patres hortantur, ut Decemviratum abrogent, & fieri Tribunos Pleb. patiantur.

Loci communes a *Conſequentibus*, ab *Adjunctis*, & ab *Antecedentibus*.

Motus, *Timor*. Mores *Virorum prudentum*, & *Patriæ amantium*.

Nihil opus erat *Exordio*, nam res ipſa & attentionem, & benevolentiam conciliabat *L. 3. c. 14. t. 3.* adeoque ſola contentio pertractatur, cujus duæ ſunt partes.

Quid expectabitis] Prima pars *Contentionis* ita primum a *Conſequentibus* probatur. Non eſt ferendum ruere omnia, ac deflagrare.

Sed niſi Decemviri Magiſtratum deponent, ruent omnia, & deflagrabunt. *L. 2. c. 5. t. 50. & 51.* Ergo.

Tota hæc *ratiocinatio* uno tantum Epicheremate comprehenditur.

Quod antea] Per Apoſtrophem ad Decemviros ita ab *adjunctis*:

Illud eſt abrogandum Imperium, quod maxime eſt cum turpitudine conjunctum.

Sed

Sed Decemviratus talis est. Ergo.

Et probat *Assumtionem*, quia turpe est, in ea civitate imperium obtinere, in qua nulli fere sint cives, quibus jus dicatur.

Amplexi tenetis] Hoc est, per vim retinetis contra reliquorum Civium voluntatem.

Sequitur deinde ab imminenti periculo Argumentum:

Non debetis cum occasu Urbis finire imperium.

Sed urbis occasus vel a Plebe irata, vel ab hostibus imminet. Ergo.

Quid si hostes] *Assumtio* per interrogationes.

Occasune] *Propositio Major*.

In altera *Contentionis* parte ut necessaria probatur creatio Tribunorum Plebis; cumque hæc haberi non posset, nisi post abrogationem Decemviratus, ut patet ex supradictis ideo utrumque per adverbium *atqui* conjungitur.

Syllogismus talis est:

Necessario admittendi sunt Tribuni Plebis.

Ergo frustra repugnamus. *L.* 1. *c.* 4. *t.* 43.

Quidam enim in odium Tribunitiæ potestatis Decemviratum tuebantur.

Atqui aut] Dilemma, quo probatur *antecedens*, cum illud alterum omnes fateantur, sine Plebe nullam esse posse civitatem.

Novam, inexper.] Confirmatur Dilemma ab *Antecedentibus*.

Antequam gustassent dulcedinem Tribunatus, tamen vi, & secessione obtinuerunt.

Ergo jam percepta illius dulcedine vehementius in eo recuperando contendent.

Præsertim cum] Alia affertur ratio a *Caussa* finali hoc modo:

Crearunt Tribunos, ut se ab Optimatum Imperiis defenderent.

Sed nunc imperia nostra multo sunt acerbiora. Ergo.

ORATIONIS XVII.
Legatorum senatus ab Plebem
Argumentum.

POstulante Plebe tum restitui sibi tribunatum, & Provocationem, tum dedi Decemviros igni cremandos, probant alterum ut æquum, alterum ut omnino ini-

Iniquum Legati Patrum rejiciunt.

Loci communes a *Repugnantibus*, a *Contrariis*, & ab *effectis*.

Motus, *Lenitas*. Mores *Civium moderatorum*.

Tres sunt partes, *Exordium*, *Contentio*, *et Conclusio*.

Quæ consilii] Laudant ab initio, & approbant postulata, quæ attingebant Provocationem, Tribunatum, & Veniam secessionis; eaque jure, ac prudenter peti dicunt, quæ libertatis præsidia sunt.

Iræ vestræ] *Contentio* adversus postulatum de Decemviris, quod ira magis, quam consilium expresserat, & quatuor constat rationibus.

Quippe qui] Primo a *Repugnantibus*:

Qui crudelitatem oderunt, non debent esse crudeles.

Vos crudelitatem odistis. Ergo.

Et prius pene] Secundo a *Contrariis*:

Qui nondum est liber, non debet in alios dominari.

Vos nondum pene estis liberi. Ergo.

Nunquamne] Tertio *ab effectis*.

Id non est ferendum, quod statum civitatis perturbat.

Crebra civium supplicia perturbant civitatis statum. Ergo.

Scuto] Quarto *a congruo*; satis esse videlicet, si Plebs immunis fuerit ab injuriis, Patres inferre non præsumserint. *Lib.* 2. *c.* 3. *t* 17.

Si quando] *Conclusio* habet permissionem judicia in singulos exercendi per leges, ubi libertatem recuperaverint.

Sententiæ.

Iræ magis ignoscendum est, quam indulgendum.
Sæpe odio crudelitatis in crudelitatem ruimus.
Plebi scuto magis, quam gladio opus est.
Satis est humilis, qui jure æquo in civitate vivit.
Qui non infert, nec pati injuriam debet.

ORATIONIS XVIII.
Legatorum ad Plebem Romanam
Argumentum.

JUssis Decemviris abdicare se Magistratu, mittuntur a Patribus Legati ad Plebem, qui eidem reditum in Urbem hac oratione suadent.

Loci communes ab *Adjunctis*.

Mo-

Motus, *Confidentia*. Mores *Virorum gravium*.

Tria præstant, 1. hortantur redire in Patriam. 2. servare in Urbe eam modestiam, quam in secessione retinuerint. 3. creare in Monte Aventino Tribunos Plebis.

Quod bonum] Prima pars cum formula precationis Romanis usitata.

Sed quæ hic] Altera pars de retinenda modestia, quam cum servaverint, ubi rerum omnium egebant, multo magis Romæ servanda erat

Ibi felici loco] Optimum ajunt esse creari in eo loco Tribunos Plebis, ubi primum instituta est Tribunitia potestas.

Pontifex maximus] Qui nimirum more Majorum, deficientibus reliquis Magistratibus, tributa comitia habere solebat.

ORATIONIS XIX.
Virginii adversus Appium

Argumentum.

A Virginius apud Populum Appium accusat, quod tempore Decemviratus Filiæ Virginiæ secundum libertatem vindicias non dedisset contra Leges.

Loci communes ab *effectis*.

Motus, *Ira*. Mores *viri moderati*.

Oratio] Duas assignat caussas, cur longa oratione uti nolit in exaggeranda Appii crudelitate. Prima est:

Ea dicendo persequi non debeo, quæ minime dubia sunt.

Appii crudelitas minime est dubia. Ergo.

Oratio] *Propositio* Major.

Itaque neque] *Assumtio* comprobata ab effectis.

Nec istum] Altera caussa, cur tacere velit, ne se Appius impudentem præbeat, hoc modo:

Ille impudens est, qui negat ea, quæ vera sunt.

Sed si ego accusavero, Appius se defendet, negando, quæ verissima sunt.

Ergo si accusavero, ille se per impudentiam defendet.

Omnium] *Accusatio* duplex tum eorum, quæ impie, & nefarie gesserat in Decemviratu per præteritionem ironicam, tum rei male judicatæ, quod contra Leges dare vindicias secundum libertatem negasset. Negaverat enim, Virginiam manere in libertate, donec illius judicium absolveretur. *Lib.* 2. *t.* 12.

Sen-

Sententia.

Oratio rebus dubiis inventa est.

ORATIONIS XX.

Horatii Consulis ad Milites

Argumentum.

HOratius Consul contra Sabinos castra habens, audita Valerii collegæ victoria, hac oratione Milites ad pugnam exstimulat.

Loci communes a *comparatione*.

Motus, *Æmulatio*. Mores *Ducis obsequentis militibus*.

Exemplo *Militum*, qui sub Valerio prospere in Algido pugnaverant, suos excitat, hac ratione, a *Comparatione*: Non minus fortes vos esse debetis, quam Valerii milites:

Sed illi strenue pugnarunt. Ergo,

Propositio pendet ex dictis ab *Arist. l.* 2. *c.* 11. *t.* 116.

Quemadmodum] *Assumtio* Syllogismi.

Quod ad me] Ut sibi benevolum exercitum faciat, ait, se ad utrumque paratum esse, sive trahi bellum, sive mature perfici velint.

Sententia.

Consilio Ducis, & virtute militum victoria paratur.

ORATIONIS XXI.

Q. Capitolini ad Populum discordem

Argumentum.

CApta occasione discordiæ, quæ Patres inter, & Plebem Romæ vigebat, Æqui Volscique populabundi ad mœnia usque accessere. Quamobrem Consul Q. Capitolinus de reconcilianda concordia, armisque capessendis hanc habuit Orationem.

Loci communes a *Caussis*, ab *effectis*, & *simili*.

Motus, *Pudor*, & *Metus*. Mores *Civis* de *Rep. soliciti*.

Dividitur in tres partes, *Exordium*, *Contentionem*, *Perorationem*.

Etsi mihi] *Exorditur* a magnitudine ignominiæ, quam amplificat ab *Adjunctis* personarum, ex eo maxime, quod se consule illata sit, qui omnes hostium injurias semper fortiter ultus fuerit. *Lib.* 2. *c.* 6. *t.* 3.

Hanc ego] Adeo magnam esse ait, ut, si eam prævidisset, mortem voluntariam quarto consulatui præ-

ver-

vertiſſet; ſi alia fuga honoris non eſſet, hoc eſt ſi alia via evitare honorem illum non potuiſſet. Addit autem rationem, quia glorioſior illi mors futura erat poſt geſtum tertium conſulatum.

Quem tandem] Ut propius ad cauſſam accedat, quærit, quis in culpa fuerit tantæ acceptæ ignominiæ, & ad captandam *benevolentiam* neque aperte Plebem incuſat, *L.* 2. *c.* 3. *tex.* 2. neque illi pœnam aliquam, niſi Pœnitentiam, ominatur

Non illi] Cum ſupra Plebi culpam attribuendam innuerit, in *contentione* primum probat, hanc hoſtibus natam confidentiam ex civilibus diſcordiis. *L.* 2. *c.* 5. *tex.* 60. hujuſmodi Syllogiſmo a *Cauſſis*:

Confidentiam hoſtibus dedit aut eorum virtus, aut veſtra ignavia, aut diſcordia.

Non eorum virtus, neque veſtra ignavia. Ergo veſtræ diſcordiæ.

Propoſitio patet ex ſufficienti diſtributione cauſſarum; *Aſſumtio* ab *Antecedentibus* confirmatur.

Non illi] *Aſſumtio*.

Quippe toties] Confirmatio *Aſſumtionis*.

Diſcordia ordinum] *Concluſio* Syllogiſmi neque Patritios a culpa excludit, ne malevolo in Plebem animo loqui videatur.

His præmiſſis, quadruplici ex capite probat, redintegrandam eſſe Pacem. 1. quod contendendi nulla adſit juſta cauſſa. 2. quod diſcordia pernicioſa ſit Reip. 3. quod omnibus etiam privatim damnum importet. 4. quod neceſſario capienda ſint arma. Primus igitur Syllogiſmus ita ab Effectis:

Plebs non debet juſtam cauſſam contendendi cum Patribus, ſi nihil illi ab his denegatum fuerit; *Lib.* 2. *c.* 4. *t.* 23. Sed nihil Patres Plebi denegarunt. Ergo.

Proh deum fidem] *Aſſumtio* ab enumeratione omnium, quæ Plebs obtinuerat, figuris illuſtrata.

Conſules facere] Non quod ex Plebe Conſules creati fuerint, ſed quia ex Patritiis duo maxime Populares Valerius, & Horatius ſtatim poſt ſeceſſionem conſules facti ſunt in gratiam Plebis.

Scita plebis] Legem Horatiam innuit Centuriatis Comitiis latam, ut quod tributim Plebs juſſiſſet, Populum teneret.

Qui finis erit] *Concluſio* conſequens ex dictis; cum nos omnia cedentes tanquam victi quieſcamus, vos etiam

tiam omnia consequuti, adeoque nullam habentes justam querelam, debetis quiescere.

Arguit secundo loco tali ratione: Id tollendum, quod est Reipub. perniciosum. *Lib. 1. c. 6. t. 69.*

Discordiæ perniciosæ sunt Reip. Ergo.

Et confirmatur ab *Effectis*: vim inferri Patritiis, agros uri, hostes mœnibus impune insultare, sunt detrimento Reip.

Sed hæc omnia ex discordiis proficiscuntur. Ergo.

Satisne est] *Propositio* secundi Syllogismi, pulcherrimis figuris Concessione, Ironia, & Hypotyposi adornata.

At enim] *Assumtio* ejusdem Syllogismi, per discordias enim ait rem communem loco esse pejore.

Tertio a privata *utilitate*, hujusmodi Syllogismo a *contrariis*:

Vos privatis vestris commodis consulere debetis:

Sed res vestræ privatæ discordiis augentur, bello imminuuntur.

Ergo bellum suscipere, discordias deponere debetis.

Quid tandem] Prima pars *Assumtionis*, & vocantur in invidiam Tribuni, qui Plebi neque utiles essent, & plurima incommoda importarent. *Ex Arist. l. 2. c. 4. t. 23.*

A quibus semper) hoc est mala, quæ ex his discordiis dimanant, alieno auxilio, & virtute repellatis; alludit autem ad Tusculanos, qui auxilio venerant contra Herdonium Capitolium occupantem.

At hercule] Altera pars *Assumtionis*, quæ plurima habet commoda ex bello, & imperio Consulari; quibus opponit præsens damnum ex hostili incursione.

Nunc oneratum] Ultimo argumentatur ab necessitate belli, tali ratione:

Bellum geri non potest, nisi depositis discordiis:

Sed bellum necessarium est. Ergo deponendæ discordiæ.

Propositio certa est, quia Tribuni per discordias delectum haberi non sinebant.

Hærete] *Assumtio* cum invidiosa concessione, eamque amplificat a simili:

Quia biennio ante ire in Algidum recusastis, nunc ante portas est bellum.

Ergo si neque nunc exibitis, intra mœnia quam primum erit. Ergo.

Multiplex bellum] Tum quia non solum de gloria, sed etiam

etiam de Patria, & libertate dimicare cogemur: tum quia multi alii hostes insurgent, videntes nos desides manere domi. *Arist.l.* 1. c. 12. t. 223.

Sequitur *Conclusio*, in qua tria præstat; sibi benevolentiam conciliat, dicenti, quod e Rep. sit; Tribunis invidiam, quod suis tantum privatis commodis inserviant; tandem hortatur ad arma capienda, spe certæ victoriæ proposita.

His ego gratiora] Idem etiam sæpe facit Demosthenes in Philipp. & summam vim habet ad conciliandam benevolentiam.

Sua caussa loquitur] Qui scilicet in dicendo privatis suis commodis studet, nihilque est de Rep. sollicitus.

Nisi fort] In Tribunos invehitur, quos asserit sua caussa omnia agere, non in gratiam Plebis, ut simulant. Et hoc odium concitat. *Lib.* 2. c. 4. *tex.* 26.

Nec in otio] Vos enim per novas discordias semper magis in dies stimulantes, ne otio quidem frui sinunt.

Malæ rei, quam] Turbas, & seditiones excitant, quæ res malæ sunt.

Quarum rerum] Tertia pars *Conclusionis*.

Sententiæ.

Discordia Ordinum venenum est Urbis.

Iniquum est victos æquiore animo quiescere, quam victores.

Sæpe ex brevi otio multiplex bellum oritur.

Qui apud multitudinem sua caussa loquitur, gratior est eo, cujus mens nihil præter publicum commodum videt.

Ex Dec. 1. Lib. 4.

ORATIONIS XXII.

C. Canuleji Tribuni ad Plebem

Argumentum.

C. Canulejus Tribunus Plebis duas Leges promulgaverat; alteram de connubio Patrum, & Plebis; alteram de Consulatu etiam a Plebeiis obtinendo, quas cum Patres reprobarent, ita in eos Canulejus vocata ad concionem Plebe invectus est.

Loci communes ab *Effectis*, a *Comparatione*, a *simili*, & a *Caussis*.

Motus, *Indignatio*. Mores *viri Popularis*.

Tres sunt partes, *Exordium*, *Contentio*, & *Peroratio*.

Quantopere] Ostendit in Exordio, maximo in contemtu

temtu Plebem haberi a Patritiis, ut eos odio, & pari malevolentia dignos faciat; utitur autem hoc Syllogismo ab Effectis. *l. 2. c. 2. tex. 9.*

Illi maxime contemnuntur, quorum justa postulata adhibitis minis rejiciuntur.
Sed nos justa petimus, & a patritiis vi, & minis rejicimur.
Ergo maxime ab iis contemnimur.

Quantopere vos] *Conclusio* Syllogismi.

Quibus quid aliud] *Assumtionis* prima pars, quæ primum generice probatur hoc modo: Æquum est, vos nobiscum agere, ut cum civibus ejusdem Patriæ.
Sed hoc habent nostra postulata. Ergo justa sunt.

Altera] Singillatim ad utramque Legem descendit, & primum quoad Connubium a comparatione sic Externis datur Connubium.
Ergo justum est dari etiam nobis.

Nos quidem] Rursus a *comparatione Majorum:*
Data est civitas hostibus.
Sed Civitas plus est, quam Connubium.
Ergo justum est, dari nobis Connubium.

Altera nihil] De Consulatu Plebeiis dando probat esse justum postulatum, hoc modo;
Juste repetimus, quod nostrum est. Sed libera habemus suffragia.
Ergo juste repetimus facultatem ea dandi, cui lubet.

Quid tandem est] Altera pars *Assumtionis.*

Si populo Rom.] Utrumque simul pertractat, ostenditque Patritios malevolos esse Plebi, quod æque indignantur dari Plebejo consulatum, quasi servo, aut Libertino daretur: *ex Arist. lib. 2. c. 9. tex. 101.*

Ecquid sentitis] Repetitio ejusdem *Conclusionis*, cum acerbitate maxima, & invidia.

Hostibus etiam victis] Hostibus Sabinis Civitatem Romulus dedit, Hostilius Albanis, quibusdam ex Latinis Populis Ancus. *Liv. l. 1.*

Quin etiam] Incipit *Contentio*, cujus duæ sunt partes, in quarum prima agitur de Consulatu a Plebe obtinendo: in altera de connubio. Proponit igitur sententiam Patrum, qui non solum indignabantur, sed etiam nefas esse dicebant, Consulem Plebejum fieri, eosque refutat tali ratione a *Comparatione parium*, & *minorum.*
Majores nostri dederunt Regnum advenis, Consulatum peregrinis.

Sed

Sed Consules sunt loco Regum, & minus dedecet dari Consulatum Plebejo, quam Peregrino. Ergo & nos possumus creare Consulem Plebejum, si dignus fuerit.

Obsecro vos] Prima pars *Assumtionis*.

En unquam creditis] *Propositionis* prima pars amplificata Exemplis Numæ, C. Tarquinii, S. Tullii, & T. Tatii.

Ergo dum nullum) Et tamen his Regibus bene administratum est Imperium; & inde fit transitus ad secundam partem.

Claudiam certo) Altera pars *Propositionis*.

Ex peregrinone) *Assumtionis* secunda pars, ubi Interrogatio vim habet negationis.

Utrum tandem,) *Complexio* Syllogismi illustrata a *Contrariis*, cum Decemviri Patritii fuerint, Reges illi novi homines.

Si non ad fastos) Publicos enim fastos Patritii servabant, & nondum cœpti fuerant creari ex Plebe Pontifices.

Populi jussu) Primis temporibus post electionem Populi auctoritas Patrum intercedebat, postea vero e contra institutum est, ut primum patres auctores fierent, deinde Populus juberet.

Patre nullo) Hoc est incerto, Livius tamen *lib.* 1. putat Serv. Tullium non fuisse natum matre serva, & Patrem ejus facit virum in Urbe Corniculo principem.

Novis hominibus) Dicebantur novi homines, quorum Majores ad honores non pervenerant, quales etiam fuerunt Marius, & Cicero.

Hinc transit ad alterum, quod objiciebant Patritii, inusitatum in Rep. esse, ex Plebe Consulem creari, cui respondet per *Inductionem* hoc syllogismo a simili.

Non est absurdum innovare aliquid in ea Urbe, in qua multa alia innovata sunt.

Sed multa Romæ nova instituta sunt. Ergo.

At enim) Patrum objectio.

Quid postea) Antequam ad argumentum accedat, præmittit necessitatem aliqua semper innovandi, quæ utilia visa fuerint, in nova maxime Urbe, *ex Arist. l.* 1. c. 11. *tex.* 199.

Pontifices) *Assumtio* Syllogismi.

Ædiles) hoc est Plebeii, nam Curules creati sunt multis post annis, L. Sextio primo ex Plebe Consule. *Liv. lib.* 7.

Que-

Quæstores) Duos ab initio creatos Quæstores alii Rege Hostilio dicunt, alii cum Plutarcho, Consule Valerio Poplicola.

Hoc ipsum, ne) Legem Decemviralem de non miscendis Connubiis inter Patres, & Plebem ultimo affert, ut invidiosa *Comparatione* Patritiorum malevolentiam designet: transit autem ad alteram *Contentionis* partem, legemque de Connubiis a Decemviris latam iniquam esse probat a *Caussa* finali.

Lex in Plebis contumeliam lata est iniqua, & abroganda.

Lex Decemviralis de connubiis lata est in contumeliam Plebis.

Ergo est iniqua, & abroganda.

An esse ulla) *Assumtio*, & ad excitandam invidiam diremtio illa Connubiorum exilium vocatur, & relegatio. Confirmatur autem a remotione alterius caussæ, quæ ab optimatibus assignabatur, hoc modo:

Ea Lex lata est vel in contumeliam Plebis, vel ne sociaretur sanguis.

Sed frustra lege cavetur societas sanguinis. Ergo in contumeliam.

Ne affinitatibus) *Propositio* quoad secundam partem, adeoque caussa per Patritios allata.

Quid hoc si) *Assumtio* ex eo confirmata, quod privato consilio impedire Patres poterant cum Plebe connubia, nec Plebs unquam coegisset. Ubi exprobrat etiam quibusdam ex Patribus adventitiam, non ingenitam nobilitatem.

Cur enim non) Alia ratione a simili eadem *Assumtio* illustratur.

Ne sit connubium divitibus, & pauperibus, non lege cavetur, sed privatum consilium satis est.

Ergo sine lege satis impediretur connubium Patrum, & Plebis privato consilio.

Quod privatorum] *Complexio* Syllogismi.

Amplificat deinde contumeliam Plebi a Patribus illatam a *Consequentibus* hoc Syllogismo: Sancire, ne communia Plebs cum Patribus habeat Iter, Convivium, Forum, contumeliosum est. Sed eandem refert contumeliam Lex de Connubio. Ergo contumeliosa est Plebi.

Cur non sancitis] *Propositio* per interrogationem expressa indignationis plenam, *Ex Arist. l. 2. c. 6. t. 66.*

Quid enim] *Assumtio*, ejusque approbatio, quia cum liberi sequantur Patrem, neque nati ex Plebeja desinent

 esse

esse ex Patritiis, neque filii Matris Patritiæ, & Plebeii Patris generis conditionem mutabunt.

Ne quod nos] *Concludit*: maxima ergo contumelia nos afficitis, si rejiciatis nos modo petentes, ut hominum, ut civium numero simus.

Denique utrum] Redarguit insolentiam Patrum, qui minitabantur se per vim effecturos, *l.* 1. *c.* 11. *t.* 188. ne Leges illæ promulgarentur, hoc argumento a jure Populi:

> Iniquus est, qui quempiam impedit, ne utatur jure suo.
> Sed jus est Pop. Rom., ut, si velit, legem jubeat. Ergo

Quid si non] Ne periculum certaminis detineret Plebem, probat nunquam fore, ut ad vim, & arma Optimates veniant, tum quia bis antea eadem minitati, haud tamen perfecerant, tum quia Plebs firmior erat, & plus valebat.

Itaque] Ultima Orationis pars. *Conclusio*, qua per Apostrophem ad Consules se statuisse declarat, aut haberi delectum permittere, si Leges promulgari ipsi sinant; aut, si contra nitantur, impedire, ne quispiam militiæ nomen daret.

Sententiæ.

> Res etiam novæ institui debent, si utiles Reip. sint.
> Nemo Plebejus vim affert Patritiæ Virgini: Patritiorum ista libido est.
> Patrem sequuntur Liberi.
> Raro quæ pars firmior est, eadem est etiam modestior.

ORATIONIS XXIII.
Vectij Messij Volscorum Regis ad Milites
Argumentum.

Volscos in pugna adversus Romanos in fugam versos Rex eorum Vectius Messius ad strenue pugnandum hac Oratione hortatus est.

Loci communes a *Repugnantibus*.

Motus, *Verecundia*, & *Confidentia*. Mores *Viri imperterriti*.

Nullo utitur *Exordio*, utpote in re subita: in Contentione autem milites duplici argumento ad strenue pugnandum hortatur, a *turpi*, & *necessario*.

Hic præbituri] Primo igitur sic a *Repugnantibus*. Non decet viros armatos, & qui bellum intulerunt, inultos

ros mori. *Arist. c. 9. l. 1. t. 100.*

Vos estis armati, & bellum intulistis. Ergo.

Hic præbitur] *Complexio* syllogismi.

Quid igitur] *Assumtio*.

Alterum Argumentum ab evidentia periculi sic procedit.

Tum fortiter pugnandum est, cum nulla alia salutis spes est.

Sed vobis nulla alia est spes salutis, *c. 9. l. 1. t. 147.* Ergo.

Quid hic] *Assumtio*. Quid, inquit, circumventis undique ab hostibus spei est,

An deum] Approbatio *Assumtionis*: non enim vobis Deus auxilio venerit, nisi vestra vos virtus tueatur.

Ferro via] Ad erumpendum per medios hostes hortatur exemplo sui ipsius, qua una ratione redire possunt in Patriam, *lib. 2. c. 5. t. 58.*

Non murus [*Conclusio*, qua, ne penitus omnem spem abjiciant, admonet, viros armatos esse, qui impedirent, quos proinde, cum & ipsi armati essent, timere non debebant. *l. 2. c. 5. tex. 59.*

Virtute pares] Alia ratione confidentes milites facit, quod hostes sola Virtus firmaret, suos & virtus, & necessitas.

Sententiæ.

In otio tumultuosi, in bello sæpe segnes sunt.

Necessitas ultimum, ac maximum telum est.

ORATIONIS XXIV.

Marc. Æmilii ad Milites.

Argumentum.

Hostes facibus armatos cum Romanus miles timeret in pugna cum Fidenatibus admissa, ita Dictator Marc. Æmilius eos excitare conatus est.

Loci communes ab *Adjunctis*, & ab *Antecedentibus*.

Motus, *Pudor*. Mores *prudentis Imperatoris*.

Triplici ratione dubios milites, & illa inusitata acie territos confirmat, & ad pugnam inflammat: quod turpe sit hosti cedere, ut se parta sua, & majorum virtute gloria dignos præbeant, & ut ulciscãtur injurias.

Fumone] Primo igitur sic ab *Adjunctis*, ubi etiam adest pulcherrima *Allegoria*.

Turpe est timere hostes inermes, & solis armatos facibus, *l. 2. c. 5. t. 40.*

Talis est hostium acies. Ergo turpe est eos fortiter non repellere.

Agite nominis] Secundo sic ab *Antecedentibus*.

Majores vestri, & vos ipsi semper in omnibus bellis strenui extitistis.

Ergo & nunc fortes esse debetis, *Arist. l.* 2. *c.* 11. *t.* 116.

Ex suis flammis] Commemorat beneficia Fidenatibus a Rom. Rep. collata, ut majori contra eos odio inflammentur, quippe ingratos. *l.* 2. *c.* 7. *t.* 65.

Legatorum] Ultimo ab acceptis injuriis, tali ratione.

Eos ulcisci debemus, qui nos maximis injuriis affecere. *Arist. c.* 11. *l.* 1. *t.* 226.

Sed Fidenates maximis nos affecere injuriis. Ergo

Legatorum] Legati Romani Fidenis interfecti fuerant, non hoc in bello, sed tempore primæ defectionis, & jam pœnas dederant, capta Urbe a Q. Servilio Dictatore.

ORATIONIS XXV.

C. Julii Tribuni ad S. Tempanium

Argumentum.

RE male gesta contra Volscos Sempronio Consule, redeuntem ex prælio S. Tempanium Decurionem Equitum, cujus virtute pugna redintegrata fuerat, C. Julius Tribunus ita alloquitur.

Loci communes nulli sunt.

Motus, *Indignatio*. Mores *hominis seditiosi*.

Tres habet hæc *Interrogatio* partes; prima comprehendit ea, quæ pugnam præcessere, secunda quidquid in ipso certamine gestum fuerat, tertia pugnæ eventum respicit.

Sex. Tempani] Quærit, num Sempronius Consul in prælio ineundo functus fuerit boni Consulis officio; maxime vero quoad tempus pugnæ opportunum, & in firmanda subsidiis acie. Ut plurimum autem Triarii collocabantur in subsidiis, qui post aciem nixi genibus subsidebant.

Et tu ne ipse] Quærit secundo loco, cum Tempanius pugnam restituerit, an id fecerit jussu Consulis, & an ille exclusis Equitibus opem ullam tulerit; utrumque enim, quippe Dux exercitus, præstare debuerat.

Postero denique] Tertio interrogat de pugnæ eventu: 1. an ipse cum Equitibus sine ullo præsidio sola sua virtute evaserit; 2. an Consul castra, & saucios deseruerit; 3. ipsine vicerint, an hostes.

Desertus sit] Hæc est acerbissima omnium Interrogatio, qua perstringit Sempronium, quasi ipse fortissimos

mos milites, & optime de Rep. meritos hostibus prodiderit, nullo misso præsidio.

ORATIONIS XXVI.

Sextii Tribuni Pl. contra P. Postumium.

Argumentum.

P. Postumium Tribunum Militum malum minitantem militibus apud iratam Plebem Sextius Tribunus Pl. objurgat, & ad deferendos honores Plebeiis hortatur Populum.

Loci communes ab *Effectis*.

Motus, *Indignatio*. Mores *Viri Popularis*.

Tres sunt partes, *Exordium*, *Contentio*, & *Conclusio*.

Auditis] *Exorditur* a superbia Postumii; qui liberis Civibus ea minitatus fuerat, quæ propria servorum erant supplicia, & indignantem per se Plebem deterrima comparatione magis accendit. *l. 2. c. 3. t. 16.*

Tamen hæc] Transit ad contentionem, in qua coarguit Plebem ipsam demandantem honores Patritiis, non Plebeiis, hoc syllogismo.

Ii sunt redarguendi, qui honores mandant male merentibus, non benemeritis.

Sed vos honores mandatis male de vobis meritis Patritiis, non optime meritis ex Plebe. Ergo.

Tamen hæc] *Assumtio*, quæ maximum habet Tribunorum Pl. beneficium, Colonias deducentium in gratiam Plebis, repugnantibus Patritiis.

Qui vos urbe] Urbe dicit donatos, non Civitate; nam qui mittebantur in Colonias, Urbem, & tecta mutabant, jus Romanæ Civitatis retinebant.

Incipite demum] Ab *Effectis* idem exaggerat, quod pauci idcirco sint Plebis Patroni, quia nulla habent certaminum præmia proposita, & in eorum potestate constituta, qui Plebi adversantur.

Ingemuistis] *Conclusio*, qua negat esse, cur doleant de superbo illo Postumii dicto, cum indignatione multo majori dignum sit, præferri malum Plebi minitantes iis, qui bene Plebi facere student.

Jam si suff agium] Voce dabatur suffragium, cœptum est autem dari suffragium tabellis anno Urbis 615.

Han] Non tam Postumium, quam Patritios Postumio similes eo loco designat; superbia enim commune erat Patribus vitium.

ORATIONIS XXVII.
Ap. Claudii ad Plebem.
Argumentum.

CUm quererentur Tribuni Plebis, continuari ad Vejos bellum, & milites in hibernaculis contineri, Ap. Claudius vocata Plebis concione, ut utrumque utile Reipubl. fore ostenderet, hanc habuit orationem.

Loci communes ab *Effectis*, a *Consequentibus*, & *a Comparatione*.

Motus, *Timor*, & *Indignatio*. Mores *viri prudentis*, *deque Patria soliciti*.

Dividitur hæc oratio in quatuor partes, *Exordium*, *Propositionem*, *Contentionem*, & *Perorationem*.

Si unquam] *Benevolentiam* Patribus in *Exordio* conciliat, quippe optime de Plebe meritis. *l. 2. cap. 4. tex. 23.* & malevolentiam Tribunorum exagitat, qui omnia non Plebis, sed sua caussa faciant, quod supra & Cincinnatus exprobraverat; idque ostendit tali ratione: Ille sua, non Plebis caussa seditiosus est, qui concordiam odit. Sed Tribuni oderunt concordiam ordinum. Ergo.

Propositio patet, sicut enim bellum propter pacem, ita etiam discordiæ propter unam concordiam excitari solent.

Si unquam] *Complexio*.

An est quisquam] Approbatio *Assumtionis*, quod tribuni repugnassent anno superiore Patribus decernentibus dari militibus de publico stipendium, ut hoc munere Plebem delinirent.

Quid illos] *Assumtio* cum invidiosa similitudine.

Utrum enim] Per Apostrophem ad Tribunos idem fere Argumentum prosequitur iridem ab *Effectis*: Si Vobis caussa Plebis cordi est, non debet esse molestum conferri a Patribus beneficia in Plebem, ut ejus obsequium sibi concilient.

Sed hoc vobis maxime molestum est. Ergo.

Cum *Assumtio* manifesta sit, probatur *Propositio a Dissimili*, quia non eodem modo agere debent cum Plebe Tribuni, ac Domini cum servis suis, & hoc ad invidiam. *l. 2. cap. 9. tex. 95.*

Quanto tandem] *Propositio* Syllogismi.

Quæ si perpetua] Alia approbatio *Propositionis* a *Consequentibus*.

Atqui

Atqui ego] *Propositio* totius orationis, quæ duo sibi probanda assumit; 1. non esse recusanda hybernacula ab iis, qui stipendium de publico accipiant; 2. oppugnationem Vejorum utilem, & necessariam esse Reip.

Quoad primam agitur *Contentionis* partem, eam unico probat Syllogismo ab *æquo*.

Opera, & emolumentum non sine proportione esse debent.

Sed aliquid novi commodi vobis adjectum est.

Ergo & opera augeri debet.

Quam orationem] Ostendit, se maxime caussæ confidere, quam justam, & honestam esse vel ipse exercitus, cujus hoc interest, ex Adversariorum Orationibus conjiciat.

Negabant] Epicherema, quo universa ratiocinatio egregie comprehenditur.

Nusquam] *Propositio* Syllogismi.

Moleste] *Assumtio*.

Æquo igitur) *Complexio*, quæ duo concludit; tum protrahendum esse tempus militiæ, quia novum commodum miles e Rep. percipit, tum annuam debere esse militiam, quia & annuum accipit stipendium.

An si ad calculos] Hoc est si te Resp. vocet ad ineundam accepti, & expensi rationem; sicut etiam dicimus vocare ad calculos amicitiam.

In secunda parte probat, expugnandos esse Vejos, 1. quia id postulat dignitas pop. Rom. 2. quia illa expugnatio utilis est Reip., 3. quia ad augendam militarem disciplinam plurimum valebit.

A dignitate sic arguit: Indignum est semel susceptum bellum non perfici, *l. 2. c. 6. t. 65.*

Sed jam bellum cum Vejentibus suscepimus, nec perfici potest, nisi captis Vejis.

Ergo perfici debet per Urbis oppugnationem.

Invitus) *Excusatio*, quod ad Cives tanquam ad Mercenarios verba habeat, adeoque transitus ad alteram partem.

Aut non suscipi] *Propositio*.

Perficietur autem] *Assumtio* quoad secundam partem, prima enim non eget probatione, & evidens est.

Decem quondam] *Propositionis* approbatio ab exemplo Græcorum.

Oppugnationem annuam] Camillus Dictator decem annos obsessos Vejos cepit, sed Appius ad erigendos Plebis animos, spe facilis expugnationis, annuam dicit futuram.

Silicet quia] Eamdem *propositionem* confirmat a *caussis* belli:

Illud bellum perficiendum est, cujus suscipiendi gravissimæ caussæ fuerunt;
Sed hujus belli suscipiendi caussæ gravissimæ fuerunt. Ergo.

Silicet quia] *Assumtio* per Ironiam expressa.

Septies] Enumerat injurias omnes a Vejentibus illatas. *l.* 2. *c.* 2. *t.* 12.

Cum his molliter] *Complexio* hujus Syllogismi.

Ostendit deinde, Vejorum oppugnationem utilem fore Reip. hac ratione a *Consequentibus*: Perniciosum est Reip. vastari civium agros, dissipari maximum, & summo cum labore instructum apparatum, cum universa Hetruria bellum gerere. Sed hæc omnia non evitari possunt, nisi continuata Vejorum oppugnatione.

Ergo perniciosum est Reip. illam oppugnationem non continuari. Ergo.

Operibus ingentibus] Prima pars *Assumtionis*; nunc enim obsessa acriter urbe erumpere ad prædandum non possunt: at si reducimus exercitum, ubi in suis Agris incultis, & vastatis nihil invenerint, nostros populabuntur.

Quid? illud] Alterum *Assumtionis* membrum, quod maximus apparatus ad expugnandos Vejos jam instructus de integro ad æstatem reficiendus sit, si nunc reducatur exercitus. Tribunos autem accusat, utpote parum militum commodis consulentes, quibus & anteadandum stipendium negaverint, nunc duplicari laborem velint. *l.* 2. *c.* 2. *t.* 12.

Quid vineas] Vineæ instrumentum erat bellicum, quo tecti milites propius ad hostium mœnia accedebant; testudo vero erat machina bellica, qua utebantur ad muros subvertendos.

Quid? periculis] Tertia pars de bello ab Hetruria imminente; quamvis enim nunc Hetrusci sint irati Vejentibus, quod Regem creaverint; reconciliari tamen possunt, vel alia legatione missa, vel mutata Reip. forma. *l.* 1. *c.* 6. *t.* 78.

Si laxamentum] hoc est, si ab obsidione tantisper recesserimus.

Videte quot res] Omnia illa tria simul repetit, quæ necessario futura in perniciem Reip. contendit, si dissolvatur obsidio.

Hæc sunt, tribuni] *Complexio* totius Argumenti, qua Tri-

Tribunos auctores facit tantorum malorum, pulcherrima usus similitudine.

Fortiter passus] Qui se efficacibus, adeoque salutaribus remediis curari passus fuerit.

Si medius fidius] Ultimo probat, ad disciplinam militarem plurimum interesse continuari etiam per hiemem oppugnationem, hoc modo a *Comparationem iniorum*.

Turpe est militi eam non adhibere in bellis patientiam, quam in Venationibus adhibet. Sed in venando neque nives, neque pruinas timet. Ergo neque in bello gerendo timere debet.

Obsecro vos] *Assumtio*.

Belli necessitatibus] *Complexio* illustrata a contrariis; in bello enim ex necessitate sic agimus; in venationibus autem trahimur voluptate.

Deinde sic a *Caussis*: Turpe est militi videri mollem. *l. 2. c. 6. s. 65.*

Sed maximam indicat mollitiem, non posse unam hiemem manere in castris.

Ergo hæc nota maxime a milite vitanda est.

Adeone] *Assumtio* confirmata a dissimili; non enim in castris observanda sunt anni tempora, sicut navale bellum gerentibus.

Erubescant] *Complexio*, quæ reprehensionem præterea Tribunorum habet, quod inertiæ, mollitiæque Patroni sint.

Et meminisse] Innuit, creatos prima vice Tribunos in Aventino monte, quo Plebs irata Patribus secesserat; atque adeo videri absurdum, eam potestatem militiæ inimicam esse, quæ prope ex castris ortum duxerit

Tandem sic alia ratione: Nulla Virtus magis convenit Rom. Militi, quam perseverantia.

Sed hæc maxime apparet in obsidendis Urbibus. Ergo.

Hæc virtute] *Propositio* amplificata a *consequentibus*, a diversa scilicet opinione, quam de Romanis habituri sunt finitimi, si perseverantes in bello sint, & si tam levi de caussa a bello desistant.

An mediocre] hoc est, an parum diversam hac ex re de vobis opinionem secuturam putatis?

Quæ in omni] *Assumtio*; additque spem facilis expugnationis Vejorum, nisi impedimento fuerint Tribuni, ex quo nimirum transitum facit ad Perorationem.

An est quicquam] In *Peroratione* Tribunos reprehendit,

dir, quod per seditionem conentur deterrere Plebem ab Urbis expugnatione; idque exaggerat quatuor rationibus, & imprimis ex eo, quod nihil gratius Vejentibus hostibus futurum sit. *Arist. l. 1. c. 6. tex. 77.*

At Hercule] Secundo a *comparatione* parium:

Hostes inultos seditionis auctores non ferrent.
Ergo nos impune eos perferre turpe est.

Fustuarium] Tertio a *comparatione* minorum tali pacto.

Qui signa relinquit, fuste plectitur. *l. 2. cap. 6. tex. 65.*
Sed hortari universum exercitum, ut signa deserat, multo majus peccatum est, *l. 1. c. 14. t. 255.* Ergo non impune ferendum.

Reliquum est] Quarto ab evidenti periculo, ne corrupta seditionibus Civitate, ipsa etiam castra corrumpantur, & Ducibus parere milites recusent, quod Patriæ perniciosissimum foret.

Sententiæ.

Servis nihil rei esse debet cum alienis hominibus.
Nusquam nec opera sine emolumento, nec emolumentum ferme sine impensa opera est.
Labor, voluptasque, dissimillima natura, societate quadam inter se naturali sunt juncta.
Ille laude dignus Rex est, qui obstare Regnum suum saluti Civium nolit.
Perseverantia in omni quidem genere militiæ, maxime tamen in obsidendis Urbibus necessaria est.
Urbes etiam inexpugnabiles fame, sitique tempus ipsum expugnat.

ORATIONIS XXVIII.
P. Licinii ad Populum

Argumentum.

P. Licinius Calvus delatum sibi Tribunatum Militarem, ut Filio potius deferat, Populum hac Oratione precatur.

Loci communes nulli sunt.

Motus, *Amor.* Mores *pii Patris.*

Tria præstat in hac Oratione, 1. laudat consilium Populi de reficiendis iis Tribunis, qui alia vice eumdem Magistratum gessissent; 2. se ipse excusat; 3. pro filio preces adhibet.

Omen concordiæ] Prima pars, qua duplici ex capite probat optimum esse, eosdem reficere Tribunos, qui secum nonnullis ante annis creati fuissent; tum quia id ad concordiam maxime valet; tum quia experientia meliores

meliores facti sunt. *l. 2. c. ult. t. 67.*

Me jam non] Excusat se tanquam minime idoneum ratione ætatis ad summum imperium administrandum. *l. 2. c. 13. t. 134. & 135.*

En vobis] Filium suum Populo commendat, eum laudando, utpote sui effigiem, suaque institutum disciplina, precibus præterea pro eodem adjectis.

Omen concordiæ] Cum enim Licinius primus ex Plebe creatus est Tribunus Militum, maxime viguit inter omnes ordines concordia.

Sententiæ.

Concordia res est in rebus maxime adversis utilis.
Omnes Magistratus usu meliores fiunt.

ORATIONIS XXIX.
Furii Camilli ad Pædagogum Faliscorum

Argumentum.

M. Furius Camillus cum obsideret Falerios, Ludi Magistro, qui pueros nobiles Faliscorum in ejus manus per proditionem tradiderat, ita respondit.

Loci communes a *Caussis*, & a *Comparatione*.

Motus, *Odium*. Mores *Viri justi*, & *innocentis*.

Tres habet partes, *Insinuationem*, *Contentionem*, & *Conclusionem*.

Non ad similem) Detestatur scelestum hominem Romanis innocenti Populo, & Camillo justissimo Imperatori scelestum munus offerentem.

Nobis cum] Contendit, impium esse Magistri facinus, primo a jure naturæ, & belli, quod proinde non debeant Romani approbare, tali ratione:

Iniquum est violare jura naturæ, & belli; *l. 1. c. 13. t. 237.*

Sed tuum accipientes munus utrumque jus violamus. Ergo.

Probatur autem *Assumtio*, quia cum hostibus etiam, adeoque cum Faliscis ingenita a natura societas perseverabat, & bellum juste, non proditorie gerendum est.

Arma habemus] Idem probat a *Caussa* belli hoc modo:

Arma sumsimus adversus armatos, qui nos injuste læserunt; *l. 1. c. 12. t. 228.*

Sed hi pueri neque armati sunt, neque nos læserunt. Ergo.

Arma habemus] *Assumtio* per Comparationem approbata; si enim pueris parcimus, etiam captis Urbibus, quanto magis in bello gerendo?

Sed

Sed adversus] *Propositio* syllogismi.

Eos tu] *Conclusio*, qua & Magistrum magis, quam Faliscos peccasse innuit, & se profitetur ea victoria uti velle, quæ virtute parta sit.

Quantum in te fuit] Decreverat enim Camillus, non solum illius oblata recusare, sed eum etiam Faliscis puniendum dedere.

Sententiæ.

Societas, quam ingeneravit natura, etiam cum hostibus est.

Sunt & belli, sicut pacis jura, justeque ea geri debent.

Pueris, etiam captis Urbibus, parcitur.

ORATIONIS XXX.

Faliscorum ad Rom. Patres

Argumentum.

FAlisci justitiam, & fidem Imperatoris mirati, Legatos Romam miserunt, qui ad Senatum introducti, se, suaque omnia his verbis dediderunt.

Loci communes nulli sunt.

Motus, *Lenitas.* Mores *moderati hominis*, & *minime ingrati*.

Patres conscripti] Deditio, & laus Romanorum, tum quod vincere æquitate soleant; *l.* 2. *c.* 4. *t.* 27. tum etiam quod victi sub eorum imperio longe melius vivant, quam suis Legibus.

Eventu] Caussa deditionis; quia Falisci fide tanta, ac justitia Ducis provocati non potuerant facere, quin se ultro Romanis dederent. *l.* 1. *c.* 6 *t.* 82.

Mittere] Hortantur Senatum, ut mittat, qui Urbem in deditionem accipiant, simulque pollicentur, se fideles Pop. Rom. semper futuros.

Sententiæ.

Victoriæ, quæ parta æquitate fuerit, nec Deus, nec homo quisquam invidet.

Victori pulcherrimum est, sub ejus imperio melius victos vivere, quam suis legibus.

Justus imperator fidem in bello, quam præsentem victoriam mavult.

ORATIONIS XXXI. Furii Camilli Exulis ad Ardeates

Argumentum.

M. Furius Camillus cum Ardeæ exularet, Ardeates hac Oratione hortatur, ut captis armis palantes per agros Gallos, & incautos aggrediantur.

Loci communes ab *Adjunctis*, & a *Dissimili*.

Motus, *Confidentia*. Mores *Viri in bello versati*.

Tres habet partes, *Exordium*, *Contentionem*, & *Conclusionem*.

Ardeates] In *Exordio* duo facit, nam sibi imprimis *benevolentiam* conciliat, veterem commemorans amicitiam, & beneficium, quo in Civitatem eum recepe-rant; deinde excusationem adhibet, cur ipse novus Civis cum sit, & a suis in exilium pulsus, venire tamen in concionem audeat, & ad Populum verba facere; cujus novi consilii in caussa esse ait periculum commune.

Tripliciter autem probat in Contentione, sumenda esse arma, hostesque invadendos. 1. quia Dux adest optimus. 2. ut referant gratiam beneficiorum, quæ a Romanis acceperant. 3. quia facilis victoria est.

Et quando] Primum Argumentum ita se habet:

Ille optimus Dux est, in quo & egregia inest voluntas, & scientia rei militaris. Talis est Camillus. Ergo Optimus Dux. Ergo &c.

Assumtio confirmatur, quia Populo de se benemerito gratiam cupit referre, & usque ad illud tempus bello fuerat invictus. *l.* 2. *c.* 4. *t.* 28.

Vobis autem] Secundo, quia si Ardeates in Gallos arma sumant, non solum rem gratam Romanis facient, a quibus tot beneficiis cumulati sunt, sed etiam suæ ipsi Patriæ gloriæ erunt, cum omnium communes hostes Galli sint.

Quæ effuso) Tertium, quoad victoriæ facilitatem hoc syllogismo probat ab *Adjunctis*: Facilis est victoria contra hostes imbelles, & incautos; *l.* 2. *c.* 5. *t.* 56.

Galli sunt imbelles, & incauti. Ergo de illis facilis est victoria.

Argumento sit] Approbatio *Assumtionis* quoad primam partem a *Dissimili*.

Cibo vinoque] *Assumtionis* secunda pars, eosque incautos ostendit tum ob ingenitam genti ferociam, tum quod augeant confidentiam secundæ res. *l.* 2. *c.* 5. *t.* 59.

Si vobis] *Conclusio*, qua eodem fere sensu usus etiam est T. Quinctius Capitolinus Lib. 3. ad erigendos eorum

animos, oblata ſpe certæ victoriæ.

Galliam fieri] hoc eſt, in Gallorum poteſtatem venire.

Prima vigilia] Vigiliæ dicebantur Excubiæ nocturnæ, quarum diviſio erat in quaterna horarum ſpatia, ita ut, ſi diei æqualis nox eſſet, quælibet vigilia trium horarum ſpatium comprehenderet.

Sententiæ.

Periculum commune cogit, quod quiſque poſſit in re trepida præſidii in medium conferre.

Multi bello invicti in pace ab ingratis civibus pulſi ſunt.

Barbari ab ſecundis rebus magis etiam ſolito incauti ſunt.

ORATIONIS XXXII.
M. Furii Camilli ad Pop. Romanum

Argumentum.

REferentibus ad Plebem Tribunis, ut quando Romam incenderant Galli, omnes Vejos tranſmigrarent, repuguavit hac Oratione Camillus.

Loci communes ab *Antecedentibus*, & *Conſequentibus*, a *Comparatione*, & a *Contrariis*.

Motus, *Pudor*. Mores *Viri prudentis*, & *Religioſi*.

Dividitur Oratio in tres partes, *Exordium*, *Contentionem*, & *Perorationem*.

Adeo mihi] Oſtendit in *Exordio*, quantam ſibi moleſtiam diſcordiæ Civiles afferant, ut earum auctores Tribunos reprehendat, & mite ſibi, ac pacatum ingenium eſſe videatur; ex *Ariſt. l.* 2. *c.* 4. *tex.* 26.

Non ſi me] Etiamſi Decreto Senatus, Lege populus revocaſſet, tamen non rediiſſem; utrumque enim neceſſarium erat, ut quiſpiam jure ab exilio revocaretur, & utrumque in reſtituendo Camillo ſervatum eſt.

Et nunc quieſcere] *Attentos* facit, quippe de patria loquuturus. *l.* 3. *c.* 14. *t.* 104.

Camillo etiam) Nefas erat Camillo illi deeſſe patriæ, quam ipſe recuperaſſet, ſuumque beneficium tueri utcumque debebat.

Quid enim] Hinc tranſit ad *Contentionem*, & ut oſtendat, Camillo Urbis reparatori patriam deſerere nefas eſſe, ita a *Contrariis* argumentatur, cæteros etiam comprehendens:

Nefas eſt, plus damni Reip. contingere victoribus Romanis, quam Gallis.

Sed

Sed si deserimus patriam, plus illi damni nos victores inferimus, quam Galli intulerunt.

Ergo nefas est, nos patriam deserere

Equidem] Cum præcipua ratio deterrendi Romanos a transmigratione sit ipsa Religio, præmittit hic, divinum cultum nunc potissimum non esse negligendum; ac deinde tali utitur syllogismo ab *Antecedentibus*:

Omnia semper prospera evenerunt sequentibus Deos, adversa spernentibus.

At Deos spernimus, si urbem deserimus.

Ergo deserentibus patriam evenient adversa.

Intuemini] *Propositio*.

Jam omnium] *Propositionis* approbatio, qua res omnes adversas, & secundas, quibus usi fuerant Romani in bellis contra Vejentes, & Gallos, Religionibus attribuit seu spretis, seu rite peractis.

Monitu deorum] Ab Oraculo Delphico jussi sunt aquam ex lacu Albano emittere in obsidione Vejorum. *lib.* 5.

Num ante] Tria memorat, quibus Deos offensos bello Gallico ostendit, spretam vocem Deorum, quam de Gallorum adventu M. Cædicius plebejus se audivisse nunciaverat; pugnam contra jus Gentium ad Clusium commissam cum Gallis a Fabiis Legatis: nullum supplicium sumtum de Fabiis, sicut postulaverant Galli.

In pondere auri] Cum enim Romani dare Gallis deberent ex fœdere mille pondo auri, ut se ab obsidione liberarent, allata ab his pondera iniqua, & additus a Breno ponderi gladius, contra fœdus, & fidem.

Hæc culti] *Assumtio* Syllogismi.

Urbem auspic.] Ejusdem approbatio, quod nimirum & Urbs auspicato esset condita, & omnia loca religionum plena, ut deseri nequeant sine contemtu Deorum.

Quam par] Prosequitur idem Argumentum a *Comparatione* Minorum, hoc modo:

Turpius est publica sacra deserere, quam privata.

Sed in bello C. Fabius sacrum suæ gentis non intermisit.

Ergo turpe esset nos deserere in pace sacra publica, & solemnia.

Forsitan] Cum supra ostenderit, turpe esse sacra publica deserere, nunc probat deseri sacra publica, si transmigraverint Vejos, hoc dilemmate. Ne deserantur, aut Vejis ea faciemus, aut mittemus qui Romæ faciant. Sed neutrum fieri potest. Ergo deseruntur, si Vejos transmigramus.

Et

Et ne omnia] Prima pars *Aſſumtionis*, quod Vejis fieri nequeant, approbata exemplo Epuli Jovis, quod in Capitolio fieri oportebat, ignis Veſtalis, Palladii, Ancilium, quæ in alium locum transferre nefas ſit.

Quædam vetuſtiora] Cætera enim fere omnia Numa inſtituerat, Palladium, & virgines Veſtales, Sacerdotium Alba oriundum, dicuntur Sacra urbe vetuſtiora.

Et videt] Probat nefas eſſe transferri Vejos Romanorum Sacra a *Diſſimili*, quod Majores religioſum putaverunt ſacra quædam transferri Romam ex hoſtium urbibus.

Recordamini] Idem confirmat ab *Antecedentibus*, hac ratione:

Nefas eſt ea Sacra transferre Vejos, quæ tanta cum diligentia inſtaurata ſunt Romæ.

Sed modo inſtauravimus Romæ hæc Sacra. Ergo nefas eſt, &c.

Modo quæ res] *Aſſumtio*, qua multa enumerantur vel inſtituta, vel inſtaurata ante, & poſt Gallicum bellum.

Quid horum] *Propoſitionis* approbatio, fruſtraneus enim labor eſt, ea diligenter curare, quæ deinde neceſſe ſit deſerere.

De ſacris] Illuſtrat eamdem *Aſſumtionem*, quæ ſupra habetur, quoad utramque partem: nam exemplum de Veſtalibus probat Sacra non eſſe transferenda Vejos: de Flamine Diali, nefas eſſe eum Romam mittere ad peragenda Sacra, de Comitiis, utrumque tum mutare locum auſpicatum, tum convenire Populum in Urbem Romam tanto cum incommodo propter comitia.

Quæ rem militarem] Omnis Magiſtratus creabatur quidem Comitiis vel Centuriatis, vel Tributis, non obtinebat autem imperium niſi per Curiata Comitia.

A remotione Cauſſæ arguit ſic, non eſſe tranſmigrandum Vejos:

Si qua ratio eſſet tranſmigrandi, maxime quia Urbs incenſa, & vaſtata eſt.

Sed hæc ratio nulla eſt. Ergo.

Sed res ipſa] *Propoſitio*.

Hanc autem) *Aſſumtionis* approbatio, quia etiam ante adventum Gallorum Tribuni hanc Legem promulgare voluerunt; non ergo quia incenſa ſit Urbs, ideo nunc legem promulgant.

Et videte] Confirmatur eadem *Aſſumtio* a *Contrariis*.

Ea non eſt juſta cauſſa tranſmigrandi, quæ debet eſſe cauſſa manendi.

Sed

Sed vastatio Urbis debet esse caussa manendi. Ergo non.

Ego contra] *Assumtio* hujus Syllogismi.

Quippe tum] Illustratur *Assumtio* a *Consequentibus*, quod id gloriæ Gallis futurum sit, quasi nos coacti transmigraverimus, quodque periculum evidens sit, ne nobis discedentibus, hostes Galli, aut Volsci Urbem occupent, & Romani fiant.

Hæc scelera] Redarguit pigritiam Populi, quod idcirco transmigrare Vejos velit, ne rursus Urbem ædificet, multis de caussis.

Si tota urbe] Primum a *turpi*; turpe enim est exulatum publice ire, potius quam sibi nova tecta ædificare; præcipue, cum satius esset in casis ritu pastorum habitare, quam illud pati.

Majores nostri] Deinde a *Comparatione*. Majores nostri Urbem condiderunt inter paludes, & silvas, nos incolumi Arce, stantibus Templis Deorum, non eamdem ædificabimus?

Quid tandem] Postea a *Simili*, an si Vejis idem casu incendium ortum fuerit, aliam rursus Urbem nobis quæremus?

Adeo nihil] Ultimo a *Caussa*, quia caritas Patriæ respicere debet solum ipsum, & terram, non solam superficiem illius.

Equidem fatebor] Hanc ultimam rationem confirmat exemplo sui ipsius, qui exilii tempore ea maxime cogitatione commovebatur, quod collibus, campis, Tyberi, & Patria regione careret.

Non sine caussa] ab *Adjunctis* denique ostendit, non esse deserendam Urbem Romam: Ea Urbs non est deserenda, quæ opportunissimo loco sita est.

Sed Urbs Roma talis est. Ergo.

Inter duo maria] Tyrrhenum scilicet, & Adriaticum.

Quod cum ita sit] Extrema orationis pars *Peroratio*, qua concludit, non esse trasmigrandum Vejos, cum Dii terrarum Imperium decreverint Capitolio; quod dublici ostenditur argumento.

Hic vestæ] Et quia oratio, quæ ad religiones pertinebat, movebat maxime Populum, ideo in fine Vestam, Ancilia, & Deos rursus commemorat.

Sententiæ.

Omnia prospere eveniunt sequentibus Deos, adversa spernentibus.

In casis ritu pastorum satius est inter sacra, & pena-

nates habitare, quam exulatum publice ire.

Solum Patriæ, & terra, quam matrem appellamus, cordi nobis esse debet, non autem in superficie, tignisque caritas Patriæ pendere.

Nulla ratio est expertis alia experiri velle. Etiamsi Virtus transire alio possit, fortuna loci transferri semper non potest.

ORATIONIS XXXIII.

M. Furii Camilli ad trepidos Milites

Argumentum.

ROmanos Milites hostium multitudine territos M. Furius hac oratione ad strenue pugnandum inflammat.

Loci communes ab *Adjunctis*, & ab *Antecedentibus*.

Motus, *Pudor*, *& Confidentia*. Mores *egregii Ducis*.

Quæ tristitia] Brevis insinuatio, qua milites reprehendit vano, & insolito timore correptos.

Hostem] Unico utitur argumento ab *Adjunctis* ad eos excitandos: quod ita se habet.

Ubi iidem sunt Dux, exercitus, & hostis, idem belli exitus sperandus est.

Sed iidem omnes sumus.

Ergo idem belli exitus, hoc est victoria speranda est.

Hostis quid] *Assumtio* ab *Antecedentibus* comprobata.

An me, quod] Probat, etiamsi Dictator non sit, ut in superioribus bellis fuerat, eumdem tamen se Camillum esse, & vanum illud Dictaturæ nomen neque animos sibi unquam fecisse dicit, neque profuisse ad evitandum exilium.

Et cum eadem] Complexio, qua suis victoriam certam auguratur, exemplo rerum antea gestarum. *l.* 2. *c.* 5. *t.* 57.

Sententiæ.

Hostes fortibus Viris perpetua materia sunt virtutis, & gloriæ.

Sapienti viro animos summa imperia non faciunt.

ORATIONIS XXXIV.

A. Cornelii Cossi Dictatoris ad Milites

Argumentum.

COrnelius Cossus Dictator contra Volscos dictus, cæsis rite hostiis, prælium initurus, ita suos milites adhortatur.

Loci communes nulli sunt.

Mo-

Motus, *Confidentia*. Mores *prudentis Imperatoris*.

Duas habet hæc brevis Oratio partes. *Exordium*, & *Contentionem*, ubi suum de ratione ineundæ pugnæ consilium militibus aperit.

Nostra) In *Exordio* confidentes suos facit, non enim falsa nuntiare Deorum Vates poterant, qui hostiis inspectis victoriam promiserant.

Itaque] Adhortatio ipsa, quæ triplex est, imprimis jubet omittere pila, & gladiis pugnare, deinde ut consistant admonet, & stabili gradu adventantes hostes excipiant, tertio præcipit Magistro Equitum, ut, cœpta jam pugna, tum demum cum equitatu hostes adoriatur.

Et cum imparibus] Quamvis multo major hostium esset multitudo, impares tamen Romanis erant tum spe, tum virtute. *l.* 2. *c* 5. *t*. 59.

Vbi illa vana) Vana dicit esse missilia, quia levia tantum vulnera infligebant, & nullius fere momenti erant ad reportandam victoriam.

Qui secundis avibus) hoc est bono omine, & auspicio, quod sæpe ab avibus sumere auguria solerent.

ORATIONIS XXXV.

A. Cornelii Cossi Dictatoris ad M. Manlium

Argumentum.

M Manlium Plebis animos ad seditionem concitantem falsis pollicitationibus ita Cornelius Cossus Dictator interrogat.

Loci communes nulli sunt.

Motus, *Confidentia*. Mores *viri moderati*.

Tria hic facit Dictator: confidit, interrogat, & minatur.

Vtinam mihi] Summam ostendit hac de re confidentiam, ut malevolentiam, & invidiam occultati thesauri a se, & Patribus averteret.

Spem factam] Proponit crimen, quod Patribus Manlius obiecerat, hortaturque, ut rei indicium prodat.

Fide incolumi] Si enim ex thesauris Gallicis creditum solvissent, fides creditoribus data incolumis, & inviolata stetisset.

Et istos] Patres nimirum instar Draconum publicos thesauros servantes a custodia removeas, & occultam illam prædam in medium proferas.

Quod nisi facis] Concludit minando carcerem, nisi pareat.

ORA-

ORATIONIS XXXVI.
M. Manlii ad Dictatorem Cornelium.

Argumentum.

Interrogatus a Dictatore Manlius de thesauris Gallicis, quos ipse occultari a Patribus dixerat, ita respondit.

Loci communes ab *Antecedentibus*.

Motus, *Ira* Mores *Viri seditiosi*.

Duas habet partes, in quarum prima iram Plebis in Patres concitat, in altera respondet iis, quæ Dictator interrogaverat.

Offendit te) Prima pars, in qua redarguit Patres, tum quia plebem sibi non conciliarent beneficiis, cum possent, tum quia usuris eam premerent. *l.* 2. *c.* 4. *t.* 23.

Addictosque duci] Hoc est debitores tradi creditoribus, ut in eos vitæ, & necis potestatem haberent, quod est addicere.

Sortem aliam] Aliam conditionem, ut tantumdem de prima pecunia dematur, quantum usuris numeravimus.

At enim] Secunda pars, & ad primum, quod solus ea faceret, respondet ab *Antecedentibus*.

Qui solus defendit Capitolium, solus potest opitulari Civibus.

Ego solus Capitolium defendi. Ergo.

Nam quod] Ad alterum de thesauris Gallicis artificiose respondet, non cogendos alios ut indicent, sed Patres, ut proferant, quod injuste retineant.

Sententiæ.

Divites ex eo, quod affluit suis opibus, sustineant necessitates aliorum.

Frustra quærimus, quæ scimus.

ORATIONIS XXXVII.
M. Manlii ad Plebem.

Argumentum.

M. Manlius eductus ex carcere Plebem in Patres concitat, deque tollendis Magistratibus suam sententiam proponit.

Loci communes ab *Antecedentibus*.

Motus, *Pudor, & Confidentia*. Mores *Viri Popularis*.

Dividitur in tres partes, *Exordium*, *Contentionem, & Perorationem*.

Quousque] *Exordium*, quo Pudorem, & Confidentiam movet; multi enim ipsi cum essent, paucos tamen timebant, & utitur comparatione minorum. *l.* 2. *c.* 6. *t.* 65.

Audendum est] *Contentio*, hortaturque, ne singuli pereant, ut omnes simul Patres aggrediantur, & a Rep. tollant Magistratus.

Quousque me] depellit *Confidentiam*, quam de Duce Manlio Populus habebat, tum ab *Antecedentibus*, quia & alia vice in carcerem ductus fuerat; tum ab *Exemplis* Cassii, & Mælii.

Dii perhibebunt] Prolepsis de auxiliis Deorum. *l.* 2. *c.* 5. *t.* 60.

Sed nunquam) Responsio ad prolepsim, quod illis auxilio Dii veniant, qui promte suas partes obeunt.

Tum parvus] Redarguit Plebem, quippe nimis timidam: fortis enim cum esset in exteros, & imperium quæreret, ipsum tamen Patribus cedebat, & solum de conditionibus, quibus imperari sibi vellet, aliquando certabat. *l.* 2. *c.* 6. *t.* 76.

Tamen] Plebem rursus confidentem facit, qui enim omnia usque ad illud tempus obtinuerant, facile impetraturi erant quod novum peterent. *l.* 2. *c.* 5. *t.* 57.

Quam qui resisterent] Tribunos Plebis innuit, quos impetrare multo difficilius fuisse ait, quam nunc alium quempiam, qui imperet ipsis Patribus, sed prius tollendos esse Magistratus contendit.

Proinde] *Peroratio*, qua hortatur, ut vim adhibere, & se uti patrono velint, ubi etiam de regno mentionem videtur facere. *Arist. l.* 3. *c.* 14. *t.* 166.

Sententiæ.

Vires suas ne belluæ quidem ignorant.

Dii numquam propter homines de Cœlo descendunt.

Minore negotio qui imperent imponimus, quam qui resistant imperantibus.

Quo magis insigni imperii, honorisve nomine nostrum appellamus Ducem, eo utimur potentiore.

ORATIONIS XXXVIII.
Legatorum Tusculanorum in Senatu

Argumentum.

TUsculani Oratores, ut suaserat Camillus, Romam missi ad pacem petendam, hospitaliter vocati caussam suam ita egerunt.

Loci communes a *Contrariis*.

Motus, *Misericordia*. Mores *Modestiam præseferunt*.

Quibus bellum] Bellum deprecantur hoc imprimis syllogismo a *Contrariis*: Iis non sunt arma inferenda, quibus

quibus sunt omnia pacifica.

Sed apud nos omnia pacifica sunt. Ergo.

Probant autem *Assumtionem* exponentes rationem, qua Romanis legionibus occurrerunt, & Beneficium Camilli, qui eo motus argumento nihil egerat hostile.

Pacem quam] *Complexio* syllogismi, si enim nos pacem habemus, & vos nobiscum pacifice agere debetis.

In nos] Se potius inermes velle perire dicunt, quam armatos, eaque ratione movent Misericordiam. *Lib. 2. c. 8. t. 92.*

Quod ad] Crimina fateri videntur, quia negare non poterant, se tamen pœnitentia defendunt, & clementia Victorum.

Sententiæ.

Oculis magis, quam auribus credendum.

Re victa rebus, verbis confutare nihil attinet.

ORATIONIS XXXIX.
Camilli Dictatoris ad Plebem
Argumentum.

CUm Tribuni Plebis Licinius, & Sextius intercessionem Collegarum non admitterent, Camillus Dictator in hunc modum intercessionem apud Plebem defendit.

Loci communes a *Diversis*.

Motus, *Timor*, Mores *Viri gravis*.

Quandoquidem) Redarguit Plebem intercessionem per vim non admittentem, quam per vim obtinuerat; locus est a *diversis*. Se Dictatorem deinde pollicetur affuturum Intercessioni, ut videatur creatus Dictator plebis tantum caussa, non universæ Reip.

Itaque] Quia inusitatum erat, Patritios Magistratus misceri concilio Plebis, conditionem addit, se quoque nihil acturum, si Tribuni pareant Collegarum intercessioni.

Vim tribunitiam dissolvi] Tota enim vis Tribunitiæ potestatis intercessione potissimum continebatur.

ORATIONIS XL.
Ap. Claudii ad Plebem contra Tribunos
Argumentum.

LIcinium, & Sextium Tribunos Plebis novas Leges quoquomodo promulgantes coarguit hac Oratione Ap. Claudius.

Loci communes a *Contrariis*, & ab *Effectis*.

Mo-

Dividitur in quatuor partes; *Exordium*, *Propositionem*, *Contentionem*, *& Perorationem*.

Neque novum] *Exordium*, quo a se, suaque gente sinistram removet suspicionem; duoque ait sibi objici, & nimiam in Patres benevolentiam, & malevolentiam in Plebem; quorum alterum fatetur, seque propterea hominem gratum ostendit: alterum negat hoc syllogismo a *Contrariis*: *Arist. l. 3. cap. 14. tex. 103. & 104.*

Is, cui Resp. cordi est, Plebem lædere non potest.
Claudiæ genti Resp. cordi est maxime. Ergo.

Nisi quæ] probatio *Propositionis*, quia eadem sunt Plebis commoda, & Reip. universæ.

An hoc] *Propositio*, additque caussam impulsivam, insolentiam scilicet Tribunorum, quæ stomachum faciat cuilibet etiam ex Plebe.

Sub conditione] Universa *Contentio* hoc syllogismo continetur: Illud postulatum est rejiciendum, quod est indignum, impium, & noxium Reip.

Sed postulatum Tribunorum est hujusmodi. Ergo rejiciendum.

Quid est) Prima ratio indignitatis, quod honorem rejiciant sine adjuncta mercede.

Sed quæ) Altera ratio, quod merces ipsa, quam petunt, injusta sit; petebant enim accipi sine discrimine Rogationes, quas ferebant, sive bonæ essent, sive malæ. Quod iniquum ostendit pulcherrima similitudine, & per prosopopejas invidiosas: deinde quia si hæc patritii proponerent, certe rejicerent. *Arist. l. 1. c. 13. tex. 238.*

Quid?) Tertia ratio indignitatis, quod suffragiorum libertas tollatur, si necessario alter Consulum Plebejus esse debeat, ubi invidiose L. Sextium cum M. Furio comparat.

Hoccine est] Quarta ratio, quod ita non partem, sed omnino eripiant honores Patribus.

Quid sequitur] Quinta, quod Plebeii Magistratus obtinebunt lege, non suffragio, occasione, non virtute: puta, si unus tantum Plebejus petat, non poterit non creari vi Legis.

Quis est hodie] Ultimo, quia cuilibet indigno hac ratione via patebit ad Magistratus.

De indignitate] Probat idem etiam esse impium ab *Effectis* hoc modo.

Impium est turbare Auspicia.

Sed turbantur Auſpicia, ſi Plebeiis deferatur Conſulatus. Ergo.

Auſpiciis hanc] Approbatio *Propoſitionis*.

Penes quos) Approbatio *Aſſumtionis* deſumta ab auctoritate majorum, & permiſſionibus ironicis.

Sextius, &c.] Tertium membrum attingit, & poſtulatum Tribunorum perniciosum etiam Reip. oſtendit, quia per legem Agrariam ſolitudo fiebat in agris, pulſis dominis, per alteram de ære alieno tollebatur Fides, utrumque autem perniciem Reip. affert.

Omnium] Brevis *Peroratio*, qua repetens ſummam diſſuaſionis Deos precatur, ut deliberationem tam gravem fortunare velint, *Ariſt. l.* 3. *c.* 14. *t.* 167.

Sententiæ.

Quod pro univerſa Rep. fit, nunquam eſt adverſum Plebi, tanquam aliam Urbem incolenti.

Non ſemper fit contra utilitatem noſtram, quod eſt contra voluntatem.

Res potius, quam auctor, ſpectanda eſt.

Virtute, non occaſione honores petendi ſunt.

Cum Fide omnis humana ſocietas tollitur.

Ex Dec. I. Lib. 7.

ORATIONIS XLI.

S. Tullii ad Dictatorem de ineunda pugna

Argumentum.

Dictatorem Sulpicium cunctatione utentem adverſus Gallos hoſtes, ſpe certa victoriæ, Servius Tullius ad ineundam pugnam his verbis hortatur.

Loci communes a *Comparatione*, & a *Cauſſis*.

Motus, *Confidentia*. Mores *Viri fortis, & gloriæ cupidi*.

Tres habet partes, *Exordium*, *Contentionem*, & *Perorationem*.

Scilicet] *Exordium*, quod ad avertendam contumaciæ, & ſeditionis ſuſpicionem, cauſſam refert, cur ad dicendum accedat. *c.* 14. *l.* 3. *t.* 103.

Equidem] *Contentio*: Cujus primum Argumentum ſic ſe habet.

Si male pugnatum eſſet, tamen facultas pugnandi danda foret.

Sed non male pugnatum eſt, & omnia ſunt integra.

Ergo multo magis danda eſt.

Equidem] *Propoſitio*.

Ut nos virtute] *Propositionis* approbatio a caussa finali, quam exemplo Alliensis pugnæ confirmat.

Nobis] *Assumtio*.

Quamquam de] Secundo loco arguit a *turpi* tali ratione.

Turpe est militibus eludi ab hostibus, & male apud Ducem audire: *l*. 2. *c*. 2. *t*. 12.
Sed utrumque nobis ex mora, & otio contingit. Ergo.

Quod enim] *Assumtionis* approbatio quoad alteram partem per dilemma; vel enim tu de nobis, vel nos de te dubitamus: at nos de te fortissimo Duce dubitare non possumus. Ergo tu de nobis.

Sin autem) Quoniam suspicabantur, jussisse patres bellum differri, ideo per Prolepsim exponit consilium militum, quod erat: si bello sit opus, acriter se pugnaturos; si propter otium trahatur, Romam se redire velle.

Hæc dicta] *Peroratio*, qua spe Triumphi proposita Dictatorem ad signum pugnæ dandum hortatur.

Sententiæ.

Virtute culpa corrigitur, & memoria flagitii abolетur nova gloria.
Sicut Patres, ita & Plebs sua habet consilia.

ORATIONIS XLII.

Popilii Consulis ad Milites.

Argumentum.

Milites cum Gallis pugnantes, & diuturno prælio fessos Popilius Consul, qui vulnere accepto cesserat parumper ex acie, ad pugnam absolvendam hortatur.

Loci communes ab *Adjunctis*, & a *Consequentibus*.
Motus, *Spes victoriæ*. Mores *Ducis magnanimi*.

Quid stas] Triplici utitur argumento. Primum ducitur ab hostium immanitate. Romanis enim mortales erant cum Gallis inimicitiæ.

Propulistis] Alterum a felici pugnæ initio per comparationem majorum: fecimus, quod erat difficilius, & e castris, montibusque depulimus. Ergo & per campos facile cædere poterimus, *l*. 1. *c*. 12. *t*. 222., *&* 224.

Nolite) Ab evidenti periculo, ne hostes fugiant, si ipsi eosdem persequi cunctentur.

Sententiæ.

In acie hauriendus, aut dandus est sanguis.

ORATIONIS XLIII.

Campanorum in Senatu

Argumentum.

CAmpani armis Samnitium vexati, missis Romam Legatis, amicitiam, & auxilia ab Senatu petunt hac habita Oratione.

Loci communes ab *Effectis*, a *Contrariis*, & a *Consequentibus*.

Motus, *Misericordia*. Mores *Supplicum*. Dividitur in tres partes, *Exordium, Contentionem, & Perorationem.*

Populus] Sumitur exordium a confutatione duplicis objectionis ad exemplum illius, quo usi sunt Corcyræi adversus Corinthios apud Thucyd.

Quam si) Prima Objectio, quod non antea secundis rebus amicitiam Romanorum petierint; ad quod respondent, eo firmiorem futuram, quippe majori partam beneficio, *l.* 2. *cap.* 4. *t.* 23. *&* 36.

Neque Hercule] Altera objectio; quod Romanis amicitia, & societas sit cum Samnitibus; cui satisfaciunt, allata formula, & fine fœderis petitioni suæ non repugnantibus.

In *Contentione* hujusmodi extat Argumentum.

Ea caussa est suscipienda, quæ utilis, & honesta est, & facile expediri potest.

Caussa nostra talis est. Ergo.

Campani) Ostenditur utilitas ab amplitudine Urbis, & opportunitate loci; erant enim a tergo Æquis, & Volscis æternis Romanorum hostibus.

Acerbum] Deinde a *contrario*, sic.

Illud est utile Romanis, cujus contrarium est maxime perniciosum; *l.* 1. *c.* 6. *t.* 77.

Sed non recipi Campanos in Romanorum amicitiam est maxime Rom. perniciosum. Ergo recipi utile.

Confirmatur *Assumtio*, quia Campani si rejicerentur a Romanis, statim in hostium potestatem venissent, quo nihil Urbi Romæ perniciosius est.

Omnibus quidem] Honestas hoc syllogismo continetur.

Honestum est iis opem ferre, qui & aliis indigentibus opem tulerunt. *l.* 2. *c.* 4. *t.* 23. & necessitate ad arma compulsi sunt.

Tales sunt Campani. Ergo iis opem ferre honestum est.

Nec enim) *Assumtionis* approbatio quoad secundam partem: cum enim non contenti duplici de nobis relata

lata victoria, & agrorum populatione Capuam ipsam petant, ostendunt, se non ira, quod Sidicinis opem tulerimus, sed cupiditate imperii bellum gerere, idemque se facturos fuisse, etiamsi quieti fuissemus: atque adeo ultima nos necessitas ad bellum traxit.

Non loquor) Bellum prædicant ut minime periculosum, idque amplificant per comparationem commodorum, quæ ex eo maxima consecutura sunt.

Annuere] *Peroratio*, quæ universalem Conclusionem habet; & per Hypotyposim repræsentatur Urbs Capua valde solicita de istius Legationis eventu, quo major excitetur Misericordia. *l.* 2. *c.* 8. *tex.* 92.

Sententiæ.

Justa caussa amicitiæ est, velle eum nobis amicum esse, qui nos appetit.

Fortuna afflicta magnifice loqui prohibet.

ORATIONIS XLIV.
Valerii ad Milites

Argumentum.

CUm Romani adversus Samnites arma pro Campanis sumsissent, Imperator Valerius milites ad egregie pugnandum hortatur.

Loci communes ab *Adjunctis*, a *Comparatione*, & *Antecedentibus*.

Motus, *Confidentia*: Mores *Ducis prudentis, & fortis*.

Duplici ex capite confidentes suos milites facit, tum respectu hostium, tum respectu sui ipsius. *lib.* 2. *c.* 5. *t.* 58., & 59.

Ne novum) Hostium potentiam infirmat a loco, quia quo magis absunt ab urbe Roma, eo magis imbelles sunt: Campanos quidem magis fluere luxu, non magis tamen fortes esse Samnites.

Quid autem) A *Comparatione*, quod Samnites duas tantum referant de Campanis victorias, tot Romani triumphos, tot gentes domitas. *lib.* 2. *c.* 5. *tex.* 57.

Cum gloria] Respectu Ducis, hoc est sui ipsius, qui non tam magnifice dicere, quam facere fortiter possit.

Non factionibus] Probat id ab *Antecedentibus*, quia non clientelis, & gratia, sed virtute sibi tres Consulatus pepererat.

Fuit cum) Quod confirmatur per Prolepsim; cum enim promiscue Patritiis, & Plebeiis Consulatus pateat, non amplius, ut antea, splendor Patritii generis illum honorem parabat, sed sola Virtus.

Non si mihi) *Benevolentiam* etiam militum sibi concilliat tum ex suo cognomine, qui propter virtutem Corvinus dictus fuerat, tum ex antiquo Familiæ Publicolarum cognomento, seque non minus Plebis studiosum ostendit. *l. 2. c. 4. tex. 25., & 29.*

Nunc quod] Ultimo ad alacriter pugnandum inflammat, ut de integro ad eum usque diem Populo novum triumphum reportent.

Sententiæ.

Multi magis nimio luxu, mollitieque sua, quam vi hostium vincuntur.

Dux non tantum dicta sua, sed & facta militem sequi velit.

Honores non tam generis, quam virtutis præmia esse debent.

Quibus artibus petitur Magistratus, iisdem geritur.

ORATIONIS XLV.

P. Decii ad Milites

Argumentum.

CUm neglexissent Samnites occasionem delendi Romanum Exercitum, P. Decius rem Centurionibus primum, deinde Militibus aperit, & ad strenue erumpendum hortatur.

Loci communes ab *Adjunctis*.

Motus, *Confidentia*. Mores *Viri solertis*.

Quænam) Cum Centurionibus agit, quibus inertiam hostium declarat, suumque consilium.

Hoc silentium] Milites alloquitur, omnibusque denunciat, ut silentium servent, quod cum esset inusitatum, attentos etiam faciebat. *l. 3. c. 14. t. 104.*

Nunc quæ] Eruptionem suadet tali pacto:

Illud agere debemus, quod honestum, facile, & necessarium est.

Sed erumpere hac nocte per medios hostes honestum est, facile, & necessarium.

Ergo erumpendum est hac ipsa nocte.

Non fuga] *Honestas*, decet enim se sua virtute servare eos, qui sua virtute alios servaverint.

Cum eo hoste] *Facilitas*, quod cum hoste socorde res esset; quem cum elusissent vigilantem, multo facilius esset sopitum fallere. *lib. 2. c. 5. t. 59.*

Imo necesse est] *Necessitas*, quia evadendi nulla erat alia ratio; si enim remansissent, fames manebat; si proximam lucem expectassent, certa, & inevitabilis

ob-

obſidio; & ſecunda vigilia nullum magis aptum ad erumpendum tempus.

Me modò) *Conclusio*, qua milites hortatur, ut ſe Ducem ſequi velint, meliora ſperantes.

Sententiæ.

Inſcitia belli, vel pigritia eſt, occaſione data non uti.

Invia virtuti nulla eſt via.

ORATIONIS XLVI.

Valerii Dictatoris ad Milites ſeditioſos.

Argumentum.

Milites Romani, qui erant in Campania, duce T. Quinctio Romam pergunt Patriæ arma inferentes, quos ita dehortatur a pugna Valerius Dictator, qui ipſis armatus occurrerat.

Loci communes a *Cauſſis & Diſſimilibus.*

Motus, *Pudor*. Mores *Viri Concordiam amantis.*

Tres habet partes. *Exordium, Contentionem, & Perorationem.*

Deos immortales) *Exordium* ducit a ſua perſona, cui nihil carius, & magis in votis eſſe ait, quam concordiam *l. 2. c. 4. t 26.*

Quod deos] Prima ratio diſſuadendæ pugnæ ſumitur a pietate Patriæ, quam quiſque vereri, & colere debet.

Ego ſum) Altera a ſuis in milites beneficiis, contra quem proinde ferre arma impium ſit. *l. 2. c. 4. t. 23.*

Quam tribuni) Fuerat Tribunus militum, eamdemque hic ſententiam repetit, quam ſupra habet in oratione ad Milites.

Ergo ego] Tertia ratio ab Exemplo ſui ipſius, qui prior pugnare nolit.

Inducite] Ab exemplis diſſimilibus, quod priores diſſenſiones minus culpæ, & offenſionis habuerunt.

T. Quincti] *Peroratio*, qua per Apoſtrophem ſeditioſorum ducem hortatur, ut ſe a reliquis ſejungat, vel paci conſulat; æquas deinde pacis conditiones pollicetur.

Sententiæ.

Honeſtius eſt fugere, tergumque civi dare, quam pugnare contra Patriam.

Iniquis conditionibus ſtare melius eſt, quam impias inter ſe manus conſerere.

ORATIONIS XLVII.

Annii Setini ad ſuos Latinos

Argumentum.

ANnius Setinus Latinos hortatur, ut ea lege pacem cum Romanis facerent, ſi alterum Conſulem Latinum paterentur fieri.

Loci communes ab *Adjunctis*.

Motus, *Ira*. Mores *Civis libertatem amantis*.

Partes ſunt tres, *Exordium*, *Contentio*, *& Peroratio*.

Quanquam) *Exordium*, quo monet, ſtatuendum imprimis eſſe, quid agere opus ſit, antequam de reſponſo dando Romanis deliberent; nam ſcienti quid agere debeat, oratio in promtu eſt.

Nam ſi nunc] Arguit ab honeſto, & facili: honeſtatem autem rei amplificat exprobrando ſervitutem, quam loco fœderis patiantur: ubi comparatio eſt cum Samnitibus, & ironica mimeſis Romanorum imperantium, & Latinorum parentium. Deinde utitur contentione officiorum, & fructus, & invidioſa prolepſi, qua populares ignaviæ accuſat, quod nunc amplum putandum ſit, quod olim vile fuerat.

Atqui) Facilitatem oſtendit a tempore opportuno, ubi ex quibuſdam ſignis, ſeu anteactis, & a teſtimoniis hoſtium imbecillitatem conjicit. *l. 2. c. 5. t. 59.*

Uſurpate] Peroratio complectitur ſummam ſuaſionis, utque ſuis animos faciat, ſe conſtantem fore pollicetur.

Sententiæ.

- Facile eſt, explicatis conſiliis, accommodare rebus verba.
- Ubi pars virium, ibi & imperii pars eſſe debet.
- Modeſtia nonnunquam ex virium conſcientia naſcitur.

ORATIONIS XLVIII.

Annii ad Romanos Patres

Argumentum.

IDem Annius in Senatu Romano magna cum arrogantia Latinorum poſtulata proponit.

Loci communes ab *Adjunctis*.

Motus, *Pudor*, & *Metus*. Mores *Viri audacis*.

Tempus erat] Quo metum Romanis incutiat, adeoque impetret, quæ velit, Latinorum potentiam extollit

lis ab *adjunctis*, *lib.* 2. *cap.* 5. *t.* 43.

Sed quoniam] Exponit Patribus Latinorum postulata de Consule, de Senatu, de Repub. deque sede imperii, & Modestiam præsefert, quod conditiones æquas proponant, dum bello rem exequi poterant.

Sententiæ.

Dandum est aliquid consanguinitati.

Ubi vires æquæ, & Pax æqua esse debet.

ORATIONIS XLIX.

T. Manlii Consulis ad Latinos

Argumentum.

CUm arroganter Latinorum postulata exposuisset Annius in Senatu, iratus Consul Manlius ita respondit.

Loci communes ab *Adjunctis*.

Motus, *Ira*. Mores *viri Constantis*.

Duabus de caussis contendit, rejicienda esse Latinorum postulata, tum quia turpitudinem afferunt, tum quia indigni sunt ii, qui postulant.

Audi] Ita igitur primum ab *Adjunctis*:

Turpe est, Jovem *quasi captum* in suo Templo *augurato* videre Senatum, & Consules *peregrinos*. Ergo.

Hæc sine] Exprobrat Latinis rupta fœdera, & cladis ad Regillum memoriam obliteratam, ut ostendat indignos, quorum postulata recipiantur.

Adeo] Concludit per Epiphonema.

ORATIONIS L.

Manlii ad Filium

Argumentum.

COntra edictum Manlii Consulis T. Manlius filius extra ordinem lacessitus pugnaverat, quem ita Pater objurgat.

Loci communes a *consequentibus*.

Motus, *Metus*. Mores *Severi Ducis*.

Unicum est Argumentum, quod hoc Dilemmate continetur:

Tua culpa, Fili, aut mihi in Remp. peccandum est, aut in te sæviendum. Sed illud pati non debeo. Ergo te cogor punire.

Quandoquidem) Ipsum *Dilemma*, & affert rationem, quare ipsius culpa, quia nimirum extra ordinem contra edictum pugnaverit.

Triste] Ad duas objectiones, quod Filium a Patre

morte plecti triste sit exemplum, *l. 2. c. 8. t. 90.* quodque Filius indignus tali morte sit, respondet, necessarium esse hoc ita fieri, ut Disciplina Militaris inviolata in posterum ab aliis servetur.

Sententiæ.

Disciplina res stat militaris.

Nos potius nostro delicto plectamur, quam Resp. magno suo damno nostra peccata luat.

ORATIONIS LI.
Camilli ad Patres de Latinis

Argumentum.

LAtio omni subacto, Camillus de pœna, aut venia incolarum consultationem Senatui proponit, in partem ipse mitiorem inclinans.

Loci communes a *Consequentibus*.

Motus, *Misericordia*. Mores *Viri Moderati*.

Partes quatuor sunt, *Exordium*, *Propositio*, *Contentio*, & *Peroratio*.

Patres] *Exordium* sumitur a narratione rei feliciter gestæ. *l. 2. c. 4. t. 25.*

Reliqua] *Propositio* duos habet agendi modos, severe, & clementer, cum utrumque sit in Romanorum potestate.

Vultis crudeliter) Si crudeliter agere velint, ait licere omne Latium evertere, additque rationem, qua dissuadeat; in deditos enim, & eos, qui commodo futuri erant Reip., sævire non debebant. *l. 2. c. 3. t. 16.*

Vultis exemplo) Alteram partem de venia danda suadet ab utilitate, & gloria, quæ inde sperari poterat. *l. 2. c. 4. t. 28.*

Sed maturate) In *Peroratione* hortatur primum ut maturent, quod præsens rerum status moram non ferat; deinde suum erga Senatum studium indicat.

Sententiæ

In summa potestate quanto plus licet, tanto minus cupiendum est.

Materiam crescendi per summam gloriam Clementia suppeditat.

Id firmissimum imperium est, quo obedientes gaudent.

ORATIONIS LII.

Papirii Dictatoris ad Magistrum Equitum

Argumentum.

Q. Fabium Magistrum Equitum, qui absente auspiciorum caussa Dictatore, & contra ejus edictum pugnaverat, his objurgat Dictator Papirius interrogationibus.

Loci communes a *Comparatione*.

Motus, *Timor*. Mores *irati Judicis*.

Hujus orationis Argumentum tale est, quod quibusdam Interrogationibus continetur. Dignus est pœna Magister Equitum, qui contra edictum Dictatoris, & incertis auspiciis pugnavit.

Sed Mag. Equitum Q. Fabius contra edictum Dictatoris, & incertis auspiciis pugnavit. Ergo dignus est pœna.

Quæro de te] *Propositionis* approbatio quoad primam partem a *Comparatione* Majorum sic: Parent Dictatori Consules, & Prætores. Ergo parere debet etiam Mag. Equitum.

Itemque] Secunda interrogatio, quæ ostendit, fuisse incerta auspicia, & cum ea Religione impediretur Dictator, non fuisse Magistrum Equitum ab eadem liberum, & solutum.

Sed quid] Amplificat, quod superius dixerat; Debuisses nihil agere, etiamsi tacitus abiissem: ergo multo magis cum vetuerim: & hæc est prior pars *Assumtionis*.

Quomodo] Eandem *Assumtionem* repetit, cum vehementi Interrogatione.

Ad hæc] Jubet responderi ad has interrogationes, simulque Lictorem vocat. *l. 2. c. 5. t. 40.*

Sententiæ.

Major laus est, Magistratui, & legibus parere, quam hostem vincere.

Nihil Deo dubio agendum est.

ORATIONIS LIII.

Papirii Dictatoris ad Populum

Argumentum.

Populo Romano, & Tribunis Fabii supplicium deprecantibus, Dictator his tandem verbis Fabium ipsum in gratiam recipit.

Loci communes nulli sunt.

Motus, *Reverentia*. Mores *viri tenacis veteris Disciplinæ*.

Bene

Bene habet] Prima pars ad Populum ſpectat, cui de diſciplina, & imperio ſervato gratulatur, ſicque rationem ſuæ ſeveritatis aſſignat.

Non novæ] Conditiones affert, quibus Fabio gratiam facere velit, ſcilicet non jus ejus, ſed preces populi attendens, quæ una ratio eſt mutati conſilii.

Vive] Altera pars ad ipſum Fabium dirigitur, quem de culpa admiſſa caſtigat, populo condonat, monetque, ut iſto periculo cautius deinde agere diſcat, & pati legitima imperia.

Sententiæ.

Legibus ſemel impune violatis, victa eſt imperii majeſtas.

Reip. nihil majus præſtiteris, quam ſi diſcas bello, ac pace legitima imperia ferre poſſe.

Ex Dec. 1. Lib. 9.

ORATIONIS LIV.

Cl. Pontii Samnitium Ducis

Argumentum.

Cum Samnites miſſis Legatis pacem tamen impetrare non potuiſſent a Romanis, Claudius Pontius ita ſuos Populares alloquitur.

Loci communes ab *Antecedentibus*, & ab *Adjunctis*.

Motus, *Indignatio*, & *Confidentia*. Mores *viri Magnanimi*.

Ad bene ſperandum ſuos hortatur, ex *Ariſt. l.* 2. *c.* 5. *t.* 59 hoc Syllogiſmo:

Ab iis bellum ſuſcipiendum eſt, qui propitios habituri ſunt Deos.

Sed nos propitios Deos habebimus.

Ergo ſuſcipere bellum contra Romanos debemus.

Minor probatur; quia jam Deos pœna noſtra ſatis placavimus; quia Dii ſuperbos ulciſcuntur, adeoque Romanos; quia cum neceſſarium nobis ſit bellum, juſtum etiam futurum eſt, & pium. *l.* 2. *c.* 5. *t.* 60.

Ne nihil) Prima pars, qua contendit, Deos jam ſatis expiatos eſſe, quamvis homines expiari nequeant.

Quid enim) Altera pars de ſuperbia Romanorum, quæ ſic ſe habet:

Dii vindices ſunt ſuperbiæ.

At maxime in nos ſuperbi Romani ſunt. Ergo.

Quid enim) *Aſſumtionis* approbatio: nos enim reji-

ciunt,

ciunt, licet iis in omnibus satisfecerimus, *lib. 2. cap. 4. tex. 26.*

Quod si] *Complexio* argumenti.

Justum est] Tertia pars est de justitia belli, hoc modo:

Illud bellum est justum, quod est necessarium.
Hoc bellum nobis necessarium est. Ergo justum.

Proinde) *Complexio*, & *Propositio* ipsa universalis.

Sententiæ.

Justum est bellum, quibus est necessarium.
Rerum humanarum maximum momentum est, quam propitio, quam adverso res quælibet agatur Deo.

ORATIONIS LV.
L. Lentuli ad Consules de Deditione

Argumentum.

Clauso inter saltus Roman. Exercitu, iniquas hostium conditiones accipiendas suadet L. Lentulus.
Loci communes a *Consequentibus*, & a *Dissimili*.
Motus, *Misericordia*. Mores *pietatis in Patriam*.

In tres partes dividitur, *Exordium*, *Contentionem*, & *Perorationem*.

Patrem meum] Ducit *Exordium* ab exemplo Patris sui, qui auctor fuerat redimendæ a Gallis Patriæ, cum non ita evidens esset necessitas, proindeque concludit per *Comparationem*, simile consilium nunc multo magis esse eligendum, ubi non alia aderat evadendi via.

Necessitatem deinde consilii ita ostendit:

Patriam quoquo modo servare debemus. *l. 2. c. 4. t. 25.*
Sed non alia ratione servari potest. Ergo.

Equidem] Ut suasionem liberet a suspicione ignaviæ, se promtum offert ad mortem ipsam pro Patria subeundam.

Sed hic] Confirmatur *Assumtio*, quia iis Legionibus pereuntibus, Patria ipsa perit; idque patet tum ex *Consequentibus*, quod Urbis tecta nullum defensorem habitura sint, si ipsi perierint; tum a *Dissimili*, quod non ut in bello Gallico alius exercitus parari possit.

At fœda] *Complexio* ipsa per *prolepsim*; facienda est igitur deditio quamvis ignominiosa; utpote necessaria servandæ Patriæ.

Su-

Subeatur] *Peroratio*, qua repetit argumenta supra allata ex necessitate, quæ superari non possit, & *Exemplo* pari Gallorum. *l.* 3. *c.* 19. *t.* 167. & 168.

Sententiæ.

Mors pro Patria præclara est.

Temerarium est ad mortem ruere velle, cum non habes quod morte tua serves.

Patriam tam ignominia, quam morte nostra servare debemus.

ORATIONIS LVI.
Postumii in Senatu.
Argumentum.

SP. Postumius a Consule jussus de pace Caudina suum consilium aperire in Senatu, ita loquitur.

Loci communes nulli sunt.

Motus, *Misericordia*. Mores *Viri sinceri*.

Partes sunt quatuor.

Haud sum] *Exordium* habet ingenuam confessionem admissæ culpæ. *l.* 2. *c.* 4. *t.* 34.

Ego tamen) *Propositio*, qua suam dicit se omittere defensionem, & consilio suo se patefacturum deditionem factam a se non sui, sed Reip. caussa, qua ipsa re dignum se misericordia exhibet. *l.* 2. *c.* 8. *t.* 91.

Qua tamen] Exponit hic, sponsione a se facta Populum non teneri.

Dedamur] Deinde hortatur Patres, ut auctores sponsionis dedere velint, ut exolvatur Populus religione.

Interea] Tertio de bello instaurando verba facit.

Vos dii] *Peroratio*, qua per Apostrophen ad Deos ominatur felicitatem Consulibus, qui bellum illud gesturi sint.

Sententia.

Excusatio rei male gestæ non est difficilis apud haud ignaros fortunarum humanarum.

ORATIONIS LVII.
Postumii ad Populum contra Tribunos.
Argumentum.

LIvius, & Metellus Tribuni Plebis, quod & ipsi dedi deberent, deditioni intercedebant; contra quos ita Postumius ad Populum.

Loci communes a *Caussis*.

Motus, *Amor*, & *Spes*. Mores *Viri justi*, & *constantis*.

Di-

Dividitur in tres partes, *Exordium*, *Contentionem*, & *Perorationem*.

Interea] In *Exordio benevolum* sibi Populum facit, quippe viro constanti. *l. 2. c. 4. t. 25. & 35.* & malevolentiam in Tribunos excitat, quippe Patriæ perniciosos. *l. 2. c. 4. t. 23.*

Ut intercalatæ] Quod deditionem intercessione distulerint, in præmium dilationis in Comitio puniantur statim.

Nam quod] Fidem Tribunis hac in re non habendam contendit, quod intercederent caussâ sui, non Reip.

Deinde utitur tali syllogismo.

Quod injussu Populi factum est, Populum non tenet.

Hæc sponsio de pace facta est injussû Populi. Ergo.

Neque ego] *Propositio* confirmatur imprimis, quia sponsiones eos tantum obligant, qui spoponderunt.

An si] Alia ratione ab *Absurdo* sic:

Si hæc teneret, etiam teneretur Populus, si spopondissemus deditionem urbis, creationem Regum.

Sed hoc nemo unquam dixerit. Ergo neque illud.

Atqui non] *Propositio* probatur; rerum enim, quæ spondentur, indignitas vinculum non levat, & si tenetur in uno, tenetur in omnibus.

Et ne illud] Per *prolepsin* respondet Objectioni adversariorum dicentium, ideo teneri sponsione populum, quod a Consulibus sponsio facta sit; idque ex ipsorum hostium testimonio refutat.

Nec a me] Deos ait ademisse hostibus mentem, ut contenti sponsione Magistratuum, jussû Populi, & Senatus Decreto firmari eandem neglexerint, quod facere commode potuissent. Hac autem ratione *Confidentes* Cives facit, quasi Deos jam habeant faventes. *l. 2. c. 5. t. 60.*

Quid enim] *Assumtio* primi syllogismi, quod neque Populus quidquam spoponderit, neque spondere alios jusserit.

Nihil ergo] *Complexio*, quæ talis est. Ergo Populus non tenetur ea sponsione, sed nos tantum, qui sponsionis auctores fuimus.

Quod ad] Consultationem de Tribunorum deditione pertinere ad Populum dicit.

Nos interim] *Peroratio* habet Apostrophen ad Collegam.

legam Veturium, qua eum hortatur, ut hunc casum secum constanter ferat.

Sententiæ.

Sponsio neminem præter sponsorem obligat.
Frustra spondes, quod non est arbitrii tui.
Humana consilia divina necessitate superantur.

ORATIONIS LVIII.
C. Pontii ad Fecialem Romanum

Argumentum.

DEditionem per Fecialem Romanum factam se negat accipere Pontius Samnitium Imperator, graviterque expostulat ob fœdus violatum.

Loci communes ab *Effectis*.

Motus, *Pudor*. Mores *Viri gravis*, & *ingenui*.

Quin tu] Postumium in principio excusat, qui fidem præstet, quantum in ipso est; Populo autem Romano perfidiam exprobrat hoc modo:

Perfidi sunt Romani, si neque Legiones restituunt, neque pacem servant.
Sed horum neutrum faciunt. Ergo.

Populum Rom.) *Propositio* amplificata per Rhetoricam Permissionem.

Nunquamne] *Assumtio*, quæ aliis Romanorum fraudibus confirmatur in Porsenam, & in Gallos.

Hoc fide] *Complexio* per Communicationem, & Apostrophen ad Fecialem cum instanti Interrogatione.

Ego vero] Rejicit Dedititios, & Romanorum in rebus ad Deos spectantibus lusionem acerbe castigat, deditosque abire jubet, quo velint. Videas *Arist. l. 2. c. 6. t. 65.*

Sententiæ.

Fraus perstringit, non dissolvit perfidiam.
Callidi homines semper aliquam juris speciem fraudi imponunt.

ORATIONIS LIX.
Q. Fabii Dictatoris ad suos

Argumentum.

FAbius Dictator in bello contra Samnites, suos milites hortatur, ut desertis, incensisque Castris in hostes erumpant.

Loci communes ab *Adjunctis*.

Motus *Spes victoriæ*. Mores *Ducis providi*.

Talis est Syllogismus a *necessaria l. 1. c. 4. t. 43.*

Ubi

Ubi adeſt commeatus inopia, decernendum eſt prælio.
Sed nos inopia commeatus premimur.
Ergo prælium committendum eſt

Locis anguſtis) *Aſſumtio*, & inopiæ cauſſam aſſignat locorum anguſtias.

Itaque) *Propoſitio*, ad quam confirmandam addit non aliunde, quam ex pugna gloriam eſſe petendam.

Ferte] Loco *Complexionis* exponit, quid fieri velit, & incenſorum Caſtrorum damna ait compenſanda hoſtium præda.

Sententia.

Armis munimenta, non munimentis arma tuta eſſe debent.

ORATIONIS LX.
C. Menenii Dictatoris
Argumentum.

FActi quidam ambitus Rei Menenium Dictatorem inſimulaverant ejuſdem criminis, quo ſe ita purgat Menenius.

Loci communes ab *Antecedentibus*.

Motus, *Indignatio*. Mores *Viri innocentis*.

Tres ſunt partes.

Et omnes) *Exorditur* a ſua innocentia, quam manifeſtam eſſe dicit tum ex vita ante acta, tum ex honore ſummo ſibi delato ad id munus obeundum, quod virum innocentem poſtulabat. *l.* 3. *c.* 14. *t.* 103.

Sed quoniam) Innocentem ſe oſtendit a conſilio inimicorum, qui cum alia multa fruſtra tentaſſent ad evadendum Judicium, tandem Judicem ipſum Reum facere conati ſunt; ſeque proinde ad abdicandum promtum exhibet, quo res certior fiat. *l.* 1. *c.* 6 *t.*82.

Vos quæſo] *Concluſio* Orationis.

Sententiæ.

Præſtat innocentia, quam majeſtate honoris tutum criminibus eſſe.

ORATIONIS LXI.
Sempronii Tribuni in Appium Claudium
Argumentum.

P Sempronius Tribunus Plebis Ap. Claudium accuſat violati juris in Cenſura diutius obtinenda contra Leges.

Loci communes a *Comparatione*, & ab *Effectis*.

Ma-

Motus, *Ira*, & *Odium*. Mores *Viri modesti*, & *justitiam amantis*.

Dividitur in tres partes, *Exordium*, *Contentionem*, & *Perorationem*.

En Quirites] *Exordium* sumitur ab odio Claudiæ gentis, quo pop. Roman. multis in rebus Majores Appii prosecuti sunt, otio, & commodo Plebis semper infesti. *Ex Arist. l. 2. c. 4. t. 37.*

Altero anno seipse] Cum ipse haberet Comitia.

Duo exercitus) Alter, qui ex Castris venerat; alter ex Plebe.

Itane) *Contentio*; cum enim Appius Censor recusaret post annum cum dimidio se abdicare Censura, quod diceret, legem Æmiliam, quæ jubebat sesquiannuam esse Censuram, eos tantum tenuisse Censores, sub quibus lata est, reliquos continuare posse Magistratum per quinquennium, ut lege 12. Tabularum præscriptum erat; ita contra arguit: Quod per centum jam annos alii fecerunt, tu quoque facere debes.

> Sed per centum jam annos alii habuere sesquiannuam Censuram. Ergo.

Itane] *Propositio*.

Quia hanc] Per *prolepsin* confirmatur eadem *Propositio*, quia Lex Æmilia posterior abrogat antiquam 12. Tabularum.

An hoc] Hujusmodi Epicheremate tale continetur Dilemma:

> Vel dicis populum lege Æmilia non teneri, vel cum Populus teneatur, te tamen non teneri.
> Utrumque est absurdum. Ergo.

Tenuit] Per *comparationem* deinde ab *Exemplis* Furii, & Geganii Censorum, qui Legis Auctorem ærarium fecerant, tanto exarserant in eum odio; & Plautii Collegæ, & Interregis, ac Dictatoris, qui se suo tempore Magistratibus sponre abdicabant.

Ærarium] Illum fieri ærarium dicebant, quem Censores Tribu movissent.

Quem tu regem] Comparationis cum Collega *invidiam* auget hoc modo alia *Comparatione*:

> Turpe esset, si quis Rex sacrificulus creatus diceret se creatum, ut optimo jure Romæ Rex sit, non tantum Sacrificiorum.
> Ergo est etiam turpe, Te creatum Censorem velle contra leges, tuoque arbitrio Censuram gerere.

Nolo ego] *Complexio* primi syllogismi.

Triennium] Amplificat superbiam Appii per *Dilemma.*
Aut solus Censor eris, aut Collegam subrogabis.
Utrumque est turpe. Ergo.

Hoc quidem] Approbatio *Assumtionis* quoad primam partem.

Quem ne in] Probat non esse subrogandum Collegam a *Comparatione Majorum*.

In demortui Censoris locum non potest alter subrogari.

Ergo neque in locum illius, qui se Magistratu abdicavit.

Pœnitet] Probatur *Antecedens* ex calamitatibus, quæ Reip. accidebant, cum illud fieret; nam sub ipso Claudio gens Potitia extincta est, & antea sub Papirio Roma capta est a Gallis. De Potitiis autem vide Liv. lib. 1.

Ego te] *Peroratio*, qua superbiæ Appii suam modestiam opponit: *l.* 2. *c.* 4. *t.* 26. & nisi paruerit, carcerem minatur: additque rationem, quia solus gerere Censuram non poterat, cum differrentur Comitia ex Majorum instituto, si iisdem Comitiis duo simul creari non potuissent.

Sententiæ.

Boni Civis est, æquo, & pari jure cum aliis vivere.

Ubi duæ Leges contrariæ sunt, antiquæ derogat nova.

Sunt quos nec Lex, nec pudor coercet.

Ex Dec. I. Lib. X.

ORATIONIS LXII.

Decii Consulis pro Sacerdotio Plebejo

Argumentum.

TRibuni Plebis legem promulgaverant, ut ex Plebe etiam allegerentur Augures, & Pontifices, quam ita suadet Decius contra alterum Consulem Ap. Claudium.

Loci communes ab *Antecedentibus*, & a *Comparatione*.

Motus, *Odium*. Mores *viri pro communi libertate pugnantis*.

Partes sunt tres.

Exordium autem sumit a narratione rerum pie, ac utiliter a Patre, & aliis Plebeiis pro Rep. gestarum; ubi pulcherrima adest hypotyposis Patris Decii se deventis.

Quod

Quod cum ita] Ita igitur primum ab *Antecedentibus*.

Qui Consulatum, Censuram, Triumphum obtinuerunt, possunt etiam Pontificatum obtinere.
Plebeii ea omnia jam sepe obtinuere. Ergo.

Quid autem] Deinde sic a *Præjudicus*.

Decemviri Sacris faciundis Plebeii etiam sunt.
Ergo & alia Sacerdotia conferri possunt Plebi.

Sabinum] Tertio a *Comparatione*.

Majus est recipi in numerum Patritiorum, quam Sacerdotum.
Sed Claudius Sabinus advena receptus est in numerum Patritiorum.
Ergo & nos Plebeii Cives Romani creari Pontifices possumus.

Multa nobiscum] Auget vim Comparationis, quod jam Plebeii tot Magistratuum insignibus ornati sint, quod supra etiam dixit.

L. Sextius] Respondet ad id, quod Appius objiciebat, Auspicia esse tantum apud Patritios, idque triplici ratione infirmat. 1. quia idem objectum fuerat Plebeiis etiam in aliis Magistratibus obtinendis. 2. quia reipsa apparuerat, imperium & auspicium non minus esse in Plebeiis prosperum, quam in Patritiis. 3. quia & Patritii non semper tales fuerunt, sed simul ac insignes numerare Majores potuerunt, quod etiam Plebeii facturi sunt.

Nihil est] *Peroratio*, qua Patritiorum arrogantiam deridet, Plebemque hortatur, ut Legem jubeat. *l. 2. c. 2. t. 9.*

Sententiæ.

Deus Personam non curat, sed gratus ei est, quicumque caste, & religiose eum colit.
Non de cœlo demittuntur magni nominis Viri, sed virtute fiunt.

EX
DECADIS TERTIÆ
LIB. I.
ORATIONIS LXIII.

Annonis in Carthaginienſium Senatu

Argumentum.

CUm ageretur in Senatu Carthaginienſium, an eſſet in Hiſpaniam mittendus Hannibal ad exercitum, necne, ſic Anno diſſuadet.

Loci communes a *Cauſſis* & a *Conſequentibus*.

Motus, *Timor*. Mores *providi Senatoris*.

Tria præſtat: 1. proponit ſententiam. 2. eam probat quoad utramque partem. 3. concludit quid agendum ſit.

Et æquum) Sententia Annonis ambigua, qua & aſſentire videbatur Aſdrubali, & ab eodem diſſentire.

Florem ætatis) Ita explicat primam partem a *Cauſſa finali*, quæ cum ſit turpis, maximam etiam affert Adverſariis turpitudinem.

Jure a Filio repetitur, quod ereptum eſt a Patre.
Sed Pater Amilcar eripuit pudicitiam Aſdrubali.
Ergo Aſdrubal jure eam repetit a filio Hannibale.

Nos tamen) Altera Sententiæ pars, quam primo confirmat a *diverſis*.

Rudes Adoleſcentes militiæ aſſuefacere debemus,
Ergo non libidini Imperatorum.

An hoc] Secundo ſic a *Conſequentibus*.

Si Hannibalem dimittimus, illi regnum, nobis ſervitutem acceleramus.
Ergo non eſt dimittendus.

Ego iſtum] Concludit retinendum eſſe domi Juvenem, ut ſub Legibus & Magiſtratibus regios ſpiritus deponat, & civiles aſſumat; aitque eſſe cavendum a maximis calamitatibus, quas illius ambitio Reip. importare poterat, ex *Ariſt. l.* 2. *c.* 5. *t.* 42.

Sententiæ.

Turpe eſt Juventutem pro militari rudimento aſ-

suefacere libidini Imperatorum.

Timendum, ne parvus ignis incendium ingens exsuscitet.

ORATIONIS LXIV.
Annonis in Senatu Carthaginiensium
Argumentum.

CUm Romanorum Legati deditionem Hannibalis peterent, qui contra fœdera Saguntum obsideret, & ut sua Saguntinis redderentur, Anno eorum postulata defendit.

Loci communes ab *Antecedentibus*, a *Comparatione*, & a *Consequentibus*.

Motus, *Timor*. Mores *boni Senatoris*.

Tres habet hæc Oratio partes, *Exordium*, *Contentionem*, & *Conclusionem*.

Per deos) *Exordium*, in quo ad conciliandam benevolentiam providum se, & amantem Reip. civem ostendit, ex *Arist. l.* 2. *c.* 4. *t.* 21.

Juvenem) Arguit Patres, qui Juveni ambitioso arma dederint, sibique ipsi talem, ac tantam perniciem intulerint.

Saguntum] *Contentio*, quæ tali Syllogismo continetur.

Nisi admittitis postulata Legatorum, bellum est gerendum cum Romanis.

Sed hoc bellum certam nostræ Reip. perniciem afferet.

Ergo admittenda sunt Legatorum postulata. *Arist. l.* 2. *c.* 5. *t.* 40.

Saguntum nostri] *Assumtio*, quam probat ab *Antecedentibus*.

Rupta a nobis fœdera primo bello Dii ulti sunt.

Ergo & hoc secundo ulciscentur. *lib.* 1. *c.* 12. *t.* 224.

Utrum hostem] Deinde, quia jam experti sunt Pœni, qua uterque Populus fortuna in bello utatur, pariter ab *Antecedentibus*.

Legatos] *Prolepsis*, quasi amice idcirco Romani de injuriis expostulent, quod arma Pœnorum timeant; simulque cum *Prolepsin* proponit, injuriæ magnitudinem amplificat, ex *Arist. l.* 1. *c.* 14.

Quo lenius] Responsio ad *Prolepsin*.

Ægates insulas] Sequitur approbatio *Assumtionis* ex iis, quæ priore bello minus feliciter evenere Carthaginiensibus.

Nec puer hic] Et eamdem confirmat a *Comparatione*.

Ea

Ea tunc passi sumus sub Amilcare viro, & summo Duce.

Ergo majora imminent sub Hannibale puero, & imperito.

Carthagini nunc] *Propositio* primi Syllogismi, quacum simul illustratur *Assumtio*.

Debemus ergo] *Prolepsis* de deditione Hannibalis, cui tamen satisfacit, ostendens, illam esse Reip. non solum utilem, sed etiam necessariam, quod necesse sit eum extra imperii fines asportare, etiamsi id Romani non peterent.

Ego autem] *Conclusio*; quæ tria suæmet Sententiæ capita exponit.

Sententiæ.

Qui Legatos seu Sociorum, seu hostium non admittit, jus gentium tollit.

Quo segnius incipiunt, eo perseverantius hostes sæviunt.

ORATIONIS LXV.

Alorci ad Saguntinos

Argumentum.

ALorcus miles Hannibalis exponit Saguntinis pacis conditiones, quas Alcon Civis Saguntinus referre non audebat.

Loci communes a *Caussis*, & a *Consequentibus*.

Motus, *Timor*. Mores *viri probi*.

Tria peragit Alorcus. 1. duas caussas assignat sui in Urbem adventus. 2. pacis conditiones proponit. 3. easdem suadet.

Si civis vester) Caussa prima veniendi in Urbem, quod Alcon redire recusaverat; alioquin neque annuente Hannibale, ut Orator, neque invito, ut transfuga, advenisset. Simul eos modeste per dubitationem coarguit, quod sine periculo vera dici non possint.

Vestra autem] Altera caussa sui adventus, ut servet Saguntinos, quam sic ostendit: Huc adveni, cum nulla vobis jam reliqua spes est.

Ergo veni caussa vestra, non ut Hannibali rem gratam facerem.

Cujus ita) Antequam proponat iniquas pacis conditiones, cogitare jubet, se victos esse, ut beneficium potius esse putent, si qua relinquantur, quam injuriam, si multa amittant. Idem habet Cic. pro Dejotaro.

Urbem vobis] Conditiones Pacis.

Hæc victor] Prima ratio, qua probat, Pacem etiam iniquam non esse rejiciendam, talis est a *Caussa efficiente*:

Ii, quorum nulla spes, omnia velle debent, quæ victor velit.

Vos nullam spem habetis, & victor Hannibal hanc pacem offert.

Ergo eam vos, licet iniquam, recusare non debetis.

Equidem] Secundo sperare se ait fore, ut ex his aliquid remittat Hannibal, si se ejus clementiæ permittant.

Sed hæc] Tertio a *Consequentibus* tali ratione.

Pax hujusmodi levius malum est, quam trucidari vos, conjuges, liberosque vestros in servitutem trahi.

Sed hæc Vobis contingent, nisi Pacem admittatis. Ergo. ex *Arist.l.* 1. *c.* 7, *t.* 92. & *l.* 2. *c.* 5. *t.* 40.

Sententiæ.

Pessimi sunt ii, apud quos periculum est vera referentibus.

Multa, quamquam sint gravia, atque acerba, fortuna nostra nobis suadet.

ORATIONIS LXVI.

Senatoris Carthaginiensis ad Legatos Romanos

Argumentum.

QUærentibus in Senatu Carthaginiensium Romanis Legatis, an publico consilio Saguntum oppugnatum sit, ita Princeps quidam respondit.

Loci communes ab *Antecedentibus*, & a *Comparatione*.

Motus, *Ira*. Mores *viri prudentis*.

Tria pariter facit. 1. Interrogationem Legatorum reprehendit. 2. probat, oppugnationem Sagunti non fuisse contra fœdera. 3. concludit.

Vana Romani] Frustra interrogare Romanos ostendit, publicone consilio oppugnatum fuerit Saguntum, exemplo primæ Legationis, ubi hac de re itidem frustra quæsiverant.

Cæterum] Hanc secundam prima Legatione reipsa asperiorem esse probat, quia illa Hannibalem insimulabant, hac omnes Carthaginienses.

Ego autem) Iniquam esse hanc disceptationem contendit, feceritne id privato consilio, an publico Hannibal:

nibal: de hoc enim quærere Carthaginienses debent, quippe in suum Civem, non autem Romani.

Itaque) Descendit ad alteram partem, & repetens Interrogationem Legatorum, cui non expresse satisfacit, probat Sagunti oppugnationem non fuisse contra fœdera, quia de iis nihil cautum fuerat in fœdere, quod ictum fuerat a Luctatio Consule.

At enim) Quod objiciebatur de fœdere Asdrubalis, diluit hac ratione *a pari*: Non magis nos nostra fœdera, quam vestra vos tenent.

Sed vos non tenuit fœdus a Luctatio ictum vobis insciis.

Ergo neque nos Asdrubalis fœdus tenet, quod nobis insciis ictum est. ex *Arist. l. 2. cap. 2. tex.* 11 *&* 12.

Proinde] *Conclusio* plena indignationis, qua hortatur Legatos, ut aperte bellum denuntient, cujus denuntiandi vanas caussas prætendant; & utitur verbo *parturio*, quasi velint Romani bellum omnino cum Carthaginiensibus gerere, sed quodammodo dubitent commoti rei ipsius injustitia.

Sententia.

Legatio quo verbis lenior, re sæpe asperior est.

ORATIONIS LXVII.
Hannibalis ad Hispanos Milites

Argumentum.

HAnnibal consilium suum de suscipiendo maximo bello Hispanis militibus aperit, & ad suos invisendos quemlibet dimittit.

Loci communes ab *Effectis*.

Motus, *Gratia*. Mores *providi Ducis*.

Credo ego] Necessitatem suscipiendi externi belli proponit hoc *Dilemmate*: Aut dimittendi sunt exercitus, aut externum bellum suscipiendum. At exercitus dimittendi non sunt. Ergo bellum, &c.

Pacatis] *Propositionis* approbatio.

Aut finiendum) Ipsa *Propositio*; non enim attingit *Assumtionem*, cum certum esset & ipsi imperium non deponere, & militibus stipendiis, ceterisque militiæ emolumentis non privari.

Ita enim] Deinde *ab Effectis* utile futurum bellum ostendens, ita arguit: Utile futurum est hoc bellum Hispaniæ gentibus. Ergo suscipiendum.

Victoriæ bonis] Cum enim multi mecum futuri sint

 His-

Hiſpani milites, Hiſpania ipſa erit participes prædæ, & gloriæ, quæ meam victoriam conſequentur.

Itaque) Dat ſingulis facultatem, ut ad ſuos inviſendos proficiſcantur, addito commeatu, ut eos ſibi conciliet; & adeſſe jubet primo vere, oblata ſpe maximæ tum prædæ, tum gloriæ.

ORATIONIS LXVIII.
Hannibalis ad Milites
Argumentum.

Metuentes difficillimum per Alpes iter milites ita Hannibal caſtigat, & adhortatur.

Loci communes ab *Antecedentibus*, & a *Comparatione*.

Motus, *Confidentia*. Mores *viri impavidi*.

Mirari ſe] Eos, qui ſemper victores fuerint, qui Hiſpaniam omnem ſubegerint, qui ab ultimis terris bellum Romanis moverint, poſt emenſam maximam itineris partem, ſuperato Pyrenæo ſaltu, trajecto Rhodano, Gallis victis, imprudenter ait Alpes timere, quæ Italiam dividunt. *Ariſt. l. 2. c. 5. t. 57.*

Quid aliud alpes) Oſtendit non eſſe invia ſuis militibus ea loca, quæ incolas habeant, & per quæ tranſierint Gallorum, & Italorum ingentia agmina, confirmatque a *Comparatione* tali pacto;

Circa Saguntum per octo menſes tantum periculi, & laboris exhauſtum eſt.

Ergo multo majora toleranda, ut Romam capiamus.

Cepiſſe quondam] Inflammat ultimo milites exemplo Gallorum, qui vicerant Italiam, & Romam, adeoque concludit & a ſuo exercitu eadem poſſe vinci, qui toties Gallos ipſos victores ſuperaverit.

Sententiæ.

Nullæ terræ Cœlum contingunt, nec inexuperabiles ſunt humano generi.

Romam orbis terrarum caput petentibus nihil arduum, atque aſperum videri debet.

ORATIONIS LXIX.
Cn. Scipionis ad Milites.
Argumentum.

CN. Scipio pugnaturus cum Hannibale militum suorum animos hac oratione inflammat.

Loci communes ab *Antecedentibus*, ab *Adjunctis*, a *Caussis*, a *Consequentibus*.

Motus, *Æmulatio*, & *Confidentia*. Mores *fortis*, & *cauti Ducis*.

Dividitur in tres partes, *Exordium*, *Contentionem*, & *Conclusionem*.

Si eum exercitum] In *Exordio* rationem affert, cur apud eos verba faciat, quia scilicet novi exercitus novus ipse Imperator sit. Commemorans ea, quæ feliciter cum veteranorum exercitu gesserat contra Hannibalem, *Æmulationem* movet, ex *Arist. l.* 2. *c.* 11. *t.* 114.

Meis auspiciis) Legatus enim Consulis Frater erat, Legati autem omnia gerere dicebantur non suis, sed Imperatoris auspiciis.

Senatus Populusque] Utriusque mentionem facit, quod Senatus Hispaniam provinciam cum eo exercitu decreverat, Populus lege Curiata, sicut in reliquis fieri solebat, Imperium dederat.

Ne genus) *Contentionis* primum Argumentum sumitur ab *Antecedentibus*.

Ii vincent, qui semper antea vicerunt.
Nos antea semper vicimus Pœnos. Ergo & nunc vincemus.

Propositio constat ex *Arist. l.* 2. *c.* 5. *t.* 57.

Erit igitur) *Complexio*.

Nec nunc) Quia Confidentiæ suorum militum obstabat audacia hostium, qui se ad pugnam parabant, ostendit ex necessitate nunc accedere ad pugnandum, qui exercitu incolumi pugnam detrectaverant.

At enim] *Prolepsis*, quasi pauci quidem sint, sed vigentes animis, & corporibus, adeoque jure audaces, & confidentes. *l.* 2. *cap.* 5. *tex.* 59.

Effigies imo) Responsio ad *Prolepsin*, tali ratione ab *Adjunctis*.

Ii non vigent animis, & corporibus, qui fame, frigore, &c. fracti, & debilitati sunt, & equos habent claudos, & debiles.
Tales sunt Pœni. Ergo.

Assumtio habetur pulcherrime amplificata.

Sed ita) Cum supra ostenderit pene victos in Al-

 pium

pium transitu Pœnos, hoc idem nunc illustrat a *Caussis*.

Ii imprimis ulcisci debent, qui primi violati sunt.

Dii custodes fœderum primi violati sunt.

Ergo primi Dii ulcisci debuerunt Pœnos in transitu Alpium.

Non vereor] Ab exemplo sui ipsius milites inflammat, seque confidentem demonstrat ita ab *Antecedentibus*, *l.* 2. *c.* 5. *t.* 55. & 57.

Ille certam victoriam sperat, qui sponte & promte ad pugnam accedit.

Sed ego sponte, & promte Pœnis occurro. Ergo.

Licuit mihi) Docet sponte se pugnam inire cum Pœnis, quod commissum sibi in Hispania bellum cum Asdrubale multo minus periculosum huic cum Hannibale postposuerit.

Tamen cum] Promtitudo ineundi certaminis.

Huic timendo) *Complexio*, & per Ironiam timendum hostem appellat, quem sibi minime terribilem declaraverat.

Experiri juvat] Assignat rationem, quare ipse exercitum, & Ducem Pœnorum contemnat, ab *Antecedentibus*.

Illi contemtui esse debent, quorum majores fœde victi sunt. *l.* 2. *c.* 11. *tex.* 116.

Sed tum Pœni, tum Pater Hannibalis victi sunt a nobis.

Ergo & exercitus, & Dux Pœnorum contemnendi sunt.

Experiri juvat] *Propositionis* approbatio, non esse verisimile, fore nunc fortes Carthaginienses, qui primo bello se turpiter vinci passi sunt; & dubitationi ironicæ ipsa quoque *Assumtio* annexa est.

Domum certe) Multo enim magis nos movet victus Pater, quam Patria victa, & patrem Hannibalis victum varie amplificat, quo magis contemnendum probet, ex *Arist. lib.* 2. *c.* 5. *tex.* 57.

An vectigales] Vectigalem Pop. Rom. Hannibalem vocat, quia Carthaginienses stipendium pendere Romanis coacti fuerant.

Itaque vos) *Iram* movet, non modo quia tot acceptis beneficiis adeo iniquum bellum ingrati Pœni susciperent, sed etiam quia victoribus victi ultro inferrent arma, ut habetur in principio hujus Libri: & hæc omnia sumta *ex Arist. l.* 2. *c.* 2. *tex.* 11. & 12.

Atque utinam) Ultimo arguit a *necessitate* tali ratione.

Ii fortiter pugnare debent, qui pro ſalute Patriæ, & ſuorum pugnant.

Sed nos pro ſalute Patriæ, conjugum, & filiorum pugnamus.

Ergo ſtrenue pugnandum.

Non de poſſeſſione) *Aſſumtio* ſumta a *diſſimili*.

Nec eſt alius) approbatio *Aſſumtionis*, quod neque alius exercitus, neque aliæ Alpes ſuperandæ ſuperſint.

Hic eſt) *Complexio* Argumenti.

Unuſquiſque) Eadem *Aſſumtio*, quam loco univerſalis *Concluſionis* repetit, & per Hypotypoſim quaſi ante oculos militum ponit tum Patriam, tum conjuges, liberoſque, de quorum ſalute agebatur.

Sententiæ.

Novo Imperatori apud novos milites aliquid dicendum eſt.

Fœdifragi cum Deo, & hominibus bella gerunt.

Ultimum ſuppliciorum humanorum eſt fames.

ORATIONIS LXX.
Hannibalis ad ſuos Milites

Argumentum.

IPſe etiam Hannibal admonitum prius exercitum de pugnandi neceſſitate per ſpectaculi cujuſdam imaginem, hac deinde oratione accendit.

Loci communes ab *Adjunctis*, ab *Effectis*, a *Comparatione*, & *Cauſſis*.

Motus, *Ira*, & *Confidentia*. Mores *magnanimi Ducis*.

Tres ſunt partes, *Inſinuatio*, *Contentio*, & *Concluſio*.

Si quem animum] In *Exordio Æmulationem* Scipio, & *Confidentiam* movet, Hannibal victoriæ neceſſitatem proponit, hoc ſyllogiſmo.

Ii aut vincere, aut mori debent, quibus, niſi vincant, extrema pati neceſſe eſt.

Sed vos, niſi vincatis, extrema patiamini neceſſe eſt. Ergo.

Propoſitio] conſtat ex Spectaculo antea exhibito, in quo non vincentium magis, quam bene morientium fortuna laudabatur.

Si quem) *Inſinuatio*, qua victoriam ſuis militibus pollicetur, ſi hac propoſita neceſſitate fortiter pugnent.

Neque enim) *Aſſumtio*.

Ac neſcio) *Aſſumtionis* approbatio, & ab *Adjunctis* utriuſque Maris, inferi ſcilicet, & ſuperi, Padi fluminis, & Alpium, ſingula *per Comparationem Mino-*

tum amplificans, nullum aliud effugium patere ostendit.

Hic nobis] *Complexio* argumenti.

Et eadem fortuna) Alia ratio ab *Effectis* tali pacto.

Ea pugna fortiter ineunda est, ex qua maxima praemia dependent.

Sed ex hac cum Romanis pugna maxima praemia dependent. Ergo.

Si Siciliam) *Assumtionis* approbatio ab enumeratione eorum, quae hac victoria consecuturi erant.

In hanc] *Complexio*.

Satis adhuc] *Propositio* illustrata a *Comparatione* Minorum.

Fortiter in Hispania pugnastis, cum nulla fere essent praemia victoriae.

Ergo eo nunc magis, quo majora sunt ea, quae consequemini.

Nec quam magni] Tertio arguit *a facili*, & *comparationibus* utitur.

Saepe & contemtus) Prima *Comparatio*.

Saepe & contemtus hostis vicit, & Magni Reges victi sunt perlevi momento.

Ergo & nos licet contemti vincere, & Romani licet celebres vinci poterunt.

Nam demto) Secunda *Comparatio* Militum inter se.

Milites veterani, & victores superabunt tirones, & alias victos.

Vos & veterani, & victores, Romani tirones, & a Gallis victi sunt.

Ergo vos facili negotio eos superabitis.

Propositio pendet ex *Arist. l. 2. c. 5. tex. 59.*

Ut viginti) Prima pars *Assumtionis*: quam probat ex militia viginti annorum prospere gesta, & ex victis in itinere ferocissimis Hispaniae, & Galliae populis: locus est ab *Antecedentibus*.

Pugnabitis) Altera pars, quam confirmat ab *Adjunctis*, quod exercitus Romanorum tiro sit, & paullo ante caesus a Gallis multo, quam sint Carthaginienses inferioribus, & novum habeat Imperatorem.

An me in] Tertia *Comparatio* Ducum.

Dux in bello educatus, & saepe victor praeferendus est tironi, & suimet exercitus desertori. Ergo Hannibal Scipioni.

Cum semestri] Semestrem Ducem Scipionem appellat, quia post initum Consulatum sex fere menses elapsi fuerant; desertorem autem, quia veterem exer-

citum

citum cum fratre in Hispaniam miserat, se huic novo Imperatorem præbuerat.

Cui si quis) Prosequitur idem Argumentum, & eo etiam nomine se præferendum Scipioni ostendit, quod sui ipsius Virtus nota jam sit militibus; militum sibi; at neque Scipio suos, neque Romani Scipionem noverint.

Quocumque] Quarta *Comparatio*: Ille vincet, qui virtute præstat.

Nos virtute præstamus. Ergo.

Simul etiam subjicit caussas, propter quas egregie pugnare debeant, socii ut se fideles, & fortes exhibeant, Pœni, ut Patriam, seque ipsi ulciscantur. *Lib.* 2. *c.* 5. *t.* 46.

Inferimus) Quinta, & ultima *Comparatio*.

Major est spes, & animus inferentis vim, quam arcentis.

Nos inferimus bellum. Ergo.

Quod manifeste patet ex *Arist. l.* 2. *c.* 5. *tex.* 61.

Accendit præterea] *Ira*, & *odio* dignos Romanos ostendit, quippe crudeles, & superbos: Crudeles, quia propter oppugnationem Sagunti se Ducem, suosque Milites ad supplicium depoposcerant; superbos, quia sibi rerum omnium arbitrium arrogaverant; ubi notanda est pulcherrima Prosopopœja. *Arist. l.* 2. *c.* 2. *t.* 11.

Ad Iberum) Crescit indignitas, non enim solum transire Iberum prohibent, sed etiam oppugnare Urbem, quæ trans Iberum non sit.

Transcendet) Argumentum ex *necessitate* desumtum, utpote maximi ponderis, ultimo rursus amplificat tali ratione.

Ii fortiter pugnare debent, qui, nisi vincant, omnia amittunt.

Nobis nihil reliquum est, nisi vincamus. Ergo.

Probat *Assumtionem*, quia cum Romani post ereptas Siciliam, & Sardiniam, Hispaniam etiam, & Africam Consulibus decrevissent Provincias, Pœnis nulla erat reliqua regio, nisi quas armis tenuissent.

Illis timidis) Confirmat eamdem *Assumtionem* a *Dissimili*.

Romani timide pugnare possunt, quia tutum receptum habent.

Ergo nos fortiter, quibus nullus patet receptus.

Si hoc bene) Concludit, Carthaginienses fore sine controversia victores, si quam necessaria victoria sit, bene

bene noverint, cum nihil magis animos hominum inflammet, quam ultima necessitas.

Sententiæ.

Sæpe & contemtus hostis cruentum certamen edidit, & inclyti populi, Regesque perlevi momento victi sunt.

Major spes, majorque animus est inferentis vim, quam arcentis.

Illis necesse est fortibus viris esse, qui victi non habent, quo se recipiant.

Nullum incitamentum ad vincendum homini a Diis immortalibus acrius datum est, quam necessitas.

ORATIONIS LXXI.
Sempronii Consulis ad Milites

Argumentum.

OB rem bene gestam cum prædatoribus Hannibalis Sempronius ferocior factus prælium apud milites urget, quod Scipio alter Consul dissuadebat.

Loci communes ab *Adjunctis*, & a *Comparatione*.

Motus, *Ira*. Mores *hominis nimium ferocis*.

Partes quatuor sunt, *Exordium*, *Propositio*, *Confirmatio*, & *Conclusio*.

Gaudio efferri) Milites sibi conciliat per laudem sui ipsius, & calumniam Collegæ. Se laudat, quod vicerit, & quod equestri prælio vicerit; carpit Collegam, quod victus fuerit, & quod inde timidus esse cœperit.

Sed non esse) *Propositio*, non oportere timidos esse victores milites, *l. 2. c. 5. t.* 41. quamvis timeat Scipio æger animo magis, quam corpore.

Quid enim) *Confirmatio*, cujus primum argumentum ab *Adjunctis* est hujusmodi. Nulla moræ caussa est. Ergo pugnandum.

Probat *Antecedens*, cum neque alii Consules, neque alii exercitus expectandi sint, jamque in Italiam hostes pervenerint

Non Siciliam). Sic deinde a *Comparatione*.

Pugnandum esset, si de Sicilia, aut de Hispania ageretur.

Sed de Italia, & Patria agitur. Ergo multo magis pugnandum.

Non enim ferendum ait, solo patrio pelli Romanos a Pœnis; quibus victis Siciliam, & Sardiniam ademerint, ex *Arist. l. 2. c. 2. t.* 11.

Quan-

Quantum] *Conclusio*, quæ rei indignitatem maxime amplificat a *contrariis*, & *adjunctis*.

Sententiæ.

Qui animo magis, quam corpore æger est, aciem, & tela horret.

Cum ægro non est senescendum.

Ex Dec. 3. Lib. 1.

ORATIONIS LXXII.

C. Flaminii de prælio non differendo

Argumentum.

CUm cæteri differendum cum Hannibale prælium censerent, Flaminius Consul iratus ita morantes increpat.

Loci communes a *Consequentibus*.

Motus, *Pudor*. Mores *Viri audacis*.

Quin imo) Responsio ironica ad salutare consilium de dilatione prælii.

Hannibal] Turpe illud esse consilium ostendit a *Consequentibus*.

Turpe est Hannibalem vastare omnia, & Romam pervenire.

Sed hæc contingent, nisi pugnemus, &c.

Nec ante) hoc est, non ante hinc moverimus, quam in extremum salutis discrimen adductam Patriam videamus, ut bello Gallico: ex *Arist. l. 2. c. 6. t. 65*.

ORATIONIS LXXIII.

Minutii Rufi ad Milites

Argumentum.

FAbium Dictatorem cunctando rem Romanam restituentem Minutius Magister Equitum apud Exercitum coarguit.

Loci communes ab *Adjunctis*, & a *Comparatione*.

Motus, *Æmulatio*. Mores *hominis ferocis*.

Duo præstat, rei indignitatem amplificat, ac deinde concludit.

Spectatum ne) Per figuram Communicationem turpe ait esse non ferre auxilium sociis, & civibus, quod ita ostendit a *Caussa finali*:

Turpe est, præsidia in finitimos parata dirui ab exteris hostibus.

Sed Coloniam contra Samnites deductam hostis Pœnus advena affligit.

Ergo id ferre Romanis turpe est.

Tantum] Deinde duplici utitur *Comparatione minorum*, quarum prima ita se habet: Majores nostri turpe sibi esse duxerunt, vagari præter Italiæ oram Classes Punicas.

Ergo nobis turpius, Mauros, & Numidas vastare ipsam Italiam.

Qui modo) Altera *Comparatio*. Saguntí oppugnationem ferre non potuimus. Ergo multo minus obsidionem Romanæ Coloniæ ferre debemus.

Fumus ex] Hypotyposis, qua villas incensas, & vastatos agros militibus ob oculos ponit, quo magis turpem probet Fabii cunctationem.

Si hoc modo) Arguit ab *Exemplis dissimilibus*, tali pacto. Camillus, Papirius, & Luctatius celeritate salutem, & victorias Patriæ pepererunt. Ergo nos cunctatione Patriam perdemus. *Arist. l.* 2. *c.* 11. *t.* 110.

Unicus in rebus] Ironia, & novum Camillum Fabium vocat creatum Dictatorem, ut Romam tot afflictam calamitatibus servaret, quasi omnium optimum, quem tamen Camillo omnino dissimilem facit.

Quo die dictatorem] Non enim a Magistratu, sed a Populo Patribus auctoribus dictus est Dictator Camillus.

Stultitia est) Concludit, ducendos esse ad pugnam milites, ut suorum Majorum exemplo Imperium virtute augeant. *l.* 2. *c.* 11. *t.* 116.

Sententiæ.

Stultitia est, sedendo, aut votis debellari credere posse.

Audendo, agendoque Resp. crescit, non iis sensibus, & consiliis, quæ timidi cauta vocant.

ORATIONIS LXXIV.

Fabii Dictatoriis ad Magistrum Equitum.

Argumentum.

Fabius antequam Romam sacrorum caussa proficisceretur, ita Magistrum Equitum hortatur, ne se absente cum hoste confligeret.

Ut plus] Primo argumento utitur a *Caussis*, quia vir prudens debet consilio magis, quam fortunæ confidere, plurimum autem in præliis dominatur fortuna.

Et se] Satius esse imitari Fabium, quam Sempronium, & Flaminium; quorum ferocia in ultimum discri-

discrimen Remp. adduxerat.

Ne nihil actum] Probat se plurimum juvisse non pugnando Remp. a *simili*: nam & medici in quibusdam morbis quiete magis, quam aliis remediis proficiunt.

Haud parvam] Deinde ab *Effectis*, quia vinci solitis pro magno beneficio esse solet desisse vinci. Omnia sunt Sententiis referta.

ORATIONIS LXXV.

Aceducis Hispani ad Bostarem Pœnum.

Argumentum.

Acedux Hispanus, ut Romanos sibi eo beneficio conciliaret, suasit Bostari Pœnorum Duci, ut sibi traderet Hispanorum obsides suis restituendos.

Loci communes a *Consequentibus*.

Motus, *Timor*. Mores *Viri callidi*.

Tria facit. Metum enim incutit, proponit Consilium, seque illius Ministrum offert.

Metum] Excitat in Bostare timorem, ne Hispani ad Romanos desciscerent, qui cis Iberum jam castra haberent, ex *Arist. l. 2. c. 5. tex. 40.*

Itaque] Aperit consilium conciliandi Hispanorum animos novo aliquo beneficio, ut scilicet restituat singulis suos obsides. Id omnibus, & singulis fore gratum ostendit, quod quilibet sit fidelis in eos, quos suæmet fidei fidentes videt. *l. 2. cap. 5. tex. 56.*

Ministerium) Hujusce rei ministerium sibi deposcit, & pollicetur, se rem suapte natura gratam benigne singulos alloquendo magis gratam facturum.

Sententiæ.

Quos metus non tenet, beneficio, & gratia devinciendi sunt.

Habita fides ipsam plerumque obligat fidem.

Unusquisque opera impensa consilium adjuvet suum.

ORATIONIS LXXVI.

Metelli Tribuni ad Populum

Argumentum.

M. Metellus Tribunus Plebis Fabii cunctationem accusat apud Populum; & de æquando Dictatoris, & Magistri Equitum jure mentionem facit.

Loci communes ab *Enumeratione*, & a *Consequentibus*.

Motus, *Ira*. Mores *viri seditiosi*.

Tres sunt partes. *Propositio*, *Confirmatio*, & *Conclusio*.

Id

Id enim vero) Duo reprehendit in Fabio, tum quod ipse non pugnaverit, tum quod prosperam Minutii cum Hannibale pugnam carperet. Hoc tamen omittit, & illud alterum pergit arguere a *Caussa finali*, quasi ideo Fabius nolit cum Hannibale pugnare, ut solus, & diu imperet.

Quippe consulum] Probat primam partem ab *Enumeratione* Magistratuum, quorum nullus erat cum imperio in Italia. Ergo solus imperat.

Itaque) Probat secundam partem imprimis ab *Effectis*.

Sociorum agros patitur impune devastari ab hostibus.

Ergo non vult cum hoste pugnare, ut diutius imperet.

Tandem ut) Deinde idem ostendit a *Consequentibus*.

Ut ipse discessit ab exercitu, prospere Magist. Equitum pugnavit.

Ergo Fabius ex ambitione pugnam recusavit.

Quas ob res) *Conclusio*, quæ tria continet, 1. minas de abrogando Q. Fabio imperio, 2. mentionem de æquando jure Dictatoris, & Magistr. Equitum, 3. necessitatem Fabio impositam creandi Consulem in locum Flaminii, qui in acie ad Trasymenum ceciderat.

Sententia.

Qui præsens obstat rei bene gerendæ, absens bene gestæ obstabit.

ORATIONIS LXXVII.
Minutii ad suos Milites, & ad Fabium.

Argumentum.

MInutius, ejusque milites ab Hannibale circumventi servantur beneficio Fabii, qui auxilio venerat; proindeque idem Minutius beneficium apud milites prædicat, ipsique Fabio gratias agit.

Motus, *Gratia*. Mores *Viri grati, & candidi*.

Sæpe ego) Hortatur milites, ut se Fabii imperio submittant, hoc argumento: Qui nescit ipse consulere, quod in rem sit, debet alteri parere.

Nos nescimus consulere quid in rem sit.

Ergo debemus Fabio, quippe prudentiori, parere.

Propositio manifesta est desumta ex Hesiodo: *Assumtio* iam patebat ex eventu prælii.

Ad præmium] Secundo hortatur, ut cum ipse Fabium Parentis nomine salutasset, sui quoque Fabianos milites Patronos appellarent; tum quod hoc requireret

ret acceptum beneficium, tum ut gratorum laudem assequerentur.

Parentibus] In altera Orationis parte tria præstat. 1. Caussam assignat, cur Parentem eum appellaverit, nimirum quod sibi tantum a Parentibus, a Fabio sibi, & suis vita data fuerat. 2. renunciat Plebiscito, quod sibi sit oneri, & sub imperium Dictatoris redit. 3. petit, se, & legiones suas benigne recipi. *Arist. l.* 2. *c.* 7. *t.* 80.

Sententiæ.

Qui nec ipse consulere, nec alteri parere scit, homo extremi ingenii est.

Non exigua est grati animi gloria.

ORATIONIS LXXVIII.
Herennii Tribuni contra Patres

Argumentum.

Creandum esse Consulem Plebejum hominem contra Senatus voluntatem contendit Herennius, per insectationem eorum, quæ fiebant a Patribus.

Loci communes ab *Effectis*.

Motus, *Odium* Mores *Viri popularis*.

Hoc uno syllogismo ab Utili tota Oratio continetur.

Utile est Rep. vinci, ac pelli Hannibalem ex Italia.

Sed Nobiles, ut diu imperent, nolunt vincere.

Ergo Plebejus homo creandus Consul, qui velit vincere.

Ab hominibus] *Assumtio*, ubi per conjecturam adductum etiam hostem a nobilibus in Italiam calumniatur.

Cum quatuor] *Assumtionis* approbatio ab *Effectis*, quod tum Dictator, tum Consules debellare potuerint, nisi voluntas defuisset.

Id fœdus] *Complexio* particularis hujus probationis.

Nec finem] *Complexio* syllogismi universalis.

Nam plebejos] Respondet cuidam *Prolepsi* de Nobilibus Plebeiis, quos ait consentire cum Patritiis; nobiles autem Plebeii dicuntur illi, quorum Majores, cum ex Plebe essent, Magistratus in Rep. obtinuerant.

Cui non id] Confirmat responsionem illam pariter ab *Effectis*, a quæsito interregno, ut in eorum potestate Comitia forent, nam si nobiles plebeii non assentirent cæteris, resisterent his Patritiorum conatibus.

Consulatum unum) Repetitio ejusdem *Complexionis* de Consulatu dando homini plebejo, & novo, cujus Majores non alias fuerint in Magistratu.

Sen-

Sententiæ.

Novi homines Plebem contemnunt, ex quo contemni desinunt a Nobilibus.

Ille vere dignus est laude, qui vincere, quam diu imperare malit.

ORATIONIS LXXIX.
Q. Fabii ad L. Æmilium

Argumentum.

L. Aemilium Consulem ad exercitum proficiscentem, ut resistat Collegæ temeritati, & celeribus consiliis tuta præponat, ita hortatur Q. Fabius.

Loci communes ab *Adjunctis*, a *Comparatione*, & a *Contrariis*.

Motus, *Timor*. Mores *Viri prudentis*, & *soliciti*.

Dividitur in tres partes, *Exordium*, *Contentionem*, & *Conclusionem*.

Si aut collegam) Exorditur a *Caussa* dicendi, tali ratione; *l.* 3. *c.* 114. *t.* 102.

Si ambo aut boni, aut mali essetis, nihil dicerem. Sed alter malus, tu bonus es Consul. Ergo aliquid tibi dicendum est.

Si aut) *Propositio*.

Nam & duo] *Propositionis* approbatio.

Nunc &) *Assumtio* cum *Complexione* conjuncta.

Quem video] Ut persuadeat Paullo resistere temeritati Collegæ, ait ipsum frustra bonum Consulem futurum, si sinat alterum male rem gerere, quia Resp. claudicaret; cum enim eadem sit utriusque potestas, eadem futura erat auctoritas & bonis Paulli consiliis, & malis Collegæ Varronis.

Erras) Contendit majori constantia resistendum esse Varroni, quam Hannibali, a *Comparatione Minorum*,

Ominis etiam] Arguit a *Caussa*: Maximæ temeritati resistendum est.

Maxima est Varronis temeritas. Ergo debes illi resistere.

Assumtionem probat per *Comparationem* Flaminii Consulis; nam si Varro inter Togatos adeo temere loquitur, multo magis inter armatos.

Atqui si) *Propositionem* confirmat, quia si temere bellum geratur, maxima Reip. clades imminet, ex *Arist. l.* 2. *c* 5. *t.* 41. *&* 44.

Adversus unum) Hoc est, apud te unum gloriandi tempus non est, & cum supra probaverit suamet auctori-

ctoritate in hoc bello maxime Reip. officere temeritatem, nunc idem ostendit eventu, & ratione.

In Italiam] Argumentum sumitur a *Contrariis*: Differre bellum maxime nobis est utile, hostibus perniciosum. Ergo illud temere gerere, hostibus utile, nobis perniciosum.

Probatur *Antecedens* ab *Adjunctis*, hoc pacto.

Illis est utile differre bellum, quibus omnia adsunt belli subsidia, & perniciosum, quibus desunt omnia.

Nobis omnia belli subsidia adsunt, desunt hostibus. Ergo. ex *Arist. l.* 1. *c.* 6. *t.* 77.

Dubitas ergo] *Complexio* syllogismi ab *Adjunctis*.

Quandiu] Deinde idem probat ab *Eventu*, quem supra stultorum magistrum appellavit; quia si cætera mutentur, non bene arguimus ab *Eventu*, sed eamdem belli hujus rationem fuisse, & futuram contendit. Sic igitur argumentatur:

Ego, & Consules cunctando rem bene gessimus.
Ergo tu quoque cunctando rem bene geres.

Quamdiu] Exemplum affert sui ipsius, qui trahendo bellum coegerat Hannibalem multum certare pro vili, & inopi Castello, quasi pro Patriæ mœnibus pugnaret.

Sed adversus te] Sit hæc, inquit, apud te jactantia de me ipso; utere exemplo Consulum, qui proximi fuerunt.

Hæc una) Utriusque argumenti *Complexio*, & differre bellum utile esse Reip., & ut differatur, resistendum esse temeritati Varronis.

Resistes autem] Respondet *Prolepsi* de rumoribus Vulgi, quos ait Sapienti Viro contemnendos esse, tum quia vera gloria nascitur ex gloriæ contemtu, tum quia majus est, timeri ab hoste sapiente, quam a stultis civibus laudari.

A veritate] Quæ juste, & sapienter geruntur, possunt quidem veritatis testimonio destitui, tolli vero, & extingui nequaquam.

Nec ego] *Conclusio*, qua præscribit quid agendum omnino sit, omnia scilicet ut agat ex rationis, & prudentiæ præscripto.

Sententiæ.

Vir bonus sponte sua omnia e Rep. fide sua facit.
Eventus stultorum magister est.
Gloriam qui spernit, veram habet.

Melius est timeri a sapienti hoste, quam laudari a stultis Civibus.

Festinatio improvida, & cæca est.

ORATIONIS LXXX.

P. Sempronii ad Commilitones

Argumentum.

OBsessos post Cannensem cladem Romanos milites P. Sempronius hortatur, ut facto cuneo per medios hostes evadant.

Loci communes ab *Adjunctis*.

Motus, *Pudor*. Mores *Viri fortis*.

Capi ergo] Talis est hujusce Orationis *syllogismus*.

Necessaria est eruptio, si mansio in Castris turpis sit.

Sed manere in Castris turpe nobis est. Ergo.

Capi ergo] Probat *Assumtionem ab Adjunctis*, quod turpe sit Romanis ab avaro, & crudeli hoste contumeliose tractari, dum interea Latinis honor haberetur, ex *Arist. l. 2. cap. 6. tex. 68.*

Non vos) *A dissimili Exemplo* Romanorum, qui cum Æmilio Consule fortiter pugnantes occubuerant in acie, ne venirent in hostium potestatem.

Sed antequam] Eruptionem suadet *a facili*.

Ferro, atque audacia iter fit etiam per confertos hostes.

Ergo multo magis per laxum, atque incompositum hostium agmen.

Sententiæ.

Illud maxime turpe, si ex tua contumelia, & miseria alteri honos quæratur.

Vir fortis mavult bene mori, quam turpiter vivere.

Ferro, atque audacia iter fit per quamvis confertos hostes.

ORATIONIS LXXXI.

M. Junii in Senatu de redimendis Captivis

Argumentum.

CUm Hannibal Captivis Romanis redimendi sese copiam fecisset, ex decem ob id Romam missis, ita M. Junius Captivorum caussam agit.

Loci communes ab *Antecedentibus*, a *Comparatione*, a *Consequentibus*, & ab *Adjunctis*.

Motus, *Misericordia*. Mores *hominis miseri*, & *supplicis*.

Quatuor sunt partes, *Insinuatio*, *Propositio*, *Contentio*, & *Peroratio*.

Nemo] *Insinuatio* sumta ex severa Majorum disciplina in non redimendis Captivis, ex *Val. l. 2. c. 7.*

Cæterum) *Propositio* cum occupatione *Arrogantiæ*, captos post Cannensem cladem dignos esse, qui redimantur.

Non enim) Id probat ab *Antecedentibus* tali ratione.

Qui fortes in acie, & castrorum defensione compulsi necessitate se dediderunt, digni sunt, qui redimantur; *l. 2. c. 8. t. 91. 92.*

Nos fortiter pugnavimus, & vallum defendimus, & necessario venimus in hostium potestatem. Ergo redimendi sumus.

Majores nostros) Secundo a *Comparatione*.

Major est Cannensis clades, quam illatæ a Gallis, & a Pyrrho.

Sed Majores nostri a Gallis se ipsi, a Pyrrho captivos redemerunt.

Ergo nos multo magis redimendi sumus.

Asperrimos) Nam Pyrrho pacem offerenti responderant, se tum demum pacem facturos, cum Pyrrhus ex Italia excessisset.

Sunt etiam] Non omnes ait ex acie in castra fugisse, sed quosdam omni culpa vacare, relictos præsidio Castrorum a Consulibus.

Haud equidem] Tertio itidem a *Comparatione*:

Eadem est conditio nostra, & eorum, qui Venusiam, & Canusium pervenere.

Sed horum opera utimini.

Ergo & nos redimere debetis, ut Reip. operam navare possimus.

Haud equidem) *Occupatio*, ne suis Commilitonibus invidere videatur.

Ne illi quidem] *Propositionis* approbatio, nam & illi ex acie fugerunt, & sola pedum pernicitate servati sunt.

Quam Venusiæ] Qui enim cum Consule fugerant, Venusiam, qui cum Sempronio eruptionem fecerant, Canusium pervenerant.

Delectum] Quarto *ab utili*, *& facili*:

Prætextatos, & servos ad militiam vocatis.

Ergo operam nostram contemnere non debetis, quos minori pretio redimere potestis.

Nam si) *Complexio* illustratur.

Illud etiam] *Peroratio*, in qua Patres ad Misericordiam

diam conatur flectere: *l.* 3. *c.* 19. *t.* 166. & imprimis ab *Adjunctis* hoc modo.

Ii misericordia digni sunt, qui acerbissima captivitate premuntur, *l.* 2. *c.* 8. *t.* 92.

Nos tales sumus. Ergo.

Si videatis] Cum supra a persona hostis arguerit, nunc per figuram hypotyposim vincula, & squalorem captivorum quasi ob oculos ponit, ut magis *Misericordiam* moveat, *ex Arist. l.* 2. *c.* 8. *t.* 92.

Intueri] Confirmat illud idem a *Comparatione*:

Magis miseri sunt, qui sunt in vinculis, quam eorumdem Cognati.

Sed hos videtis solicitos, & lacrymantes.

Ergo multo infelicior erit ipsorum Captivorum conditio.

Si medius fidius] Ostendit se de fama esse solicitum, adeoque probum virum exhibet, quo majori dignus videatur *Misericordia*, *ex Arist. loc. cit.*

Suum quisque] Hoc est, unusquisque aliquo modo est de bona sui existimatione solicitus.

Sententiæ.

Venia danda est necessitati.

Pluris facienda fama, quam vita.

In bello pernicitatis pedum, & cursus nullum præmium est.

ORATIONIS LXXXII.

T. Manlii in Senatu redemtionem dissuadentis

Argumentum.

CUm Oratio pro redimendis Captivis habita quosdam ex Patribus movisset, rogatus sententiam T. Manlius ita rem dissuasit.

Loci communes a *Caussis*, a *Comparatione*, & ab *Effectis*.

Motus, *Odium*. Mores *severi Senatoris*.

Dividitur in tres partes, *Exordium*, *Contentionem*, & *Epilogum*.

Si tantummodo] *Exordium* sumit a *caussa*, cur prolixe respondeat, tali ratione: Si tantum redimi se postulassent, breviter respondissem, non esse redimendos.

Sed insectati sunt etiam eos, qui ex prælio Venusiam, & Canusium pervenere.

Ergo ad eorum insectationem prolixe respondere debeo.

Atque utinam] Primum etiam *Contentionis* Argumentum sumitur a *Caussis*.

Ii sunt indigni qui redimantur, qui sua culpa capti sunt.

Vos non ex necessitate, sed vestra culpa capti estis. Ergo.

Propositio patet ex *Arist. l. 2. c. 8. t. 92. Assumtionem* probat ab *Adjunctis*, quia facile erumpere potuissent, fessis hostibus, & propter victoriam in compositis.

Et septena] Quam *Assumtionis* approbationem confirmat a *Comparatione* majorum: Septena hominum millia erupissent etiam per confertos hostes.

Ergo multo magis per incompositos, & laxos hostium ordines.

Neque enim] *Complexio Assumtionis Probationi* respondens.

Nocte prope] *Assumtionem* primi argumenti rursus probat testimonio Sempronii, sua scilicet culpa eos captos fuisse.

Sicut avorum] Secundo indignos Misericordia ostendit, quippe ignavos, *ex Arist. loc. cit.* a comparatione: Ignaviæ arguendi essetis, etiam si actum fuisset de gloria.

Ergo multo magis, cum de salute vestra ageretur.

Sicut avorum] Probatio *Antecedentis* ab exemplis Decii, & Calpurnii, ubi præterea pulcherrima adest Prosopopœja.

Si hoc) *Complexio*, quæ ex prædicta probatione oritur.

Ducem se) Actum fuisse de ipsorum salute, non de gloria ostendit, & per vehementem Interrogationem *Complexionem* attingit, eos proinde ignavissimos fuisse, quibus ut servarentur defuerit animus.

Quinquaginta) In eorum ignaviam sic præterea invehitur:

Ignavissimus est, qui summæ Virtutis exemplo non movetur.

Vos exemplum non movit tot Civium circa vos pro Patria cæsorum.

Ergo ignavissimi estis, adeoque indigni misericordia.

Et liberi] Idem confirmat ab *Effectis* tali pacto:

Ignavi sunt, qui Captivi desiderant, quod liberi prodiderunt, & hosti parent turpia suadenti, non Civi utilia, & honesta.

Vos tales estis. Ergo.

Assumtio amplificatur a *diversis*.

Quam ego) Hactenus ut ignavos, nunc ut scelera-

tos

eos contendit non esse redimendos, & scelus probat ita ab *Effectis*:

Scelus est obstare aliorum virtuti, & castra prodere sine necessitate.

Vos utrumque fecistis. Ergo estis scelerati. Ergo non redimendi.

Non enim) *Assumtionis* prima pars.

Hos cives) *Complexio* argumenti, quod latet, non esse redimendos.

Ex millibus) Ad amplificandum eorum scelus repetit argumentum in principio allatum, potuisse erumpere, si voluissent; & ad augendam invidiam tria memorat: 1. duabus fere legionibus idcirco Remp. carere: 2. neminem iis obstitisse, ne erumperent: 3. invidere eos aliorum, qui eruperint, incolumitati, & gloriæ.

Viginti millia) Nam Canusii cum Terentio Consule ad duodecim millia armatorum erant, ut ex capitibus præcedentibus patet.

At enim) Altera pars *Assumtionis*, quam a *diversis* amplificat.

Ante secundam horam) Diem Romani constituebant ab ortu solis usque ad occasum, adeoque pro diversa ratione temporum majus, minusque temporis spatium horæ continebant; quod adhuc servatur in quibusdam regionibus.

Vos redimam) *Epilogus*, & breviter summam facit Orationis, suamque sententiam affert per ironicam *Comparationem imparium*.

Sententiæ.

Arrogans oratio miseris nocet.

Cui ad seipsum servandum animus non est, is nec pro patria quicquam ausit.

Quem summæ virtutis exempla non movent, nihil unquam movebit.

ORATIONIS LXXXIII.

Pacullii Calavii ad Campanos de Senatu

Argumentum.

PAcullus Calavius princeps inter Campanos, ut Senatum servaret, & sibi obnoxium faceret, apud infensam maxime Senatui Plebem ita locutus est.

Loci communes ab *Enumeratione*.

Motus, *Amor*. Mores *Viri popularis*.

Quòd sæpe] Exponit facilem occasionem Senatus puniendi, quem ipse clausum tenebat.

Nec quicquam) Admonet, ne quid temere agatur, de singulorum capite statuendum esse; & priusquam veteres Senatores interficiantur, novos eligi oportere, quod probat tali ratione:

Aut Regem, aut Senatum habere debetis.
Non Regem. Ergo Senatum.

Citari] Assignat rationem, qua de unoquoque supplicium sumendum sit, ut antea quoque exposuit.

Sententiæ.

Nihil raptim, & temere agendum est.

Unusquisque potiorem ira salutem, atque utilitatem suam habere debet.

Senatus unum est liberæ Civitatis consilium.

ORATIONIS LXXXIV.

Varronis ad Legatos Campanos

Argumentum.

LEgatos Campanorum pollicentes omnia, quæ ad bellum opus essent, hortatur Varro, ut bellum pro Romanis contra Hannibalem suscipiant.

Loci communes ab *Enumeratione*, ab *Antecedentibus*, ab *Adjunctis*.

Motus, *Gratia*, & *Misericordia*. Mores *Viri omnia desperantis*.

Dividitur in tres partes, *Exordium*, *Contentionem*, & *Conclusionem*.

Morem] In *Exordio* misericordiam movet, ex *Arist. l.* 2. *c.* 8. *t.* 89. amplificando cladem ad Cannas acceptam per enumerationem eorum omnium, quibus ad bellum gerendum necessariis spoliati sunt.

Itaque) *Complexio* est argumenti, quod sic se habet:

Ii, quibus omnia desunt, non juvandi sunt, sed defendendi.

Nobis

Nobis omnia erepta sunt in pugna Cannensi.
Ergo defendendi omnino a vobis, non juvandi sumus.

Veniat) Quod ut promte faciant, ita argumentatur ab *Antecedentibus*.

Defendere debetis eos, qui vos defenderunt, & ornarunt: *lib.* 1. *cap.* 9. *tex.* 161.
Nos & defendimus, & ornavimus Campanos.
Ergo Campani parem nobis gratiam referre debent.

Sed etiam Sidicinum) Emphasim habent ea verba, ut [quæ prima *Assumtionis* pars est] in maximo rerum discrimine constitutos tunc fuisse Campanos ostendat, qui sibi etiam a Sidicinis timerent, ignobili, & parva civitate, juxta *Arist. l.* 2. *c.* 7. *tex* 89.

Adjicite) Secunda pars *Assumtionis*, quæ continet beneficia a Romanis collata in Campanos post initam societatem.

Non cum Samnite] Sequitur argumentum ab *Adjunctis*, hoc modo:

Hostis crudelitas maxime timenda est.
Sed hostis est Pœnus barbarus, & crudelis.
Ergo maxime timendus, adeoque contra eum bellum suscipiendum.

Pœnus hostis] *Assumtionem* explicat, & hostes ostendit maxime esse barbaros, quippe ne Africæ quidem indigenas, cum sub Didone ex Phœnicia venerint; crudelitatem deinde etiam amplificat.

Hos infandis] *Complexio* illustrata ab *effectis*.

Pulchrum) Arguit ab *honesto*.

Triginta] *A facili*.

Qui si] *Concludit*, si rem adeo honestam, & per se non difficilem aggrediantur, fore, ut victoria Hannibalis nulla sit.

Sententiæ.

Pulchrum est bene meritis sociis opitulari.
Contra communem hostem etiam communibus armis pugnandum.

Calavii ad Perollam filium

Argumentum.

Perollam meditantem post convivium interficere Hannibalem hac oratione Calavius Pater deterrere conatur a nimium audaci consilio.

Loci communes a *Consequentibus*, & ab *Adjunctis*.

Motus, *Timor*. Mores *Viri maxime solliciti*.

Per ego te] Sic igitur a *turpi* eum a cogitato facinore deteret:

> Non debet filius ante oculos Patris facere, & pati infanda.
> Sed si hoc peragis, facies, & patieris infanda omnia. Ergo.

Per ego te] *Propositio* Syllogismi.

Paucæ horæ] *Assumtionis* prima pars, quam amplificat ab *Adjunctis*, a fide scilicet data, a religione, & pietate.

Tertius Campanorum] Nam ipse cum Patre, & Jubellio soli ex Campanis adhibiti fuerant convivio.

Sed si nihil] *Assumtionis* pars altera a *Consequentibus*, quam per *Adjuncta* tum Hannibalis, tum militum ita exaggerat:

> Qui solus aggreditur summum Ducem, & suorum præsidio munitum, ruit in certam perniciem.
> Summus, & terribilis Dux est Hannibal, & habet suorum præsidium.
> Ergo si solus aggrederis, te certissimo exponis periculo.

Propositio patet ex *Arist. l. 2. c. 5. t. 48.* *Assumtionem* multis urget Interrogationibus.

Et si alia] Hoc tandem *dilemmate* utramque *Assumtionis* partem confirmat:

> Meum pectus opponam pro Hannibale:
> Sed si me interficias, facies infanda, si cedas, eadem patieris.
> Ergo aut facies, aut patieris infanda.

Deterreri] *Complexio* superioris argumenti quoad utramque partem.

Sententiæ.

Perditissimus est, qui facere, & pati omnia infanda velit.

Hospitalis mensa sancta habenda.

ORAT. LXXXVI.

Perollæ Patri respondentis

Motus, *Pudor*. Mores *amantis Patriæ Viri*.

Ego quidem] In prima parte obedientiam Patri pollicetur, ut quando pius in Patriam fortiter agendo esse non potest, sit parendo pius in Patrem.

Tuam] Secunda pars habet exprobrationem Patris.

O patria] Exolvit in tertia parte, quod pollicitus fuerat, gladiumque a se projicit, non ut hosti pareat, sed ut pareat Patri.

ORATIONIS LXXXVII.

Annonis in Senatu Carthaginiensi

Argumentum.

Adversus Himilconis increpationem propter victorias Hannibalis ita se Anno defendit, ut nec nunc quidem bellum probet, nec commeatum Hannibali mittendum censeat.

Loci communes a *Repugnantibus*, *Adjunctis*, & *Antecedentibus*.

Motus, *Timor*. Mores *prudentis*, & *gravis Senatoris*.

Dividitur in quatuor partes, *Exordium*, *Propositionem*, *Contentionem*, & *Epilogum*.

Tacuissem] *Exordium* sumit a *caussa dicendi*.

Ne communem lætitiam turbarem, tacuissem, nisi interrogasset Himilco.

Sed interrogat. Ergo tacere non debeo.

Si reticeam] Dat rationem, cur interrogatus respondere debeat, ne scilicet aut propter superbiam adversarii increpationem ægre tulisse videatur, aut servilem in modum alienæ invitus subscripsisse sententiæ.

Respondeam] *Propositio* bipartita, bellum enim, bellique auctorem incusat, & pacem suadet.

Itaque] Ad pacem hortatur, quod æquis conditionibus eam hoc tempore habituri sint, quippe post victoriam; idque si negligant, adjicit *metum* futuri mali. *Arist. l. 2. c. 5. t. 41.*

Jam læta sunt) Ipsæ, inquit, res belli prospere gestæ lætæ per se sunt Hannibalis satellitibus, non quia pacem æquiorem dare possint.

Quæ tamen] Bellum autem, bellique auctorem ita primum a *Repugnantibus* arguit: Qui eget militum, pecuniæ, & commeatuum, non est victor.

Sed hujusmodi rerum omnium se egere fatetur Hannibal.

Non ergo victor est.

Et

Et ne omnia) Ita deinde ab *Adjunctis*:

Nullus ex Latinis populus defecit, nemo Romanus transfugit, & nulla fit mentio pacis.

Ergo bene adhuc Romani ſperant, adeoque bellum eſt integrum.

Antecedens proponit interrogando Adverſarium.

Quam varia] Jam bellum non ſolum adhuc integrum, ſed etiam periculoſum oſtendit ab *Antecedentibus*, tali ratione:

Priore bello ſæpe vicimus, & tandem victi fuimus.

Ergo etiam nunc licet victores vinci poſſumus.

Quod ſi) Tum vero quæ pacis ſpes eſſe debeat per *Epicherema* proponit.

Qui victus non dat pacem, victor minus dabit.

Romani victi pacem non dant. Ergo victores multo minus.

Omnia videntur ex *Ariſt. deſumta lib. 2. c. 5. tex. 50.*

Ego) *Concludit* tum de pace referri oportere, tum nihil ex iis, quæ poſtulabat, Hannibali eſſe mittendum.

Sententiæ.

In dicenda ſententia cave, ne aut ſuperbus, aut obnoxius videaris.

Fortuna belli varia eſt.

Bonus Civis neque eſſe debet alienæ libertatis oblitus, neque ſuæ.

ORATIONIS LXXXVIII.
Marcelli ad L. Bantium

Argumentum.

L. Bantium Nolanum defectionem Patriæ meditantem ita ſibi, & Romanis Marcellus Prætor conciliat.

Motus, *Amor*. Mores *humani Principis*.

Multus] Laudat Juvenem a Romanorum teſtimonio, & a rebus maxime ad Cannas geſtis; excuſat autem ſuam uſque ad illud tempus ignorantiam, quod ea Nolani per invidiam reticuerint, unde ſibi benevolum facit, ex *Ariſt. l. 2. c. 4. t. 27.*

Itaque] Hortatur, ut pergat de Romana Rep. bene mereri, pollicitus honores omnes, & præmia.

Sententia.

Magna virtus obſcura eſſe non poteſt.

ORATIONIS LXXXIX.

Legatorum Samnitium ad Hannibalem

Argumentum.

Legati Samnitium injurias sibi a Marcello illatas apud Hannibalem hac oratione queruntur, & petunt auxilium.

Loci communes ab *Adjunctis*, ab *antecedentibus*, & a *comparatione*.

Motus, *Misericordia*. Mores *supplicum*.

Dividitur in tres partes, *Exordium*, *Contentionem*, & *Conclusionem*.

Hostem] *Benevolentiam* sibi conciliant Hannibalis tum ex odio in Romanos, tum ex amore in ipsum Hannibalem, cujus virtutem maxime prædicant. *l.* 3. *c.* 14. *t.* 93.

At hercule] In *contentione* duo faciunt, & mala sua exaggerant, & præsidium petunt. Sic autem primo ab *adjunctis*.

Turpe est, socios Hannibalis eo victore, & præsente vexari ab hostibus.

Sed nos te victore, & præsente a Marcello affligimur. Ergo.

Ad unum modo ictum] Hoc est, ad Cannas quidem potuisse te vincere, sed ea parta victoria elanguisse, neque absolvere posse bellum.

Per centum] Secundo a rebus gestis, victoriisque ex Romano Populo relatis:

Turpe est Samnitibus, vexari ab iis, quibuscum per tot annos bellum prospere aliquando gesserunt.

Sed cum Romanis per multos annos bellum gessimus, & aliquando vicimus.

Ergo turpe est, nunc nos ab iis ita vexari.

Nisi quod] Respondent cuidam *prolepsi* de Pyrrho, & affirmant, non sibi magis a Pyrrho auxilium latum fuisse, quam a se Pyrrho.

Quæ aspera) Tertio a *comparatione* præteritarum cladium:

Turpe est, eos, quos antea magni exercitus, & Duces vexabant, vinci nunc a parva, & incomposita militum manu.

Sed nos antea magni exercitus, magnique Duces bello petebant, nunc autem parva, & incomposita manus affligit. Ergo.

Quæ aspera] *Complexio*.

Magni

Magni] *Assumtio* illustrata ab *Adjunctis*.

Ante explorato] Prudentes enim Duces, antequam popularentur hostium agros, exploratores præmittebant, & aliam aciem in subsidiis locabant, ut auxilio esset populatoribus, & in populando a signis discedere milites non sinebant. Omnia fere desumta ex *Arist. l. 2. c. 8. t. 89.*

Caussa autem] Altera *contentionis* pars est petitio præsidii, quam confirmant ab *honesto*; tum quia defendere socios Hannibal tenetur, tum quia ipsi sunt sine præsidio Juventutis, quæ sub Hannibale militabat.

Nec te) Deinde a *facili*.

A quo cæsæ sunt tot legiones, pauci prædatores facile vinci poterunt.

Tu multas legiones ad Cannas occidisti. Ergo.

Quamvis vana] Vana erat spes prædæ, vel quod nihil amplius prædæ superesset post multorum mensium vastationem, vel quod omnia Samnites in oppida, & loca munita transtulissent.

Præsidiumque] Ab *Utili*, non enim tantum nobis auxilium tuleris, sed etiam Nolæ præsidium ademeris, si populatores interfeceris.

Si modo) *Conclusionis* loco est repetitio Argumenti, quod primo innuerant, debere Hannibalem suosmet socios tueri.

Sententiæ.

Non virtus magis, & fortuna, quam comitas, & benignitas hostes conciliat.

Quos, ut socios haberes, dignos duxisti, haud indignos judices, quos in fidem receptos tuearis.

ORATIONIS XC.
Annonis ad Nolanos Principes

Argumentum.

SEnatores Nolanos ad colloquium evocatos horratur Anno, ut Romanorum societati amicitiam Hannibalis præponant.

Loci communes ab *antecedentibus*, & *consequentibus*.

Quæ si paria] Arguit primo a superbia Romanorum, & benignitate Hannibalis per *comparationem dissimilium*.

Si ambo] Deinde a rebus antea gestis.

Ipsorum] *A metu*, ne Nola, sicut Nuceria, caperetur, & diriperetur crudeliter a militibus.

Nolle] A spe præmiorum, si Marcellum, seque ipsi dedant Hannibali.

ORATIONIS XCI.

Hannibalis ad Milites ſegnius pugnantes

Argumentum.

POEnos ad Nolam ſegnius adverſus Marcellum pugnantes ita Dux Hannibal objurgat, & inflammat.

Loci communes ab *antecedentibus.*

Motus, *Verecundia.* Mores *boni Ducis.*

Tota adhortatio hoc uno Syllogiſmo continetur, ab *antecedentibus:*

Turpe eſt, victorem toties exercitum a paucis vinci militibus, *l.* 2. *c.* 5. *t.* 65. & qui Romæ minitabantur, non poſſe expugnare Nolam.

Vos toties magnos exercitus viciſtis, & Romam vos poſſe expugnare jactabatis. Ergo.

Arma] *Propoſitio* increpationis, quod luxuria Campana emarcuerint, qua de re paullo ante Marcellus ad ſuos.

Legatine] *Complexio* cum *Aſſumtione* conjuncta.

Ubi ille] Eadem *Complexio* eodem modo per Interrogationes probata, ut vim majorem haberet.

Romam] Altera pars *aſſumtionis* de Romanæ Urbis expugnatione, & Nolam facili negotio expugnari poſſe oſtendit ab *adjunctis.*

Hinc vos] *Concluſio* prædæ opimæ ſpem facit.

Sententiæ.

Luxuria marcet Virtus.

Qui Lingua fortes ſunt, multa temere jactitant.

Ex Dec. 3. Lib. 4.

ORATIONIS XCII.

Q. Fabii ad Populum de Couſulibus creandis.

Argumentum.

CUm prærogativa Juniorum Conſules dixiſſet T. Otacilium, & M Æmilium, Q. Fabius Conſul eos non eſſe idoneos gerendo bello cum verſatiſſimo hoſte contendit, adeoque alios creari debere.

Loci communes a *comparatione*, ab *adjunctis*, & *antecedentibus.*

Motus, *Timor.* Mores *viri prudentis, & de Rep. ſoliciti.*

Tres ſunt partes, *Exordium*, *Contentio*, & *Peroratio.*

Si aut pacem] In *exordio* facit *attentos*, cum exponit quantum ſit bellum, quod cum Duce prudentiſſimo geritur, juxta *Ariſt. l.* 3. *c.* 14. *t.* 104. ſicque concludit

cludit ab *adjunctis*: Summo Duci hostium summus Imperator est opponendus. Summus Dux est Hannibal. Ergo.

Si aut] *Propositionis* approbatio a *Contrariis*.

Sed eum] *Assumtio* cum *Complexione* conjuncta, per quam absolvit *exordium*, addita prosopopœja suffragia dantium.

Hoc anno) In principio *Contentionis* eamdem *Propositionem* supra allatam probat a *comparatione minorum* tali pacto:

In singularibus certaminibus par Adversarius provocanti quæritur.

Ergo etiam Imperatori hostium pares virtute Duces quæri debent.

Sed nominati Consules pares Hannibali non sunt.

Ergo alios creare oportet.

Hoc anno). *Antecedens* illustratur exemplis Claudii, Manlii, & Valerii.

Quemadmodum] *Complexio*.

Cum qui est). Confirmatur hæc ipsa *Complexio* ab *adjunctis*.

Tum maxime summus Dux est creandus, cum annua tantum potestas, & circumscripta datur contra perpetuum, & nullis obnoxium legibus Imperatorem.

Tales sunt nostri Duces adversus Hannibalem. Ergo.

Propositio sola amplificatur, nam cæteræ omittuntur ut manifestæ.

Quoniam] *Assumtio*, eos scilicet, qui nominati essent, non fore Duces pares Hannibali: & de Æmilio quidem, quia cum esset Flamen Quirini, non poterat a Sacris discedere, de Otacilio vero sic probat ab *Antecedentibus*.

Qui rei minimi negotii gerendæ impar fuit, multo magis erit impar gerendo bello contra Hannibalem.

Talis est Otacilius. Ergo omnino impar tanto bello gerendo.

Otacilius] Præmittit affinitatem suam cum Otacilio, ut ostendat, se non privata aliqua simultate moveri, sed Reip. tantum caussa, contra suorum dignitatem.

Quilibet]. *Propositionis* approbatio a *simili*.

In minore) *Assumtio*, quam amplificat ab enumeratione eorum, quæ mandata fuerant Otacilio Classis.

Præfecto, quorum nihil peregerat anno superiore, utiturque aptissime figura *Concessione*.

Si consul] Ita deinde a *Comparatione majoris*:

Si Consul esses, non deberes moleste ferre Dictatorem dici.

Ergo minus indignari debes, si Consul non fias.

Si consul) *Antecedens*.

Magis) *Antecedentis* approbatio ab *utili* per allegoriam bajulorum.

Ego) In *Peroratione* hortatur populum, ut meliores Consules creet, habita ratione belli, quod gerebatur, & cladium imperitia quorundam acceptarum, quo modo timorem excitat, ex *Arist. l. 2. c. 5. t. 53.*

Prærogativæ favor] Cum per omnes XXXV. Tribus essent distributæ Centuriæ in suffragiis ferendis, sortiebantur imprimis Tribus, cui prærogativa contingeret, deinde altera statim sortitio fiebat, cuinam Centuriæ illius Tribus ex omnibus quinque Classibus sors ferendi primo loco suffragii obveniret; & illa dicebatur Tribus Prærogativa, ut passim apud auctores.

Sententiæ.

Uti milites pares hosti, ita Duci hostium parem Imperatorem quæramus.

Ille summus est Imperator, qui nullis neque temporis, neque juris angustiis inclusus est.

Bonus Civis potiorem habet privatis necessitudinibus Remp.

Quilibet nautarum, vectorumque tranquillo mari gubernare potest.

Nostra ipsorum interest, non imponi cervicibus nostris onus, sub quo concidamus.

ORATIONIS XCIII.

Apollonidis Syracusani ad suos Cives

Argumentum.

Syracusanos post necem Tyranni partim Romanis, partim Carthaginiensibus faventes hortatur Apollonides, ut alterutram societatem unanimes eligant, & Romanam Punicæ præponant.

Loci communes ab *Effectis*, & *Antecedentibus*.

Motus, *Timor*. Mores *prudentis viri*.

Nec spem) Hanc affert in principio *Propositionem*, statuendum esse Syracusanis, utrum salvi esse, an perire omnes velint: quam sic probat ab *Effectis*: Aut simul omnes alterutram societatem eligere debetis,

aut

aut discordes partim Carthaginiensibus, partim Romanis favere.

Sed si primum facitis, omnes salvi estis; si alterum, omnes peribitis.

Ergo statuere debetis, utrum perire, an salvi esse velitis.

Si enim] Prima pars *assumtionis*, nam *Propositio* satis per se patet, cum nihil detur medium.

Si alia) *Assumtionis* secunda pars approbata ab *adjunctis*, ex *Arist. l. 2. c. 5. t. 40.*

Itaque] Subsumit deinde: Sed perire certe non vultis. Ergo ut salvi sitis, idem omnes sentire debetis.

Utra societas] Nunc transit ad alteram partem *Orationis*, & utilius Syracusanis esse contendit Romanam societatem præeligere. 1. quia satius imitari prudentiam Hieronis, qui cum Romanis, quam temeritatem Hieronymi, qui cum Pœnis senserat.

Vel quinquaginta) 2. quia per tot annos feliciter experti fuerant Romanorum amicitiam, Pœnorum autem societas nunc ipsis erat incognita, antea experti fuerant infidelem; utrumque ab *antecedentibus*.

Esse etiam] 3. tandem ita ab *effectis*:

Utilius est nobis differri bellum, quam statim geri.

Sed Punica societas statim bellum affert cum Romanis, Romana aut nullum cum Pœnis, aut non statim.

Ergo utilior nobis est Romana societas, quam Punica.

Sententiæ.

Ut idem omnes in Rep. sentiant, summa vi agendum est:

Amicitia feliciter per multos annos experta incognitæ præferenda est.

Melius est differri bellum, quam statim geri.

ORATIONIS XCIV.

L. Pinarii ad Milites de perfidia Ennensium

Argumentum.

CUm Ennenses, ut & reliqui fere Siciliæ populi, defectionem ab Romanis cogitarent, peterentque propterea sibi reddi claves Arcis, Pinarius milites hortatur, ut signo dato populum in Concione trucident.

Loci communes a *Caussis*.

Motus *Confidentia*, & *Metus*. Mores *vigilantis Ducis*.

Tres sunt partes. 1. exponit periculum. 2. ut præoccupent

cupent hortatur. 3. explicat de hac re suum consilium, & concludit.

Credo ego] Fraudem, quæ in aliis Civitatibus Præsidia Romana oppresserat, ait suos Milites effugisse Deum benignitate, suamet ipsorum virtute.

Utinam] Sed cum manifesta fraus caveri non possit, ostendit eo jam rem deductam esse, ut vim aut facere, aut pati debeant, quod Ennenses peterent claves, ut præsidium trucidarent, augetque periculum, nocte una tantum intermedia, ex *Arist. l. 2. c. 5. t.* 40.

Orta luce) Ita igitur, ut præoccupent, proposita necessitate, hortatur:

> Aut Vos ab Oppidanis, aut a vobis Oppidani cras trucidabuntur.
>
> Sed illud pati non debetis. Ergo.

Orta luce] *Propositionis* approbatio.

Itaque) Ipsa *Propositio* ex approbatione per modum *complexionis* prolata.

Nec præoccupati) Ut magis ad opus inflammet, ostendit in præoccupando victoriam consistere, sive milites, sive Oppidani præoccupent.

Intenti] Exponit ordinem servandum in Ennensium cæde.

Vos Ceres] Per Apostrophen ad Deos factum, utpote necessarium, excusat, in eo enim Oppido dicebatur rapta Proserpina.

Pluribus] *Confidentes* ultimo facit, tum quia armati inermes aggrediebantur, tum quia haud procul erat Consul, futurus auxilio; idque ex *Arist. l. 2. c. 5. t.* 61.

Sententiæ

> Nihil magis, quam Vigilantia, belli tempore necessarium est.
>
> Optandum, ut omne vitæ tempus nec patiendo infanda, nec faciendo traduci possit.
>
> Vitandæ, non inferendæ fraudis caussa, vim adhibere licet.

Ex

Ex Dec. 3. Lib. 5.

ORATIONIS XCV.

Supplicum Militum ad M. Marcellum

Argumentum.

Reliquiæ Cannensis cladis relegatæ in Siciliam, ne ante finitum bellum reportarentur in Italiam, apud M. Marcellum per Legatos pœnam deprecantur.

Loci communes a *Comparatione*, & ab *Adjunctis.*

Motus, *Misericordia*. Mores *Supplicum*.

Dividitur in tres partes, *Exordium*, *Contentionem*, & *Perorationem*.

Consulem) In *Exordio* sibi Marcellum benevolum faciunt, quod de illius benignitate optimam semper opinionem habuerint, quamque ipsi in Siculo bello navare operam Reip. desideraverint, exemplo eorum, qui capti fuerant a Pyrrho: ex *Arist. l.* 2. *c.* 4. *t.* 29.

Quanquam) In *contentione*, duo faciunt, purgant culpam, & pœnam deprecantur; præmissa Apostrophe ad Senatum, & ad ipsum M. Marcellum, cujus Imperatoriæ artes laudant. Ad purgandum igitur crimen, hoc imprimis argumento utuntur a *Comparatione parium*.

Ad Cannas non minor fuit culpa Ducum, quam militum.

Sed Duces omni culpa liberati sunt.

Ergo nos milites immerito culpæ arguimur.

Si non deum] *Propositio* per figuram *Communicationem* expressa ad vitandam *Invidiam*.

Equidem) *Assumtio* illustrata ab *effectis*, ab honoribus scilicet in Consulem, & principes viros collatis post pugnam Cannensem; designant autem Sempronium, Ap. Claudium, Fabium, & Scipionem.

An vobis] *Complexio per Contraria*, ut se dignos *Misericordia* probarent, quippe indignos ea fortuna, *Arist. l.* 2. *c.* 8. *t.* 92.

Utique morituros) Hoc est, ad certam mortem missis, imposita conditione, ut necessario mori deberent.

Deinde sic a *comparatione majorum* argumentantur.

Major fuit eorum culpa, qui ad Aliam, & Furcas Caudinas victi sunt, quam nostra, qui ad Cannas pugnavimus.

Sed illi culpam omnem delere sua virtute potuerunt.

Ergo nobis etiam hæc venia danda eſt.

Ad Aliam] *Propoſitionis* approbatio quoad primam partem.

Tamen) *Aſſumtio*.

Cannenſem] Altera pars *comparationis*, qua *Propoſitio* confirmatur, exercitum ad Cannas egregie, & uſque ad extremum pugnaſſe.

Cum captivis] Tertio arguunt a teſtimonio ipſorum Patrum; nam cum ageretur de redimendis Captivis, T. Manlius laudaverat eos, qui ex acie fugiſſent incolumes, ut ex illius Oratione conſtat, quam ſupra expoſui.

Nunc deteriore] Quarto a *comparatione* Captivorum, tali ratione:

Captivi majori digni ſunt pœna, quam nos.
Sed Captivos Majores noſtri minori pœna affecerunt, quam nos a vobis nunc afficimur. Ergo hæc immerito patimur.

Nunc] *Aſſumtio*.

Quippe] Eius approbatio ab *effectis*, quod ad Captivos pertinet.

Nos quibus] Approbatio tum *Propoſitionis*, ubi ſuam culpam elevant, tum etiam alterius partis *Aſſumtionis*, cum ſuam pœnam amplificant.

Neque ignominia] Pœnam igitur ſecundo loco deprecantur; cumque levia per modeſtiam petant, non finem ſcilicet ignominiæ, nedum præmium aliquod, ſed ſolum ut detur pugnandi locus, eo ſibi majorem benevolentiam conciliant. *l.* 2. *c.* 4. *t.* 25 Quamobrem ſic ab *adjunctis* ſuam illam juſtiſſimam petitionem exponunt:

Cum maximum bellum urget, omnium promiſcue opera uti debet Reſp.
Sed maximum in Sicilia bellum eſt.
Ergo noſtra etiam opera uti Reſp. debet.

Bellum in] *Aſſumtio* amplificatur, ut dictum eſt, ab *adjunctis*.

Servorum] Ita deinde inſtant a *comparatione*.

Qualiſcumque ſit noſtra conditio, non erit deterior, quam Servorum.
Sed Servorum etiam opera utitur Reſp.
Ergo noſtra etiam uti debet.

Servorum) *Aſſumtio*.

Pro ſervis] *Propoſitio* cum *Complexione*; habeat nos Senatus, ut ſervos ad bellum emtos, & pro libertate

recu-

recuperanda pugnare sinat.

Vis tu mari] *Peroratione* se promtos ad qualibet subeunda pericula offerunt, & adverte vim in ea *Repetitione* maximam.

Ut quo ad Cannas] Ut si mori ad Cannas debuimus, quamprimum in Sicilia pugnantes moriamur, ut gloriosa mors ignominiæ, finem imponat.

Sententiæ.

Fatali lege immobilis rerum humanarum ordo seritur.

In Pœnis etiam servanda æquabilitas.

ORATIONIS XCVI.

Hannibalis, ad Tarentinos de Classe paranda.

Argumentum.

CUm Tarentini dubitarent, qua ratione paranda esset Classis ad obsidendam arcem, Hannibal quid sit agendum exponit.

Loci communes a *Caussis*, & ab *Adjunctis*.

Motus, *Confidentia*. Mores *prudentis Ducis*.

Evadent) Non esse desperandum, quin ex portu in apertum mare trahi naves possint, ita ostendit a *Caussis*:

Consilio multa fiunt, quæ difficillima videbantur.

Ergo & hoc faciemus, si consilio uti voluerimus.

Urbem] Rationem transvehendi plaustris in mare naves probat facilem ab *Adjunctis* viarum, quæ planæ, & latæ erant; sicque *Confidentes* facit, ex *Arist. l.* 2. *c.* 5. *tex.* 61.

Et mare) In hac altera parte refert præmia, quæ ex hoc consilio consequentur, possessionem maris, arcis obsidionem, & celerem victoriam.

Sententiæ.

Multa, quæ impedita natura sunt, consilio expediuntur.

ORATIONIS XCVII.

Legati Syracusani ad Marcellum de deditione.

Argumentum.

SYracusani, cum Præfectos Pœnorum interfecissent, Legatos deinde ad M. Marcellum mittunt, qui tali Oratione veniam rerum gestarum petunt.

Loci communes a *Caussis*, ab *Effectis*, a *Consequentibus*, & *Antecedentibus*.

Motus, *Misericordia*. Mores *Supplicum*.

Duæ sunt partes, excusatio rerum gestarum, & deprecatio pœnæ.

Neque

Neque primo) Defectionis excusationem ita adornat a *caussis* princeps illius Legationis:

Ii venia digni sunt, qui non sponte, sed coacti defecerunt.

Sed nos coacti a Tyrannis, adeoque non sponte defecimus. Ergo.

Propositio pendet ab *Arist. l.* 1. *c.* 10. *t.* 176.

Neque) Ostendit, Syracusanos coactos a Hieronymo primum, deinde ab Hippocrate, & Epicide a Romanis defecisse.

Nec quisquam) Altera pars *Assumtionis*, sponte sua id non fecisse.

Neque primo) Hoc est, non defecimus nunc primo auctoribus Epicide, & Hippocrate, sed jam antea Hieronymus Tyrannus defecerat.

Hinc metu) Metu, vi scilicet, & opera mercenarii militis, fraude vero, missis falsis nuntiis de Leontinorum cæde.

Nunc certe] Deinde confirmat eamdem *Assumtionem* ab *effectis*.

Ii non sponte defecerunt, qui statim, recuperata libertate, se vobis dedunt.

Sed statim recuperata libertate, nos nostraque vobis dedimus.

Ergo antea sponte non defecimus.

Hic etiam amplificatur *Assumtio*.

Gloriam] In secunda *Orationis* parte deprecatur Urbis excidium a *Consequentibus*:

Majori tibi erit gloriæ servata tanta urbs, quam eversa.

Ergo servare debes incolumem, non evertere.

Probatur *antecedens*. 1. quia jam maxima illius gloria est Urbe expugnata tot triumphis insigni. 2. quia si servantur victæ Urbis trophæa, majori erunt admirationi trophæa Marcelli de tali Urbe relata.

Quo quisquis] *Misericordia* movetur ex *Arist. l.* 2. *c.* 8. *t.* 92.

Sub clientela) Ita etiam evenit, nam Syracusæ per multum deinde tempus sub clientela Marcellorum fuerunt.

Ne plus] A meritis antecedentibus ultimo arguit.

Plus apud Vos valere debet Hieronis memoria, quam Hieronymi.

Sed ille amicissimus vestræ Reip. fuit.

Ergo in ejus gratiam servare Syracusas debetis.

Ne

Ne plus) *Propositio*, nam per se satis manifesta erat: *Assumtio*.

Diutius) *Propositionis* approbatio, tum quia diutius fuerat amicus Hiero, quam inimicus Hieronymus, tum quia defectio a Romanis Hieronymo auctori perniciem peperit; a suis enim interfectus fuerat.

Sententiæ.

Parcendum innoxiæ multitudini.

Gloriosior erit, qui victas Urbes posteris esse spectaculo, quam qui, iis excisis, famæ credi maluerit.

ORATIONIS XCVIII.
L. Martii ad Milites
Argumentum.

CÆsis in Hispania Scipionibus, L. Martius, cui ab exercitu delatum fuerat imperium, milites hortatur, ut noctu facta eruptione invaderent hostium castra, quæ negligenter custodiri nuntiabantur.

Loci communes ab *Antecedentibus*, ab *adjunctis*, & *comparatione*.

Motus, *Confidentia*. Mores *præclari Ducis*.

Dividitur in tres partes, *Exordium*, *Contentionem*, & *Conclusionem*.

Vel mea) Ut sibi milites benevolos faciat, exorditur ab avertenda suspicione ambitionis, ostenditque sibi grave esse illud imperium & ex sua pietate in Scipiones, & ex præsenti fortuna.

Quo enim) Probat hanc secundam partem ita ab *adjunctis*.

Difficile est, eum, qui mœret, posse alios & consolari, & servare.

Sed ego maxime mœreo ob mortem Imperatorum.

Ergo difficile est mihi consolari vos, & servare.

Nisi metus) Juxta illud Senecæ: *Curæ leves loquuntur, ingentes stupent*. vide *Arist. l. 2. c. 8. t. 90.*

Et Scipiones) Explicat illud alterum de pietate sua in interfectos Scipiones, quorum memoria agitatum ait se nunquam posse quiescere.

Neu se) Prosopopœja, qua inducit Scipiones sibi loquentes, ut milites ad pugnam inflammet; concluditque deinde exemplo sui ipsius præstandam esse Ducibus obedientiam licet mortuis, sed immortali vita donatis, quam vivis præstitissent, & a luctu ad ultionem converti animos oportere.

Nec alia] *Confidentes* igitur Milites facit ita ab *Antecedentibus*.

Quos heri vicistis, hodie quoque facile superabitis.
Sed heri hos eosdem hostes vicistis.
Ergo nunc quoque eos facile superabitis.

Argumentum, quod confirmatur etiam exemplo Cannensis cladis, cui non cessit Romana Virtus, desumitur ex *Arist. l. 2. c. 5. t. 57.*

Nunc qui] *Complexio*.

Non enim) *Prolepsis*, quod ipse hesternam victoriam persequi milites prohibuerit.

Ut post modum] Responsio ad *Prolepsin*.

Nec hujus] Responsionem supra allatam confirmat ab *Adjunctis*, tali ratione.

Imparati facile opprimi possunt. ex *Arist. l. 1. c. 12. t. 223.*
Hostes imparati sunt.
Ergo facile opprimi possunt. *Arist. loco citat.*

A vobis) *Propositionis* approbatio a *Contrariis*.

Et ita) *Assumtio* ita probatur a *Caussis*.

Qui negligit, imparatus est.
Hostes nos negligunt: Ergo sunt imparati.

Ad id] *Propositio* hujus syllogismi, qui ob prosperam fortunam non timet, minime cavet.

Nihil omnium) *Assumtio*.

Audeamus) *Complexio* prioris syllogismi.

Tertia] Aperit suum consilium de hoste noctu invadendo, docetque simul qua ratione peragi res debeat.

Scio audax] Eruptionem, quam exposuit, ita suadet:

Ante certam, & proximam perniciem audendum est aliquid.
Sed certa nobis imminet pernicies.
Erumpere igitur debemus.

Sed in rebus] *Propositio* cum sua probatione.

Unus] *Assumtio* confirmatur a periculo; ne tres hostium duces simul conveniant, tunc autem nullam amplius futuram salutis spem docet a *Comparatione*:

Duos Scipiones incolumi exercitu non potuerunt resistere tribus hostium Ducibus.
Ergo multo minus ego resistam cum reliquiis illius victi exercitus.

Alia belli] *Complexio*. syllogismi.

Ite diis] *Conclusio*, qua jubet eos curare corpora, ut vigentes, & integri castra hostium invadant, addita spe ab hesterno prospero certamine.

Sen-

Imperium ut amplum judicio hominum, ita re ipsa grave, ac solicitum est.

Metus mœrorem sæpe obstupefacit.

Difficile est, cum ipse mœreas, alterum consolari.

Viri fortes vivunt, vigentque memoria rerum gestarum.

Non lamentis, lacrymisque, sed factis hostem ulciscimur.

Virtus ex omni sævitia fortunæ emergit.

Ad id, quod ne timeatur, fortuna facit, minime cauti sunt homines.

Quod difficillimum videtur, eo ipso facillimum sæpe est.

In rebus asperis, & tenuibus fortissima quæque consilia tutissima sunt.

Si in occasionis momento, cujus prætervolat opportunitas, cunctatus paullum fueris, nequicquam mox amissam quæras.

Ex Dec. 3. Lib. 6.

ORATIONIS XCIX.

Sempronii Tribuni in Cn. Fulvium

Argumentum.

CN. Fulvium ob exercitum in Apulia amissum ita apud populum accusat Sempronius Blæsus Tribunus Plebis.

Loci communes a *Caussis*, & a *Comparatione*.

Motus, *Odium*. Mores *Viri æquitatem amantis*.

Neminem) Cum manifestum jam esset crimen amissi in Apulia exercitus, restat ut illud aggravet ex *circumstantiis*, quod facit primum a *caussis* hoc Syllogismo.

Pejus est corrumpere vitiis milites, quam eos objicere interficiendos hosti.

Sed Fulvius prius corrupit omnibus vitiis milites, quam proderet hosti.

Ergo major est ejus culpa.

Assumtionem amplificat ostendens facinus tam turpe singulare esse in Fulvio, & a nemine antea admissum. *Arist. l.* 1. *c.* 4. *t.* 255.

Neminem, cum) Purgat ab omni culpa populum, qui imperium dederat, non enim novit mores eorum, quibus permittit exercitum.

Quid interfuisse) *A comparatione* deinde *dissimilium*, tali ratione.

Pe-

Potuit Sempronius disciplina, & imperio ad bonam frugem servorum exercitum traducere.

Ergo multo major culpa Fulvii, qui liberos, & Romanos corruperit.

Nec hercule) Ex alia circumstantia reprehendit Fulvium, quod primus ex acie fugerit, fueritque pessimo exemplo militibus.

Flaminium) Sic itaque a *comparatione dissimilium*.

Laudantur tot Duces, qui, ne desererent circumventos exercitus, cecidere.

Ergo puniendus Fulvius, qui fugiens omnem exercitum hosti prodidit. *Arist. l.* 2. *c.* 6. *t.* 65.

Facinus) Rursus a *comparatione parium*.

Eadem pœna digni sunt Duces, ac Milites, qui ex acie fugiunt.

Sed reliquiæ Cannensis exercitus, legionumque ipsius Fulvii relegatæ sunt prope in exilium.

Ergo & ipse Fulvius eadem saltem pœna dignus est.

Adeo imparem) *Concludit* invidiose Orationem per Epiphonema; grave enim fuisset, in libera Civitate posse impune peccare Nobiles, Plebejos non item.

Sententiæ.

Certum est, quemlibet in ganea, lustrisque, ubi juventutem egerit, senectutem etiam acturum.

In libera Civitate diviti ac pauperi, honorato atque inhonorato impar libertas esse non debet.

ORATIONIS C.

Vibii Virii in Senatu Campano de deditione

Argumentum.

Coacto senatu Campano, & quibusdam censentibus, mittendos esse Legatos de pace, & deditione, Vibius illud consilium dissuadet, & ad voluntariam mortem reliquos patres invitat.

Loci communes ab *Adjunctis*, ab *Antecedentibus*, a *Simili*, a *Comparatione*.

Motus, *desperatio*. Mores *Viri fortis*, & *constantis*.

Tres sunt partes, deditionem dissuadet, ad mortem hortatur, & rationem mortis aperit.

Quid vos] Ponit *Propositionem*, quam deinde probat, & *per Comparationem imparium* ait, deditionem hanc fore sine ulla spe clementiæ.

Jam e memoria] Id autem confirmat primo ab *Adjunctis* Defectionis.

Defectio cum summa perfidia, & crudelitate conjun-

juncta non meretur Clementiam. *l.* 2. *c.* 3. *t.* 16.

Nostra defectio ab Romanis talis fuit.

Ergo nullam Clementiam sperare possumus.

Assumtio amplificatur.

Age contra) Secundo ab *Adjunctis* oppugnationis:

Qui pertinacissime, & summo cum suo periculo Urbem aliquam obsident, eam maxime oderunt. *lib*, 2. *c.* 4. *t.* 38.

Sed Capuam Romani pertinacissime, & cum summo suo periculo jam per duos annos obsident.

Ergo execrabile est eorum odium in Campanos.

Cum hostis] *Assumtio* comprobatur, quod ne discederent ab obsidenda Capua, omiserint hostem Hannibalem, quod ambo Consules obsidioni præfuerint, quod multa, eaque gravissima in defendendo vallo perpessi fuerint.

Sed omitto) Tandem quod periculum Romanæ urbis eos ab obsidione non deterruerit, & per figuram hypotyposin vehementem facit amplificationem.

Feras) Quod augetur a *simili*, tali ratione:

Feræ bestiæ ad cubilia, suosque catulos defendendos, cæteris omissis, accurrunt.

Ergo summum est Romanorum in nos odium, quos conjuges, liberi, & Patria circumsessa ab obsidenda Capua non averterunt.

Tanta aviditas] *Complexio* Syllogismi; cum igitur tantum sit Romanorum in nos odium, extingui tantum potest nostro sanguine, & excidio. *Ex Arist. loc. cit.*

Nec injuria] Tertio, ut spem Clementiæ omnem auferat, ostendit justum esse hoc odium Romanorum in Campanos, *a Pari*.

Juste patimur, quod alteri facere voluimus.

Sed, si vicissent Campani, Romanos omnino perdidissent.

Ergo eadem juste Romani victores in Campanos facturi sunt. ex *Arist. lib.* 1. *c.* 12. *t.* 228.

Itaque quando] In secunda parte voluntariam mortem suadet, hoc modo:

Cum mors est inevitabilis, optanda est honesta, & sine cruciatu.

Sed mortem vitare non possumus.

Ergo ea mors optanda est, quæ sit honesta, & sine cruciatu.

Itaque] *Propositio*, quam habet etiam *Cic. Philip.* 12. *Cum Dolabella fecerit, ut optanda mors esset, modo sine*

cruciatu. ex Arist. lib. 2. cap. 5. tex. 40.

Non videbo) Enumerat cruciatus, & dolores, qui a Romanis victoribus immineant, qui sola voluntaria morte vitari possint, quodque ultimo loco ponit, Patriæ eversionem probat ab *Antecedentibus*.

Albæ suorum Majorum Patriæ non pepercerunt.
Ergo multo minus Capuæ, quam maxime odere.

Itaque quibus) Proponit in tertia parte genus mortis, quæ lænissima futura sit; & per Epilogum attingit tum quæ solatia in ea futura sint, tum quos cruciatus, doloresque voluntaria morte effugiant:

Hæc una] Ultimo hoc genus mortis non solum necessarium, sed gloriosum etiam sibi futurum ostendit & apud hostes, & apud amicum Hannibalem.

Sententiæ.

Vetus, atque usitata res est, in oppugnanda hostium urbe labores, ac pericula pati.
Vir fortis cruciatus, & contumelias morte honesta, & leni effugere solet.
Ab altero metuas, quod alteri feceris.
Honesta mors turpi vitæ præferenda.

ORATIONIS CI.

M. Marcelli in Senatu de captis Syracusis

Argumentum.

Captis Syracusis Marcellus urbem diripuerat, & omnia abstulerat ornamenta, quæ cum in Senatu objicerent Siculi, ipse hac oratione defendit.

Loci communes ab *effectis*, ab *antecedentibus*, & a *conjugatis*.

Motus, *Ira*. Mores *Viri innoxii, & imperterriti*.

Dividitur in tres partes, *Exordium*, *Contentionem*, & *Perorationem*.

Non adeo] In *exordio* profitetur, se non ut reum caussam dicturum, quod inconveniens est Consuli Romano, accusantibus Græcis, cumque jure belli se ipse satis defendat; sed solum ostensurum, Siculos juste ea mala passos.

Qui si non] Probat igitur ab *effectis*, eos vere hostes Pop. Rom. fuisse, quod nisi ostendat, fatetur, se infanda admisisse, tali ratione:

Qui facit hostilia, pro hoste habendus est.
Syracusani multa in Romanos hostilia fecerunt.
Ergo & pati hostilia debuerunt.

Sin autem] *Assumtionis* approbatio ab enumeratione

ne rerum omnium, quas inimico animo in Romanos fecere, ex *Arist. l. 2. c. 2. tex.* 11.

Quis passos] *Propositio*, & pulcherrimus locus est a *conjugatis*.

Tradentes] Alterum *accusationis* caput, quod recusasset tradi sibi Syracusas a Viris principibus, & opera potius duorum ex Plebe usus fuisset.

Non estis] Cui primo sic respondet:

Vos estis principes Syracusanorum.

Sed nemo vestrum voluit mihi urbem tradere.

Ergo principes Syracusanorum Urbem tradere voluisse falsum est.

Non estis] *Propositio*.

Quippe qui] *Propositionis* approbatio, non enim objicerent aliis humilitatem generis, nisi essent ipsi nobiles.

Qui est) *Assumtio*, negat enim interrogando.

Odistis] Per apostrophen ad Adversarios ita secundo respondet a *repugnantibus*.

Qui conviciantur deditionis auctores, dedere ipsi Urbem noluerunt.

Vos auctores deditionis conviciamini.

Ergo noluistis Vos Urbem Romanis dedere.

Ipsa] Tertio ab *effectis*:

Cui grata fuit deditio facta per Plebejos, multo gratior fuisset facta per Nobiles.

Sed mihi grata fuit deditio Syracusarum etiam per Plebeios facta. Ergo.

Et antequam) Quarto ab *antecedentibus*, refertque eo omnia, quibus antequam obsideret Syracusas, pacem & cum omni Populo, & cum Principibus tentavit.

Quæ cœptis) Quoad tertium crimen de Urbe direpta, & spoliata; defendit omnia facta jure belli, & Siculos queri hæc debere non apud victores Romanos, sed apud Pœnos victæ Urbis socios.

Ea vos) In *peroratione* monet Senatum, ut a se acta confirmet, proposito periculo, ne si secus fecerint, alii Duces segniores in bello gerendo sint. Deinde ait, se velle una cum Legatis templo excedere, quo magis libere se absente consuli Senatus possit.

Sententiæ.

Nemo indignari debet, se passum hostilia, cum fecerit.

Quæ singulis victor aut dat, aut adimit, rata esse debent jure belli.

ORA-

ORATIONIS CII.
Atilii Reguli de Campanis in Senatu

Argumentum.

CUm dubitarent Patres, quid de Campanis statuerent, Atilius Regulus interrogatus sententiam ita in eos invehitur, remque ad Plebem rejicit.

Motus, *Ira*. Mores *viri gravis*, *&* *severi*.

Tres sunt partes, *Insinuatio*, *Narratio*, *&* *sententia*.

In consilio] Ut fidem sibi astruat, præmittit, se fuisse consiliorum omnium participem capta Capua, quippe Legatum Consulis, proindeque certissima esse, quæ referret.

Cum quæreretur] Refert, quam male de Romana Rep. meriti fuerint omnes Campani, præter duas mulieres, & singula manifesta sunt.

Per senatum] Rem omnem rejiciendam censet ad Plebem, nam sine rogatione Populi negat quidquam agi posse per Senatum contra Cives Romanos; quales erant Campani, idque confirmat exemplo, ut patet.

Notandum tamen hic est, si quando maximum Reip. periculum imminebat, ut rogari tuto Plebs non posset, tunc licuisse Patribus summo jure uti, & Romanos etiam Cives morte damnare reos Perduellionis, sicut Ciceronem legimus in Conjuratos animadvertisse ex Decreto Senatus.

Sententiæ.

Duces sæpe plectunctur, non quod culpa, sed quod dignitate emineant.

De Cive Romano injussu Populi agi non poterat.

ORATIONIS CIII.
Lævini Consulis de pecuniis erogandis

Argumentum.

CUm Plebs seditiose negaret, se posse erogare pecuniam in supplementum remigum, Lævinus Consul hortatur Patres, ut ad voluntariam collationem animum adjicerent, ipsique præirent cæteris exemplo.

Loci communes a *caussis*.

Motus, *Lenitas*. Mores *viri prudentis*.

Tota hæc Oratio uno Syllogismo continetur, a *caussis*:

Qui honore præstat, debet & exemplo præesse in subeundis oneribus.

Nos honore cæteris Ordinibus præstamus.

Ergo & exemplo in erogandis pecuniis præesse debemus.

Ma-

Magistratus) *Propositio*.

Si quid) *Propositionis* approbatio, non enim cuipiam gravis erit impensa, cum Principes videat sibi plus capere, quam eorum ferat conditio.

Itaque) *Complexio*.

Ita ut annulos) Explicat, qua ratione facienda sit ea collatio, quid conferre quilibet, quidque sibi retinere debeat.

Hanc unam] Hortatur Patres ad hujusmodi voluntariam collationem ex præsenti necessitate, addita spe recuperandi omnia, ubi Resp. respirasset.

Annulos] Annulos habebant omnes ex Senatorio, & ex Equestri ordine; bulla vero erat insigne puerorum prætextatorum, quam filii eorum ferebant, qui equo meruissent, & erat plerumque aurea.

Libras pondo] Iis, qui curulem Magistratum gesserant, duas permittit libras auri, & argenti, ut patella, & salino aureo, aut argenteo in privatis sacrificiis uti possent.

Sententiæ.

Qui honore præstat, debet ad omnia subeunda Dux esse, quæ dura, atque aspera sunt.
Resp. incolumis & privatas res facile salvas præstat.

ORATIONIS CIV.

P. Scipionis ad exercitum Hispaniæ

Argumentum.

P. Scipio missus in Hispaniam, cæsis Patre, & Patruo, veteres milites alloquitur, & ad bene de se Imperatore, totoque bello sperandum hortatur.

Loci communes ab *antecedentibus*, ab *adjunctis*, & ab *enumeratione*.

Motus, *Confidentia*. Mores *impigri Ducis*.

Quatuor sunt partes, *Exordium*, *Propositio*, *Contentio*, & *Peroratio*.

Nemo] In *Exordio* sibi benevolentiam conciliat referens Militum merita, tum in Scipiones Patrem, & patruum, tum in Remp. *Arist. l.* 2. *c.* 4. *t.* 27.

Sed cum jam) *Propositio*, qua docet sibi esse in animo non solum defendere Romanas Provincias sed ex omni etiam Hispania pellere Carthaginienses. *l.* 3. *c.* 14. *t.* 101.

Adversæ) Sed cum duæ res tam audax consilium maxime dissuaderent, acceptæ paullo ante clades, & suamet Adolescentia; utrique Scipio satisfacit, & im-

Imprimis quoad clades acceptas ita respondet ab *antecedentibus*:

> Qualis hactenus fuit fortuna Reip. talis futura est.
> Sed post multas acceptas clades sæpe antea vicimus.
> Ergo & nunc in Hispania vincemus.

Adversæ pugnæ) *Propositionis* approbatio a suamet *confidentia*, quem tamen mærere luctu oporteret, ex *Arist. l. 2. c. 5. t. 57.*

Eo fato) *Assumtio*.

Vetera) *Assumtionis* approbatio ab *exemplis* conglobatis, quibus clades omnes aperit in hoc bello acceptas, & mutatam deinde fortunam.

Quid igitur) *Complexio*, quam ut magis urgeat, repetit quod & supra innuerat, principium rerum secundarum ortum ab exercitu Hispano.

Nuper quoque) Transit ad alteram partem, & adolescentiæ suæ perculsæ etiam domesticis cladibus opponit certa argumenta divini auxilii, hoc modo:

> Ii confidere debent, quibus Dii auxilio futuri sunt.
> Sed auguria, auspicia, & præsaga mens portendunt mihi in Hispania victoriam.
> Ergo confidere maxime debemus.

Propositio pendet ab *Arist. l. 2. c. 5. t. 60.* & amplificatur *assumtio*.

Centuriis omnibus) Adverte imperia extra ordinem fuisse demandata Tributis Comitiis, mittendo autem in Hispaniam Proconsule habita tunc fuisse contra veterem consuetudinem Comitia Centuriata, quod ea res maximi momenti esse videretur; videas Quæst. de Prov. Rom.

Quod mens) Idem quoque confirmat ab *adjunctis* hostium:

> Hostes, qui socios habent infidos, & inter se discrepant, facile vinci possunt.
> Tales sunt Carthaginienses in Hispania.
> Ergo eos facile vincere possumus.

Vexat) *Assumtio*.

Eadem in illos) *Propositionis* approbatio a *Pari*, nam & Romani victi sunt, quod ab iis defecissent Celtiberi, & Duces exercitus divisissent.

Nec discordia) Alia approbatio *Propositionis* quoad secundam partem a *caussis*, discordia scilicet intestina.

Vos modo) *Peroratio*, qua milites sibi conciliat per memoriam Scipionis patris, inflammat autem tum recordatione rerum antea egregie gestarum, tum spe

ſpe futuræ victoriæ, ſuæque ipſius virtutis, ut ſe non corpore ſolum, ſed animo etiam ſimilem Patri filium oſtendat. *l.* 3. *c.* 19. *t.* 193.

Sententiæ.

Multis eo fato donata ſors eſt, ut multis bellis victi vicerint.

Una virtus Pop. Rom. ſtrata omnia humi erexit, ac ſuſtulit.

Orbitas, ac ſolitudo frangit animum.

Animus cuique ſuus maximus eſt vates.

ORATIONIS CV.

P. Scipionis ad Milites de oppugnanda Carthagine

Argumentum.

AD obſidionem Novæ Carthaginis oblata rerum magnarum ſpe ita P. Scipio militum animos inflammat.

Loci communes a *conſequentibus*, & ab *adjunctis*. Motus, *Spes*. Mores *prudentis Ducis*.

Ad urbem) Attingit in principio univerſalem *propoſitionem*, quam deinde probat unico ſyllogiſmo ab *effectis*, ſeu *conſequentibus*, tali ratione:

In illius Urbis obſidione toti eſſe debemus, quæ maximas utilitates, & opportunitates importat.

Sed capta Carthago maximas habebit utilitates, opportunitates.

Ergo in ea obſidenda toti eſſe debemus.

Oppugnabitis) *Aſſumtionis* approbatio quoad primam partem; in ea enim Urbe erant obſides totius Hiſpaniæ, pecunia omnis publica, & belli apparatus.

Is magis) Hoc eſt, ille magis oppugnationem ipſam conſiderat, quam emolumenta ex ea oppugnatione conſecutura.

Potiemur) *Aſſumtionis* approbatio quoad alteram partem, oſtenditque Carthaginem opportuniſſimam eſſe ab *adjunctis*, a portu ſcilicet, & ſitu.

Sed qvoniam) *Concluſio*, quæ in Argumento locum habet *complexionis*.

Sententiæ.

Capta Urbe ſitu opportuna, univerſa capitur regio.

Nervi belli ſunt commeatus, arma, pecuniæ.

ORATIONIS CVI.

P. Scipionis ad Allucium Hispanum

Argumentum.

CUm Scipio Celtiberorum Principi Allucio pulcherrimam Sponsam restitueret, tum suam illi benevolentiam ostendit, tum illius sibi conciliat.

Loci communes a *comparatione*, & ab *effectis*.

Motus, *amor*. Mores *pudici Juvenis*.

Juvenis) *Insinuatio* ab avertenda verecundia, nam inter Juvenes sermo de amore maxime pudico nullam parit Verecundiam.

Ego) Duo igitur affert argumenta suæ in Allucium *Benevolentiæ*, quod ejus amori faveat, & quod sponsam intactam restituat. Primum sic explicat a *pari*:

Si ego Sponsam impensius amarem, veniam mihi dari vellem.

Ergo & tibi Sponsam amanti favere debeo. *Arist. l. 2. c. 4. t. 26.*

Et non resp.) Dat rationem, cur amore Sponsæ non teneatur, ne sine caussa videatur dissimilis Allucio; *loc. cit. tex.* 30.

Fuit sponsa) Alterum *Benevolentiæ* Scipionis in Allucium argumentum, cum pulcherrimam Sponsam restituat intactam.

Hanc mercedem) In secunda *Orationis* parte eum hortatur, ut Pop. Rom. amicus esse velit, & ita primum a *caussis*.

Amicus esse debes Viris bonis. *Arist. l. 2. c. 4. t. 39.*

Tales plerumque sunt Romani.

Ergo illis esse debes amicus.

Et si me) *Assumtionis* approbatio ab *exemplis* sui, & Patrui.

Nec ullum) Idem confirmat ab *effectis*:

Illis amicus esse debes, qui & hostes maxime lædere, & amicis maxime prodesse possunt, ex *Arist. cap. cit.*

Sed Romani si sint hostes, maxime lædere possunt, si amici, maxime prodesse.

Ergo illis amicus esse debes.

Capta Carthago, & beneficium Sponsæ restitutæ comprobant *assumtionem*.

Sententiæ.

Pudicitia res Sancta est.

Inter Juvenes sermonis de amore recto, & legitime nulla est verecundia.

Venia danda est Juveni Sponsam impensius amanti.

Ex

Ex Dec. 3. Lib. 7.

ORATIONIS CVII.

Latinorum Militiam detrectantium

Argumentum.

POpuli Latini nominis irati maxime ob transportatos in Siciliam suos Milites, ita majus, quam ferre possint, impositum sibi onus queruntur.

Loci communes a *caussis*.

Motus, *Ira*. Mores *hominum desperantium*.

Decimum) a *caussis* conglobatis suam ostendunt miserrimam esse conditionem, suosque cives vel acie, vel morbo omnes absumi.

Magis perire) Per invidiosam *Comparationem* Romanorum injuriam amplificant, quod in Siciliam reliquias Cannensis cladis transportari voluerint.

Si veteres) Itaque ex supradictis tali pacto concludunt.

Si veteres milites non redeant, novi legantur, brevi nemo nostrum supererit.

Sed ita fit. Ergo brevi nemo supererit. *Arist. l.* 2. *c.* 2. *t.* 12.

Itaque) *Adhortatio* ipsa duplici nititur argumento, a *necessario*, & ab *utili*; si enim dent Romanis milites, & pecunias, inevitabilis est summa egestas, & solitudo; si negent, quam primum pax fiet.

Sententia.

Si veteres milites non redeant in Patriam, novi legantur, brevi nemo supererit.

ORATIONIS CVIII.

Consulum ad Populos Latini nominis

Argumentum.

COnsules castigando, increpandoque ita eos Populos a sententia negandi Romanis auxilia deterrent.

Loci communes a *Comparatione*, a *Simili*, & a *Dissimili*.

Motus, *Pudor*. Mores *Virorum Prudentum*.

Eos ausos) Imprimis eos increpant a *comparatione*:

Turpe est, ea vos dicere Consulibus, quæ Consules non audeant dicere Senatui.

Sed nos Consules non audemus hæc Senatui referre.

Ergo turpe est, ea vos dixisse Consulibus.

Non enim) *Assumtionis* approbatio.

Redirent) Secundo a *dissimili* :

Tarentini, & Campani hæc fecerunt.

Sed Vos estis Romani.

Ergo debetis his contraria facere.

Inde oriundos) Tertio a *simili* :

Vos debetis ea Romæ præstare, quæ Liberi Parentibus.

Sed turpe est a vobis deseri Parentes.

Ergo turpe est a vobis deseri Romanos.

Inde oriundos) *Propositionis* approbatio.

Consulerent) Quamobrem hortatur, ut de integro consulant, ne & ipsi Romanum imperium Hannibali hosti prodant.

Sententiæ.

Detrectatio munerum militiæ aperta sæpe defectio est.

Coloni ea suis debent, quæ Liberi Parentibus.

ORATIONIS CIX.
M. Marcelli milites increpantis
Argumentum.

Milites ab Hannibale prælio victos, & in castra pulsos hisce verbis Marcellus castigat.

Loci communes ab *antecedentibus*, & ab *effectis* Motus, *Verecundia*. Mores *irati Ducis*.

Partes sunt tres, *Exordium*, *Contentio*, & *Conclusio*

Diis) *Exordium* habet vehementem militum increpationem, & invidiosa illa gratiarum actione ostendit solo Deorum auxilio servata fuisse Castra, quæ ipsi per ignaviam prodidissent.

Qui pavor) Arguit igitur ita ab *antecedentibus* :

Turpe est vinci ab hostibus toties victis. *l.* 1. *c.* 9. *t.* 161.

Sed toties a vobis victi sunt Pœni.

Ergo ab iis vos modo vinci, turpe est.

Nempe iidem) *Assumtionis* approbatio ab enumeratione rerum prospere adversus Hannibalem gestarum tum priore æstate, tum per eos dies, & hesterno maxime prælio.

Quid hæc non) *Propositio* confirmatur ex eo, quod iidem essent hostes, non numero aucti. Unde concludit suos increpans, Romanos non esse eosdem, & qui fortissimi antea fuerant, ignavissimos factos.

Non adhuc) Sic deinde ab *effectis* :

Illud est turpe Romanis, unde novum decus oritur hosti : videtur desumtum ex *Arist.* *l.* 1. *c.* 6 *t.* 77.

Sed

Sed ex hac vestra fuga novum decus Hannibali oritur.
Ergo Vobis turpe hoc est.

Probatque *Assumtionem*, quia cæsæ Romanæ legiones sæpe antea gloriam Hannibali pepererant, fugatæ nunquam ante eum diem.

Ego vero) Precantibus Militibus, ut veniam daret, respondet se tum daturum veniam, si crastina die vicissent; & hoc modo concludit.

Sententiæ.

Sæpe eodem terrore deseruntur castra, quo pugna omittitur.

Fortes milites veniam pavoris impetrare debent victores potius, quam victi.

ORATIONIS CX.
Cl. Neronis ad Milites

Argumentum.

CL. Nero relicto hoste Hannibale, & in auxilium Collegæ contra Asdrubalem cum sex millibus profectus, consilium suum Militibus detegit.

Loci communes a *Consequentibus*, & ab *Adjunctis.*

Motus, *Confidentia.* Mores *impigri Ducis.*

Negat) Sic igitur detegendo consilium non minus tutum, quam audax suorum animos inflammat a *consequentibus*:

Illud consilium alacriter suscipiendum est, ex quo certa victoria pendet.
Sed ex hoc consilio certa pendet victoria.
Ergo suscipiendum alacriter est.

Quippe) *Assumtionis* approbatio; cum enim magnus, & optime instructus Collegæ exercitus satis esse per se videatur ad obtinendam victoriam, multo erit certior, si aliquid addatur virium cum altero Consule, quod formidini futurum erat hostibus in ipsa acie, ex *Arist. l. 2. c. 5. t. 59.*

Famam) Explicat alterum, quo confirmabatur *Assumtio*, adventum scilicet alterius Consulis maximum hostibus pavorem allaturum, *a Caussis. l. 2. c. 5. t. 41.*

Gloriæ) Probat autem, ipsos magna ex parte participes tantæ gloriæ futuros, tali pacto:

Iis plerumque victoria ascribitur, qui ultimi adveniunt.
Ergo victoria magna ex parte nobis accepta referetur.

Gloriæ) *Complexio.*

Semper) *Antecedens.*

Cernere) *Antecedentis* approbatio *ab Adjunctis*, nam si tantus hominum favor est euntibus nobis ad prælium, quantus erit redeuntibus post victoriam?

Sententiæ.

Fama bellum conficit, & parva momenta in spem, metumque impellunt animos.

Semper quod postremum adjectum sit, id rem totam videtur traxisse.

Ex Dec. 3. Lib. 8.

ORATIONIS CXI.

P. Scipionis ad seditiosos Milites

Argumentum.

Milites Romani ad Sucronem relicti, nuntiata falso Scipionis morte, multa seditiose fecerant, quos Carthaginem revocatus Imperator, ubi valere cœpit, hisce verbis castigat.

Loci communes ab *Adjunctis*, a *Caussis*, a *Comparatione*, & ab *Effectis*.

Motus *Pudor*, & *Metus*. Mores *Clementis simul* & *severi Ducis*.

Dividitur in tres partes, *Exordium*, *Contentionem*, & *Concessionem*.

Nunquam) In *exordio* rei atrocitatem attingens *verecundiam* movet, ex *Arist. l.* 2. *c.* 6. *t.* 68. adeo enim fœde peccaverant, ut ipse solitus verba sæpe facere militibus, ignoraret, quo tum nomine appellandi forent.

Quid enim vos) Illud in *contentione* semper agit, ut & crimen amplificet, & vulgus militum, transferendo culpam in auctores, a noxa liberet, quod facit imprimis *a Comparatione* :

Magna pœna Ilergetes, & Lacetani rebelles digni sunt.

Sed vestra culpa major est.

Ergo vos digni majori poena.

Assumtionem confirmat a diversis defectionis, & seditionis auctoribus

Negate vos) Negare factum jubet, & in paucos culpam transferre, ne omnium piaculo, si peccatum omnes fateantur, expiare tantum scelus cogatur: ubi per pulcherrimam Allegoriam dolorem suum aperit de hisce rebus locuturus.

Equidem) Secundo *ab Adjunctis* suæmet integritatis :

Ii milites fœdissime peccarunt, qui suum Ducem benemeritum, & innoxium pessime oderunt.

Vos me pessime odistis talem Ducem. Ergo.

Equidem) Probat *assumtionem* a Beneficiis non in suos tantum, & socios, sed etiam in hostes collatis; se scilicet Ducem esse benemeritum, & innoxium.

In castris) altera pars *Assumtionis.*

Non quod) Excusat militum vulgus egregia usus similitudine a maris mobilitate, cum ventis agitatur; mari milites, ventis seditionis auctores assimilat, & ab ingenuitate sua conjecturam desumit.

Vos contagione) ut in morbo nimirum pestifero ex contactu multi pereunt, ita vos paucorum scelus contagione quadam corripuit.

Quin mihi) Tertio *ab Effectis* conglobatis, ubi se præterit per modestiam; sic igitur argumentatur:

Ii maximo crimini obnoxii sunt, qui peccarunt in Patriam, & in Deos, auspicia, disciplinam, & majestatem Imperii violantes.

Tales Vos estis. Ergo maximo crimini obnoxii.

Quin mihi) *Assumtio.*

De me) Se ipse præterit per modestiam, quod tamen Argumentum supra tractavit.

Patria) *Assumtionis* approbatio quoad Patriam.

Quid Pop. Rom.) Eadem approbatio quoad cætera, nam eo ipso, quod Tribunos amoverant, Deos Sacramenti testes, auspicia, disciplinam, & imperii majestatem violaverant; hujus autem rei atrocitatem multifariam amplificat.

Cum eo ipso) Primo ab humilitate generis eorum, quos sibi Duces elegerant.

In prætorio) Secundo *ab Adjunctis* dignitatis Imperatoriæ.

Lapides) Tertio a *Comparatione*, & ait hoc fuisse portentum omnium maximum, & inexpiabile; & hic demum tertium Argumentum concluditur.

Atque ego) Quarto arguit a *Comparatione imparium*:

Legio, quæ Rhegium occupaverat, Romæ in foro securi percussa est.

Sed vestra perfidia major fuit.

Ergo vos multo majori pœna digni estis.

Rhegium) *Propositio.*

Sed illi) Confirmat *Assumtionem* tripliciter. 1. comparando Duces inter se, & Arii nomen abominandum

 dicit,

dicit, quod videlicet atrum aliquid, atque adeo abominandum portendere videretur.

Nec cum Pyrrho) 2. comparando scelera, quod Rhegina Legio cum nullo hoste consociasset consilia, ut ipsi cum Mandonio, & Indibili.

Illi sicut) 3. comparando fines, nam illi Rhegium occupaverant, ut eam pro Patria Urbem haberent, alios quosdam Populos imitati, at vos certe Sucrone domicilium habituri non eratis.

Viam consilii) Quinto utitur Argumento a dementia consilii, & locus esse videtur *a caussa finali*, tali pacto:

Stultum est putare, octo millia hominum posse eripere Hispaniam Pop. Rom.

Sed vos totidem numero hoc cogitastis.

Ergo stulto omnino consilio usi fuistis.

Assumtio satis patet ex remotione finis habendæ pro domicilio Sucronis.

Mene vivo) *Propositionis* approbatio a *comparatione* Ducum, & exercituum.

Amolior) Probat, etiamsi ipse mortuus esset, stultum tamen id fuisse cogitare. Sed detur, inquit, hæc venia, nihil vos scelerate contra me cogitasse, & ex falsa mortis meæ opinione natam fuisse seditionem.

Quid?) Hoc alterum primo nititur argumento a caussa formali:

Urbs in æternum condita Diis auctoribus non est æqualis mortali corpori.

Talis est Roma.

Ergo, licet ego periissem, adhuc Romæ imperium stetisset.

Quid! si) *Complexio.*

Ne istud) *Propositio.*

Flaminio) Secundo ab *antecedentibus*.

Tot Consulibus, & Consularibus hoc bello interemtis, superstes est Romanus Populus.

Ergo me quoque mortuo superstes fuisset.

Vos ipsi) Tertio ab *exemplo* recens servatæ Scipionibus interfectis Hispaniæ duce Martio.

Et sic loquor) Quarto, quod multi adessent, qui suas vices explere potuissent, Silanus, L. Scipio, C. Lælius.

Quibus si) Quinto a *caussa finali*.

Etiam me mortuo tulissetis arma pro Pœnis in Patriam.

Sed hoc cogitare stulti est hominis, & scelerati.

Ergo vos stulte, & scelerate cogitastis.

Arma tamen) *Assumtio.*

Coriolanum) *Assumtionis* approbatio ab *exemplo dissimili.*

Insanistis) *Complexio* universalis ultimi hujus Argumenti, quæ nascitur ex quinque illis rationibus supra allatis.

Horret) *Conclusio*, & tertia pars Orationis, qua silentio tegi oportere tam infanda dicit, si non auferri penitus oblivione.

Non negaverim) *Prolepsi* cuidam occurrit; quare enim quæ tegenda dicat silentio, ea tam atrociter exprobrat? Respondet igitur a *comparatione* :

Atrociora sunt vestra facta, quam mea dicta.

Ergo si pati ego debui atrocitatem vestri sceleris, vos quoque atrocitatem orationis meæ ferre debetis.

Sed ne ea) Deinde satisfacit pollicendo, se nunquam imposterum exprobraturum.

Itaque) Ultimo addit, se illorum quidem pœnitentia contentum esse; auctores vero seditionis debere suomet sanguine luere tantum scelus, quam justissimam paucorum pœnam, ut læti probent, hortatur.

Sententiæ.

Res potius, quam verba exercenda.

Vitia, sicut vulnera, nisi tacta, tractataque sanari non possunt.

Quid Principem vita juvat invisa omnibus?

Multitudo omnis, sicut natura maris, per se immobilis est; ut venti, & auræ cient, aut tranquilli, aut procellosi.

Seditionis culpa penes auctores est, cæteri contagione insaniunt.

ORATIONIS CXII.
Saguntinorum in Senatu Romano
Argumentum.

SAguntini post receptam Hispaniam restituti, & agris Turdetanorum aucti, decem Legatos Romam misere, qui gratias Senatui agerent pro beneficiis acceptis, & donum coronam auream in Capitolium ferrent.

Loci communes ab *effectis*, & ab *adjunctis.*

Motus, *Amor.* Mores *hominum beneficii memorum.*

Tres sunt partes, *Insinuatio*, *contentio*, & *Peroratio.*

Etsi) *Insinuatio* sumitur a mutua *Benevolentia*, & *Fide* tum sua in Romanos, tum deinde Romanorum in seipsos.

Bellum) Ea, quæ Saguntini paſſi fuerant pro Rom. Rep. omittunt, ne videantur exprobrare, ex *Ariſt. l. 2. c. 4. t. 46.* Romanos optime de Saguntinis meritos ita oſtendunt *ab effectis*:

Qui pro nobis bellum ſuſceperunt, geſſeruntque ſummo cum periculo, & miſere in Hiſpaniam, qui beneficiis cumulatos reſtituerent in Patriam, benemeriti ſunt.

Tales ſe præſtiterunt in nos Romani.

Ergo de nobis benemeriti ſunt.

Bellum) *Aſſumtionis* prima pars.

Cum in Italia) Altera pars *aſſumtionis* amplificata ab *Adjunctis* hoſtium in Italia tunc temporis exiſtentium.

P. & Cn.) Enumeratio beneficiorum, quæ ab Hiſpaniæ Proconſulibus collata fuerant in Saguntinos. *Ariſt. lib. 2. cap. 4.*

Ob hæc) *Peroratio* habet gratiarum actionem, & gratulationem ob res bene geſtas tum in Hiſpania, tum etiam in Italia, & oblationem coronæ aureæ; precanturque, ut Imperatorum acta Senatus confirmet.

Sententiæ.

Nullum officium referenda gratia magis neceſſarium.

Vectigalia ex hoſtium agro non tam fructu jucunda ſunt, quam ultione.

ORATIONIS CXIII.

Q. Fabii de Scipionis in Africam expeditione

Argumentum.

CUm aperte ferret Scipio Conſul, niſi decerneret Senatus Provinciam Africam, ſe id per Populum acturum, interrogatus ſententiam Q. Fabius non tranſportandum exercitum in Africam ita cenſuit.

Loci communes ab *Adjunctis*, a *Cauſſis* ab *Antecedentibus*, a *Comparatione*.

Motus, *Timor*. Mores *cauti*, *& prudentis Senatoris*.

Partes ſunt quatuor, *Exordium*, *Confutatio*, *Contentio*, & *Peroratio*.

Scio multis) *Exordium* habet invidioſam *Prolepſin*, quaſi fruſtra id in Senatu diſſuadeat, quod niſi obtineat a Patribus, impetraturus ſit Conſul a Populo.

Ego autem) reſpondet augendo invidiam, & accuſat arrogantiæ Scipionem, ſive certam habeat Provinciam Africam, quam neque Senatus decreverit, neque Populus extra ordinem dederit; ſive, cum certam

tam habeat, per ludibrium Senatus referat de re jam transacta.

Atque ego) In secunda parte duplici occurrit suspicioni, cunctationis sibi insitæ, & invidiæ in gloriam Scipionis.

Quam metum) Primæ breviter satisfacit ab *effectis*.

Illud est magis probandum, quod est magis utile.

Sed mea cunctatio fuit Reip. utilior, quam aliorum ferocia.

Ergo mea cunctatio magis probanda est, quam ferocia aliorum.

A qua suspicione) Secundæ suspicioni satisfacit primo a *caussis*:

Homo perfunctus omnibus honoribus, & provectæ ætatis non invidet Juveni.

Sed ego omnibus honoribus perfunctus provectæ ætatis sum.

Ergo non invideo Scipioni admodum Juveni.

A qua) *Propositio*, quæ pendet ex dictis ab *Arist. l. 2. c. 10. t. 104. & c. 11. t. 110.*

Me Dictatorem) Secundo respondet ab *antecedentibus*:

Qui Dictator tulit sine indignatione injustum honorem Mag. Equit. perfunctus honoribus non æmulabitur gloriam Adolescentis.

Sed ego Dictator illud præstiti. Ergo.

Propositio patet ex *Arist. l. 2. c. 9. t. 101. Assumtio* amplificatur ab *adjunctis*, & a felici exitu.

Ne dum ego) *Complexio*, & Scipionem vocat adolescentem florentissimum, admodum scilicet Adolescentem.

Videlicet) Tertio a *caussa finali*.

Illud homines æmulantur, quod sperant se posse consequi.

Sed ego non spero Provinciam Africam.

Ergo non possum æmulari Scipioni eam sibi petenti.

Propositio habetur apud *Arist. l. 2. cap. 11. tex. 110.*

Videlicet) *Assumtio* cum Ironia, quam confirmat tum a sua senectute, tum etiam a gloria ante parta.

Illud te) Transit ad *Confirmationem*, in qua expeditionem Scipionis in Africam dissuadet, veniam autem a Scipione petit, non quod adversarium magni faceret, sed ut ostendat, se Reipub. caussa hanc dissuasionem suscepisse. Sumit igitur argumenta ab *honesto*, ab *utili*, & a *facili*.

Quamquam) Honestatem sic attingit ab *Effectis*:

Illud optare debes, quod tibi maximæ gloriæ futurum est; *l.* 1. *c.* 7. *t.* 116.

Sed pulsus ex Italia Hannibal erit tibi maximæ gloriæ.

Ergo ut ex Italia pellas Hannibalem, magnopere debes contendere.

Cum vero) *Assumtionis* approbatio ab *adjunctis*.

Et sicut) Confirmatur eadem *Assumtio* a *Comparatione*:

Perpetratum primum bellum Punicum fuit Lutatio magnæ gloriæ.

Sed hostis hic est major, & majus bellum.

Ergo si tu huic bello finem dederis, tua gloria major erit, quam Lutatii.

Nisi aut) *Assumtio* hujus Syllogismi.

Ab Drepano) Ejusdem approbatio ab *Effectis*.

Ne tu quidem) Alia utitur *comparatione* ad primam illam *Assumtionem* confirmandam.

Pulsus ab Hispania hostis magnæ tibi est gloriæ.

Ergo pulsus ab Italia hostis Hannibal multo majoris.

Nondum) Occurrit *prolepsi* cuidam, docetque adeo viribus vigentem adhuc esse Hannibalem, ut qui talem hostem declinet, timere eum, non contemnere, videatur, *l.* 2. *c.* 5. *t.* 41. sicque timoris Scipionem insimulat.

Quin igitur) *Complexio* illius Syllogismi, qui ducebatur *ab Effectis*; debes igitur magnopere contendere, ut ex Italia pellas Hannibalem.

Egregiam) Deinde arguit *ab utili*, tali ratione.

Utilius est alium oppugnare, cum tu ipse in tuto es, quam cum adhuc times.

Ergo utilius erit Africam invadere, ubi Italiam metu liberaveris.

Et natura) *Antecedens*.

Pax ante) *Complexio*, quam illustrat, ostendens, majorem futuram gloriam in liberanda Italia, quam in oppugnanda Africa, idque facit *a Consequentibus*.

Nam nunc quidem) Tertio loco rei difficultatem pertractat *a Caussis*, hoc est ab inopia ærarii, & a periculi magnitudine. Sed cum de ærarii inopia constaret apud omnes, periculum multifariam amplificat.

P. Licinius) 1. *ab Antecedentibus*, & per *Comparationem Minorum*.

Cum Hannibal ad Urbem accessit, obsessa Capua, in magno periculo fuimus.

Sed

Sed tunc ab obsidione revocavimus Fulvium, te ex Africa non poterimus.

Ergo, si te absente rursus accedat, in majori periculo erimus.

Quid quod in) 2. ab incerto bellorum exitu; idque confirmat Scipionum exemplo, qui in Hispania post multas res bene gestas cæsi fuerant.

Athenienses) Atheniensium deinde exemplo, qui afflicti bello Peloponnesiaco auctore Alcibiade classem in Siciliam transmiserant; & Atilii Reguli, qui primo bello Punico captus fuerat. *Arist. l. 2. c. 5. t. 51.*

Ne tibi) 3. *a Dissimili*, hoc modo:

In Hispania, ubi victor fuisti, multa victoriæ tuæ favebant.

Sed in Africa omnia erunt adversa.

Ergo maximum periculum est gerere in Africa bellū.

Pacato mari) *Propositionem* probat *ab Adjunctis* portus, Sociorum, exercitus, Ducis Martii, & socordiæ hostium, quæ omnia victoriam facilem fecerunt.

Nullo tamen modo) *Assumtionis* approbatio pariter *ab Adjunctis.*

An Syphaci) 4. per responsionem ad quamdam prolepsin de fœdere icto cum Syphace, quod maxime confidentem Scipionem faciebat; eam igitur unam spem eludit.

Satis sit) Primo reprehendens Scipionem, quod semel crediderit se Numidis.

Non hostes) Secundo *a Pari*, ab exemplis scilicet Scipionum, qui a Celtiberis sociis circumventi sunt, & ipsius Consulis, a quo in fidem accepti defecerant.

Numidis tu) Tertio *a Comparatione Majorum*:

Milites a te defecerunt in Hispania.

Ergo multo magis in Africa socii Numidæ a te deficient.

Et Syphax) Ultimo *a Caussa finali*, quia Numidæ ineunt societatem cum Romanis, non ut Romanos Pœnis potentiores videant, sed ut ipsi in Africa imperent.

Aliter) Postquam satisfecit prolepsi de fœdere icto cum Numidis, urget nunc rursus argumentum *a Dissimili*, addita alia probatione *ab Adjunctis*:

Alia est constantia pugnantium pro exteris, alia, si pro Patria, & suis pugnent.

Sed in Hispania pro exteris, in Africa pro Patria, & suis Pœni pugnabunt.

Ergo multo magis in Africa bellum erit periculosum, quam in Hispania.

Quid

Quid porro) 5. arguit *a Consequentibus*:

Si novus exercitus in Italiam descendat, in magno periculo erimus.

Sed descendet, si tu in Africam trajicias. Ergo in magno periculo futuri sumus.

Quid porro) *Assumtio* probatur ab hostium potentia.

Aut Magonem) Deinde ab opportunitate, cum existat prope Italiam cum Classe Mago, unde augetur metus, *ex Arist. lib. 2. c. 5. t. 40.*

Nempe in eodem) Tandem *a simili exemplo*, ubi & Scipionem castigat:

Te victore in Hispania Asdrubal Dux inde venit in Italiam.

Ergo, te etiam victore in Africa, poterit Dux alius in Italiam venire.

Patere) 6. maximum periculum gerendi bellum in Africa ostendit *ab Adjunctis*, præmisso tamen de virtute Scipionis encomio:

Tam in Italia, quam in Africa Dux belli est Hannibal.

Sed validior erit Hannibal in Africa, quam in Italia.

Ergo in Africa bellum gerere magis est periculosum.

Non potes) *Propositionis* approbatio a confessione Adversarii.

Sive igitur) *Propositio* ipsa.

Utrum ergo) *Assumtio* confirmatur *a Contrariis*, quod infirmiores futuri sint Romanorum Duces divisis exercitibus, adeoque validior Hannibal; illud autem ostendit a recenti exemplo dissimili Livii, & Claudii.

Quid? Hannibalem) Deinde comprobatur eadem *Assumtio ab Adjunctis*.

Quod istuc) *Complexio*; in Africa bellum gerere periculosum esse, adeoque potius in Italia cum Hannibale, & Pœnis esse confligendum.

Quam compar) *Peroratio* bimembris, qua hortatur tum Scipionem, ut Patrem imitatus in Italia potius occurrat Hannibali, quam alio transferat bellum: tum Patres, ut Consules, & exercitus ad custodiam Urbis, & Italiæ retineant.

Regio more) Sicut in principio, sic in fine Orationis arrogantiæ Scipionem insimulat, qui regio more ipse sibi Provincias designet, non expectato Senatus decreto, aut Rogatione Populi.

Sen-

Sententiæ.

Qui de re transacta simulat se referre, Senatum ludibrio habet.

Non specie, sed usu salutaria consilia probanda sunt.

Gloriæ, vitæque satur non movetur invidia.

Nunquam pluris fama hominum, quam Resp. facienda.

Hoc natura prius est, tua cum defenderis, aliena ire oppugnatum.

Non semper temeritas est felix.

Fraus Fidem in parvis sibi præstruit, ut cum operæ pretium sit, cum mercede magna fallat.

Æmulatio est caussa certaminum.

Ad commune restinguendum incendium concurrendum.

ORATIONIS CXIV.

P. Scipionis de sua in Africam expeditione

Argumentum.

P. Scipio Orationi Fabii respondet, suamque in Africam expeditionem tum utilem, tum necessariam Reip. esse ostendit.

Loci communes *a caussis*, *ab Antecedentibus*, & *Consequentibus*, *& ab Adjunctis*. Motus, *Confidentia*. Mores *magnanimi Ducis*.

Partes sunt tres, *Exordium*, *Contentio*, *& Peroratio*.

Et ipse) Se non defendit a crimine Arrogantiæ, quod negare non poterat; neque Cunctationis Fabium insimulat, quam nemo vir sapiens objiceret: suspicionem invidiæ auget a purgatione ejusdem Fabii, tali ratione, ut & se ipse statim in exordio modestum præbeat, & malignitatis Adversarium arguat.

Qui se purgare non potest, culpæ est obnoxius.
Sed Fabius a suspicione invidiæ se non purgavit.
Ergo invidiæ obnoxius est.

Quamquod) *Assumtio*; & per modestiam dubitare videtur, idne contigerit, quod veritatem occultare non potuerit, an quod nescierit rem bene dicendo explicare.

Sic enim) *Assumtionis* approbatio, & quoad honores ita *a Caussis* respondet:

Qui summum attigit gloriæ apicem, invidet illi, qui eodem tendit.
Sed ego tendo ad gloriæ fastigium, quo pervenit Fabius.
Ergo Fabius potest mihi invidere.

Pro-

Propositio pendet ab *Arist. l. 2. c. 10. t. 105*, *Assumtio* amplificatur.

Sic senem) Quoad ætatem sic eadem fere ratione.

Unusquisque illis etiam invidet, quos aliquando futuros sibi pares censet, *l. 2. c. 10. t. 107.*
Sed ego aliquando futurus sum Fabio par.
Ergo potest senex Fabius mihi adolescenti invidere.

Tanquam non) *Propositionem* explicat ab infinita gloriæ cupiditate.

Equidem) *Assumtio.*

Illud) Hortatur itaque Fabium, ne sibi invideat: hæc enim invidia non singulis modo hominibus, sed etiam Reip. detrimento est.

Commemoravit) In *Contentione* refellit statim argumentum ex periculo trajiciendi in Africam desumtum, & hoc utitur Syllogismo *a Comparatione*:

Qui mihi non timuit proficiscenti in Hispaniam, non debet esse de me solicitus trajiciente in Africam.
Sed nemo tunc de me fuit solicitus.
Ergo neque modo esse debet.

Cum Pater) *propositionem* amplificat, ostendens *ab Adjunctis*, quantum fuerit periculum tunc temporis adeundæ Hispaniæ, & ea omnia comparans cum iis, quæ in bello Africano ait futura multo minora.

Facile est) Per ironiam castigat Fabium, qui res a se prospere in Hispania gestas elevaverat, additque fore aliquando, ut qui nunc tantas relatas in Hispania victorias verbis deprimit, elevet etiam domitam Africam, ubi ipse Scipio rem feliciter transegerit.

Negat aditum) Quoad difficultatem descendendi in Africam, respondet exemplo Atilii, quo usus fuerat Adversarius.

Atilius tuto descendit in Africam, & primo accessu felix fuit.
Ergo etiam mihi portus Africæ patebunt.

Nihil igitur) Exemplum Atilii confutat. 1. quia non a Pœnis, sed a viro Lacedæmonio victus est. 2. quia non hoc bello, sed priori illud contigit. 3. quia eum non debet terrere Atilius captus, quem non moverunt Scipiones occisi, argumento a *Comparatione Majorum.* 4. a *Pari*, quia si unus Xantippus potuit servare Carthaginem, unus Scipio poterit Romam bello liberare.

At enim) Atheniensibus opponit Agathoclem, & ipsum Hannibalem.

Mul-

Multum interest) Arguit deinde *a Caussis* conglobatis, quod plus animi sit aliena oppugnanti, quam sua defendenti, inferenti, quam propulsanti bellum, quod facilius vinci Carthago possit, idque probat tali ratione:

Superabitur Carthago, si socios habeat infidos.
Sed deficient Socii a Carthaginiensibus, si Romani trajiciant in Africam.
Ergo si Romani trajiciant in Africam, facilius Carthago superabitur.

Non speraverat) *Assumtionis* approbatio *a Comparatione*:

Multi socii in Italia defecerunt a Romanis.
Ergo plures in Africa deficient a Pœnis superbis dominis.

Ad hæc) *Propositionis* approbatio, quia cum Carthagine Cives imbelles sint, deserti Pœni a sociis non poterunt, ut Romani, imperium retinere.

Hic modo) Vertit se ad Patres, eosque hortatur, ut trajiciendum decernant, oblata spe victoriæ celeris, allatisque rationibus, cur adeo confidat, *ex Arist. l.* 2. *c.* 5. *t.* 57. *&* 60.

Quorum ego) Cum Fabius dixisset, non esse fidendum Numidis, respondet hic Scipio, ita se iis fidere, ut etiam caveat ab eorum perfidia.

Habebo) Objectioni de Hannibale, qui tam in Italia, quam in Africa Dux belli, & hostium futurus erat, opponit argumentum ab *Utili*, *Effecta dissimilia* recensens:

Si in Italia vincatur Hannibal, præmium victoriæ erunt semiruta Castella; si in Africa, ipsa Carthago. Ergo utilius est eum vincere in Africa, quam in Italia.

Ne quid) Nullum autem Romæ imminere ab Hannibale periculum sic ostendit *a Comparatione Majorum*:

Longe difficilius erat Hannibalem victorem cohibere, quam nunc pene fractum.
Sed tu eum victorem cohibuisti, ne Romam occuparet.
Ergo idem præstare poterit Collega Licinius, fracto jam, & concusso Hannibale.

Qui ne a sacris) Assignat rationem, cur, si decernatur Provincia Africa, eam sibi certam polliceatur, concedente nimirum Collega, quod esset Pontifex Maximus, quem non necessario, sed ut plurimum in Urbe, aut in Italia manere oportebat.

Si

Si Hercule) Cum Fabius contendiſſet, maximam ſibi gloriam Scipionem conſecuturum, ſi Hannibalem exire Italia coegiſſet, ipſe contrarium probat, glorioſum futurum Pop Rom. inferre Africæ bellum, *a Conſequentibus*; præclara eſt amplificatio, quam illuſtrat exemplo Hannibalis, & prioris belli Punici, *a contrariis* etiam, & *ab Effectis*.

Quæ ad Remp.) *Peroratio*, qua concludit, ſe nihil addere præterea voluiſſe de rebus a ſe geſtis in Hiſpania, quas Fabius elevaverat, ut modeſtiæ famam captaret; cum tamen eas ſupra ſatis amplificaſſet.

Sententiæ.

Longius, quam quantum vitæ humanæ ſpatium eſt, cupiditas gloriæ extenditur.

In hominis unius virtute plurimum ſæpe momenti eſt.

Multum intereſt alienos populere fines, an tuos uri, excindique videas.

Plus animi eſt inferenti periculum, quam propulſanti.

Barbarorum fidei ita innitaris oportet, ut veriturus perfidiam ſis.

Id eſt Viri, & Ducis, non deeſſe fortunæ præbenti ſe, & oblata caſu flectere ad conſilium.

Ex Dec. 3. Lib. 9.

ORATIONIS CXV.

Locrenſium de injuriis Pleminii in Senatu

Argumentum.

Locrenſes accuſant in Senatu Q. Pleminium, qui Legatus Locris relictus a P. Scipione multa in eos Cives avare, & crudeliter admiſerat.

Loci communes *ab Effectis*, *a Definitione*, *a Comparatione*, & *ab Enumeratione*.

Motus, *Miſericordia*. Mores *hominum in ultimis miſeriis exiſtentium*.

Dividitur in tres partes, *Exordium*, *Contentionem*, & *Perorationem*.

Scio) Ut promtiorem Senatum reddant ad ulciſcendas Pleminii injurias, benevolentiam ſibi conciliant avertendo culpam defectionis a conſilio publico, cui meritum aſcribunt reditus in priſtinam ditionem; utrumque tamen omittunt in præſentia oſtendere ob duplicem rationem, quam afferunt.

Non poſſumus) Amplificant igitur injurias primo *a Comparatione*.

Du-

durum est, nos majora passos a Romanis, quam a Pœnis.

Sed ita revera contigit. Ergo.

In discrimine) Hoc est, dubitant homines, utrum vestrum sibi eligere debeant imperium, an Punicum. Unde sic secundo *a Consequentibus* :

Eas injurias ulcisci debetis, quæ vestro imperio maximo detrimento sunt.

Sed injuriæ Pleminii in Locrenses vestro imperio maximo sunt detrimento.

Ergo eas ulcisci debetis.

Assumtio confirmatur argumento a *Comparatione minorum*.

Et tamen) Tertio ostendunt, se indignos fuisse, qui ea paterentur, a fide sua in Romanos, hoc est *ab Effectis. Arist. l. 2. c. 8. t. 92.*

Q. Pleminius) Quarto *a Definitionibus* conglobatis, describentes Pleminium.

Ac si scelus) Quinto *ab Effectis*.

Eum maxime ulcisci debetis, qui non solum ipse sceleratus est, sed & alios sceleratos fecit : id patet *ex Arist. l. 1. c. 12. t. 225.*

Talis est Pleminius. Ergo eum maxime ulcisci debetis.

Ac si scelus) *Propositio* explicatur *a Contrariis*.

Nunc omnes) *Assumtio*.

Omnes rapiunt) *Assumtionis* approbatio itidem *ab Effectis*.

Nego) Alia approbatio ab Enumeratione omnium scelerum, quæ a Pleminii militibus in Locrenses admissa sunt, quam deinde illustrat.

Vix ratio) *a Comparatione minorum*, quæ ab hostibus passi sunt.

Unum est) Ultimo ad maximum omnium scelerum descendunt, violatam scilicet Religionem, & spoliatum Proserpinæ templum, quod argumentum ita pertractant :

Si quem Deum timere debetis, maxime Proserpinam Locrensium, *l. 2. c. 5. t. 41.*

Sed ejus templum spoliavit Legatus vester.

Ergo timere Deam iratam debetis, adeoque expiare tantum scelus.

Qui cum Sicilia) *Propositionis* approbatio a Pyrrhi exemplo.

Hæc cum audisset) *Assumtio*, & augent scelus, quod præ-

prævisâ ultione de Pyrrho ſumta, tamen in Deam Pleminius peccaverit.

Quibus per) *Complexio.*

Quamquam) Confirmatur eadem *Propoſitio* per ea, quæ jam paſſi fuerant auctores ſceleris ab irata Dea.

Majorem quondam) Tandem ex iis, quæ acciderant bello cum Crotonienſibus, oſtendunt, quam ſeipſum Deæ numen defendat.

Noſtras injurias) *Peroratio* duo habet. 1. rogant Senatum, ut ſe a Pleminii crudelitate liberent, a quo majora patiantur, quam a Pœnis iratis, & a ſe deſertis ferrent. 2. poſtulant, ut citari jubeant ipſum Pleminium, & eo præſente judicium haberi, quo magis pateat, verane ſint, quæ ipſi crimina objecerint.

Sententiæ.

Dant animum ad loquendum libere ultimę miſerię.
Deus ſuas ſedes, & templa aut defendit, aut a violatoribus gravia piacula exigit.

Ex Dec. 3. Lib. 10.

ORATIONIS CXVI.

Sophonisbæ ad victorem Maſſaniſſam

Argumentum.

Victo Syphace, Maſſaniſſa Cirtam occupat, cui Regiam intranti occurrit in ipſo veſtibulo Sophonisba, & ne Romanis dedatur, ita ſuppliciter orat.

Loci communes *ab Adjunctis*, & *a Comparatione*.
Motus, *Miſericordia*. Mores *Supplicis*.
Tres ſunt partes, *Exordium*, *Contentio*, & *Concluſio*.

Omnia) Benevolentiam ſibi Maſſaniſſæ conciliat, illius tum virtutem, tum fortunam laudans, quique Deos ſecundos habeat; *ex Ariſt. l.* 2. *c.* 4. *t.* 27.

Sed ſi) Precatur Maſſaniſſam, ut ipſe potius ſtatuat de Sophonisba Captiva, quam Romanis dedat, preceſque ita confirmat *ab Adjunctis.*

Supplicis Reginæ, & uxoris Numidæ Regis miſereri debes.
Talis eſt Sophonisba, ſupplex, Regina, & Regis Numidæ uxor.
Ergo illius miſereri debes.

Propoſitio pendet *ex Ariſt. l.* 2. *c.* 8. *tex.* 91. *Aſſumtio* amplificatur.

Si nihil aliud) Quo magis ad miſericordiam Maſſaniſſam moveat, ut habetur *loc. cit. tex.* 83. maximum ſibi

sibi a Romanis malum imminere ostendit *a Comparatione*: Plus est a Romanis timendum Carthaginiensi, quam Numidæ.

Sed mihi timendum esset a Romanis, licet Numidæ Regis Uxor tantum fuissem.

Ergo multo magis, quod Carthaginiensis, & filia Asdrubalis sim.

Si nihil) *Assumtio.*

Quid Carthaginiensis) *Complexio.*

Si nulla) *Conclusio*, qua petit, ut se a Romanorum arbitrio morte saltem liberet; ex qua animi constantia major oritur Misericordia, ut habetur apud *Arist. eodem libro, & capite, tex.* 92.

Sententiæ.

Subjectis parcendum est.

Mors turpitudini anteponenda.

ORATIONIS CXVII.

Scipionis ad Massanissam de Sophonisba

Argumentum.

MAssanissa, capta Cirta, Sophonisbam sibi Conjugem acceperat, quem proinde Scipio leniter castigat, hortaturque, ut eam senatus arbitrio relinquat.

Loci communes ab *Effectis*, & a *Contrariis*.

Motus, *Verecundia.* Mores *viri prudentis, & continentis.*

Partes sunt tres, *Insinuatio*, *Contentio*, *& Conclusio.*

Aliqua te) *Insinuatio* a suismet virtutibus, quarum amore Massanissa amicitiam Scipionis, & Romanorum appetiverit; inter quas maxime sibi cordi esse continentiam dicit, quo eam magis etiam Numidæ commendet.

Hanc te) Hortatur igitur Massanissam ad hanc eamdem virtutem colendam:

Qui habet omnes Virtutes, etiam Continentiam colere debet.

Sed tu aliis omnibus Virtutibus es insignitus.

Ergo etiam Continentiam colere debes. Syllogismus Epicheremate includitur.

Nam non est) Secundo a *Contrariis.*

Illud est maxime utile, cujus contrarium maxime est perniciosum, *l.* 2. *c.* 6. *t.* 77. *& c.* 7. *t.* 103.

Sed incontinentia maxime est perniciosa.

Ergo maxime utilis Continentia.

Assumtio illustratur *a Comparatione minorum*, & *verecundia* movetur, ex *Arist. l.* 2. *c.* 6. *t.* 73.

Qui

Qui eas) Tertio arguit *ab effectis*.

Ea virtus tibi cordi esse debet, quæ maximam gloriam parit.
Sed continentia maximam gloriam parit.
Ergo ea tibi cordi esse debet.

Assumtio) itidem *per Comparationem Minorum* confirmatur.

Quæ me) Transit ad alteram *Contentionis* Partem, & ut Sophonisbam arbitrio Senatus, & Populi permittat, ita rei æquitatem ostendit:

Omnia bello capta sunt præda Populi Romani.
Ergo omnia, adeoque etiam Sophonisba, Senatus, Populique Rom. arbitrio permittenda.

Syphax) *Antecedentis* approbatio.

Itaque ipse) *Antecedens*.

Et Regem) *Complexio*.

Ac Senatus) *Complexionem* confirmat ex majori Sophonisbæ culpa, quæ illius cum Romanis belli caussa fuerat.

Vinci) *Conclusio* sumta tum *ab honesto*, tum *ab utili*; neque enim pro una femina maxima erant ei adeunda pericula.

Sententiæ.

Non est tantum ab hostibus armatis Adolescenti periculi, quantum ab circumfusis undique voluptatibus.
Vince animum, & ne deformes multa bona uno vitio.
Major sæpe culpa est, quam caussa culpæ.

ORATIONIS CXVIII.
Hannibalis ad Scipionem de pace

Argumentum.

HAnnibal reversus in Africam, & de salute patriæ solicitus, impettato colloquio cum Scipione, ita cum eo de pace agit.

Loci communes *ab Effectis*, *a Caussis*, *a Genere*, & *Adjunctis*.

Motus, *Timor*. Mores *Viri Sapientis*.

Dividitur in tres partes, *Exordium*, *Contentionem*, & *Perorationem*.

Si hoc ita) quam in se ipso fortuna variaverit, attingit in *Exordio*, simulque innuit gloriam, quæ ex confecto hoc bello, & ex pace petita ab Hannibale Scipioni erat consecutura; ut adversarii animum partim timore incerti exitus, partim spe certæ gloriæ ad pacis consilium flectat. *Opti-*

Optimum) In *Contentione* primo arguit a deteſtatione belli, ſumto argumento *ab Effectis*: Illud bellum eſt deteſtabile, quod utrique populo eſt pernicioſum.

Sed bellum inter Romanos, & Pœnos utriſque pernicioſum eſt.

Ergo eſt deteſtabile.

Optimum) *Aſſumtio*, nam ſi Pax erat utriſque utilis, bellum igitur pernicioſum.

Neque enim) *Aſſumtionis* approbatio quoad primum Punicum bellum, & reſpondet cuidam *Prolepſi*, oſtendens Siciliam, atque Sardiniam non ſatis digna fuiſſe præmia, propter qnæ tantas belli illius calamitates tolerarent.

Sed præterita) *Effecta* hujus ſecundi belli recenſet, quibus eadem illa *Aſſumtio* confirmatur.

Quod igitur) Secundo pacem ſuadet *ab Adjunctis*, tali ratione:

Eam Pacem recuſare non debes, quæ ſit Romanis honeſta, & tuta.

Sed hæc Pax glorioſa erit, & tuta Romanis.

Ergo eam recuſare non debes.

Quod igitur) Probat glorioſam pacem Romanis futuram, quia Victores erant.

Agimuſque) Stabilem autem, & firmam fore inde concludit, quod quantum auctoritatis Scipioni apud Romanos, tantumdem ſibi apud Carthaginienſes ſit.

Quod ad me) Cum igitur & belli detrimenta, & pacis utilitatem oſtenderit, ſe quidem rationem potius, quam fortunam ſequi velle ait; timere autem, ne Scipio contra ſentiat, ferox tum propter ætatem, tum etiam propter perpetuam felicitatem, & ut a nimia Confidentia ſui deterreat, ſe ipſe exemplo proponit, hoc modo:

Qualis ego fui victor, & ferox, talis tu quoque nunc es, & victor, & ferox.

Sed poſt multas victorias ex ea ferocia in maxima ego infortunia decidi.

Ergo id tibi quoque poteſt accidere; adeoque recuſare pacem non debes.

Quod ego) *Propoſitio*.

Vix dum) Quam ut confirmet, Scipionis res geſtas recenſet, & *ab Adjunctis* ubique amplificat.

Poteſt) Expoſitio *Propoſitionis* ejuſdem quoad ferociam ex victoriis conceptam. Solet, inquit, animus proſperis rebus inflatus victoriam, & triumphum optare potius, quam pacem, temere ſcilicet, non ſapienter.

Quod

Quod si) Castigat immodicam in rebus secundis Confidentiam.

Ut omnium) *Assumtio.*

Maxime cuique) Arguit deinde ab incertitudine eventus.

Certa , & honesta pax est anteponenda incertæ victoriæ.

Sed pax est certa , & honesta tibi , victoria admodum incerta.

Ergo pacem recusare non debes.

Maximæ) *Assumtionis* approbatio *a Genere* , quoad victoriæ incertitudinem.

In bonis tuis) *Ejusdem* approbatio *ab Adjunctis*, quoad pacem Scipioni honestam.

Melior) *Propositio.*

Hæc in tua) *Propositionis* approbatio a *Caussis.*

Ne tot annorum) Duplici deinde argumento comprobat majorem illam Propositionem , quorum primum est *a Genere.*

Certa , & maxima gloria non debet committi dubio prælio.

Sed prælium inter nos futurum incertum , & dubium est.

Ergo tuam maximam gloriam huic dubio prælio committere non debes.

Ne tot) *Complexio.*

Cum tuas vires) *Assumtionis* approbatio a *Caussis.*

Non tantum) Alterum argumentum ducitur *a Comparatione* , tali pacto :

Illud vitare debes prælium , in quo , si vincaris , plus amittis , quam acquiris victor.

Sed in hoc prælio plus gloriæ tuæ ademeris , si vincaris , quam adjeceris, si vincas .

Ergo vitare debes hoc prælium.

Habes *Assumtionem* cum sua approbatione : ex qua colligit , debere Scipionem, quippe prudentem , gloriam ante partam stabilire beneficio pacis , non eam rursus fortunæ , & Deorum voluntati permittere

Inter pauca) Affert exemplum Atilii, ut ostendat , non esse prospere fortunæ fidem magnam habendam.

Est quidem) Proponit conditiones pacis cum excusatione , cur ipse potius , qui petat pacem , eas præscribat.

Haud negaverim) *Peroratio* , qua occurrit cuidam Prolepsi de perfidia Carthaginiensium, sumto argumento *a Caussis.*

Pax

Pax illa firma erit, quam Hannibal petet.
Sed ego Hannibal hanc pacem peto.
Ergo firma erit.

Multum) *Propositionem* confirmat: 1. a ſuamet auctoritate; ea enim magis firma eſt Pax, quam Viri graves petunt, quod & ipſi Romani probarunt.

Qui neque) 2. *a fine*; quæ enim utilitas hortatur nunc, ut pacem petam, eadem faciet, ut firmam habeam.

Et quemadmodum) 3. a ſua conſtantia, nam ſapiens Imperator, qua conſtantia bellum gerit, eadem pacem tuetur.

Sententiæ.

Præterita magis reprehendi poſſunt, quam corrigi.
Id nobis ante omnia optandum, ut in meliore noſtra fortuna de pace agatur.
Non temere incerta caſuum reputat, quem fortuna nunquam decepit.
Poteſt ferox animus victoriam malle, quam pacem.
Maximæ cuique fortunæ minime credendum.
Melior, tutiorque eſt certa pax, quam ſperata victoria.
Ejus eſt, qui dat, non qui petit, conditiones dicere pacis.

ORATIO CXIX.

P. Scipionis ad Hannibalem de Pace.
Loci communes *a Comparatione*, & a *Cauſſis*.
Motus, *Odium*, & *Confidentia*. Mores *Viri magnanimi*.

Partes ſunt tres, *Exordium*, *Contentio*, & *Concluſio*.

Non me) Quod excuſavit in *Peroratione* Hannibal, urget Scipio in *Exordio*, perfidiam Carthaginienſium, qui inducias, ſpemque pacis novis injuriis turbaverant: quod ait eos feciſſe fidentes Hannibali, qui proinde alias nunc conditiones dicebat pacis, & a ſuperioribus omnino diverſas.

Cæterum) Negat igitur pacem hoc imprimis argumento *a Comparatione*:

Non minorem ego meæ Reip. curam habere debeo, quam tu patriæ tuæ.
Sed tu Cives tuos levare onere ſtudes.
Ergo primas ego pacis conditiones tueri Romanis debeo.

Indigni) Quam eorum perfidiam ſic ſecundo caſtigat:
Perfidia digna eſt pœna, non præmio.

Sed vos fraude in pace petenda usi estis.
Ergo iniquioribus conditionibus, quam antea, vobis Pax danda est.

Neque patres) Tertio *a Caussa* belli, & suam de victoria confidentiam exponit: iis Dii dabunt victoriam, qui injuste lacessiti sunt.

Sed nos injuste a vobis lacessiti fuimus.
Ergo nobis Dii victoriam dabunt.

Neque patres) *Assumtio* complectens caussam tum primi belli Punici, tum secundi.

Qui & illius) *Complexio, ex Arist. l. 2. c. 5. tex. 60.*

Quod ad me) Ut purget suspicionem temeritatis, ait se optime conscium esse, quanta sit rerum humanarum inconstantia, neque tamen esse reprehendendum, quod oblatam ab Hannibale pacem recuset; sic *a Comparatione*:

Si sponte ab Italia discedens pacem peteres, non possem juste abnuere.
Sed invitus, & a me coactus discessisti.
Ergo juste possum pacem recusare.

Cæterum) *Propositio.*

Sic nunc) *Assumtio* cum *Complexione.*

Manu conserta) hoc est, cum te quasi vi, & pugna coegerim Italiam relinquere, non teneor tuas de Pace conditiones admittere, sed ne audire quidem.

Proinde) *Concludit* autem rem prælio esse decernendam, aut præter primas pacis conditiones aliquam etiam mulctam addendam esse ob violatas inducias.

Sententiæ.

Boni Principis est, suos onere, quam maxime potest, levare.
Deus belli exitum secundum jus, fasque dat.
Superbe, & violenter facit, qui venientem ad pacem petendam aspernatur.
Perfide, & astute agentes venia indigni sunt.
Bellum sentiat, qui pacem habere non potest.

ORATIONIS CXX.

Hannibalis de risu suo

Argumentum.

Complorantibus primam pecuniæ collationem Carthaginiensibus diutino bello exhaustis, risisse ferunt Hannibalem, quem cum increparet Asdrubal Hædus, sic ipse respondit.

Loci communes *a Caussis.*

Motus, *Verecundia.* Mores *viri turbati.*

Dux

Duæ sunt partes, purgat se, & Carthaginienses coarguit.

Si quemadmodum) Se itaque purgat a *caussa* sui risus:

Ille risus non est reprehendendus, qui non ex lætitia nascitur, sed ex vehementi perturbatione animi.

Talis est risus meus.

Ergo non recte ab Asdrubale reprehenditur.

Qui tamen) Accusat deinde intempestivum suorum Civium fletum pariter a *Caussa*:

Fletus Civium reprehendendus est, lugentium privata, non publica mala.

Sed fletus vester privatorum, non publicorum malorum est.

Ergo est reprehendendus.

Tunc flesse) *Assumtionis* approbatio, tunc enim flere debuerant, cum iniquæ pacis conditiones Carthaginiensibus datæ sunt.

Illo enim) Hæc verba confirmant superiora de inhibitione facta Carthaginiensibus de non gerendo bello in Africa injussu Romanorum, quam dicit esse Patriæ fatalem, & probat tali ratione:

Magna Urbs aut bellum habere debet externum, aut intestinum.

Ergo si bella cum exteris gerere non possumus, civilibus affligemur.

Ut prævalidæ) *Antecedentis* approbatio a *Simili*.

Quam vereor) *Concludit* a timore majoris mali; quod lacrymans ominatur.

Sententiæ.

Non quemadmodum oris habitus cernitur oculis; sic & animus intus cerni potest.

Nulla magna Civitas diu quiescere potest.

Tantum ex publicis malis sentimus, quantum ad privatas res pertinet.

EX
DECADIS QUARTÆ
LIB. I.
ORATIONIS CXXI.
P. Sulpicii ad Populum de bello Macedonico

Argumentum.

CUm Populus legem antiquaſſet de bello Macedonico, P. Sulpicius Conſul edictis de integro Comitiis hanc habuit Orationem.

Loci communes *ab Antecedentibus*, & *a Comparatione.*

Motus, *Timor*, *& confidentia.* Mores *viri prudentis.*

Partes duæ ſunt, *Contentio*, *& Peroratio.*

Ignorare) Omiſſo *Exordio* ad rem ipſam accedit, quia magnitudo periculi, quam ſtatim attingit, ſatis per ſe facit attentos, ex *l.* 1. *c.* 14. *t.* 104. & hoc utitur *Syllogiſmo ab Utili*: Maxime cavendum eſt, ne in Italia bellum habeamus cum Philippo.

Sed ea eſt una ratio vitandi in Italia belli, ſi trajiciamus in Macedoniam.

Ergo in Macedoniam trajiciendum eſt.

Ignorare) *Aſſumtio.*

Neque enim) Ea Parentheſi includitur approbatio primæ partis *Aſſumtionis*, nulla ſcilicet alia ratione vitari poſſe in Italia bellum.

Hoc quantum) Approbatio *Aſſumtionis* quoad ſecundam partem, expeditione in Macedoniam ſuſcepta nullum futurum in Italia bellum, quam ſic *ab Antecedentibus* tractat.

Vidimus in Italia Hannibalem, quia non ſtatim in Hiſpaniam trajecimus: non vidimus Philippum, quia Macedoniæ bellum ultro intulimus.

Ergo & nunc non habebimus in Italia Philippum, ſi nos viderit in Macedonia.

Quis enim) *Antecedens.*

Et quod tunc) *Complexio*, eamque ſuadet quoad exemplum Philippi *ab Adjunctis* belli Punici, quoad exemplum Hannibalis *ab Adjunctis* locorum.

Ne æquaveritis) *Propoſitionis* approbatio: cumque videatur

deatur concedere Macedonas non esse pares Carthaginiensibus, Philippum Hannibali, arguit *a Comparatione* Pyrrhi, tali ratione: Pyrrhus in Italia summo cum nostro periculo bellum gessit.

Sed Pyrrho potentior est Philippus, nos minus nunc ad bellum Italiæ parati.

Ergo bellum in Italia cum Philippo periculosum nobis est, adeoque vitandum. *Arist. l.2. c.5. t.42.*

Minima accessio) Approbatio primæ partis *Assumtionis*, quod Epirus minima pars sit Imperii Macedonici, cum etiam tota Peloponnesus accesserit.

Nostra) Approbatio secundæ partis.

Aggressus Pyrrhus) *Propositio*, quæ probatur ex defectione sociorum, non eorum tantum, qui magnam Græciam colebant, quasi Græcum proinde Regem secuti, sed illorum etiam, qui Itali erant origine.

Hæc vos) Ut argumentum illud *a comparatione* valeat, ita concludit:

Pyrrhus ideo contra nos valebat, quod Socii nostri ad ipsum defecerant.

Sed etiam ad Philippum deficient. Ergo. *Manserunt*) Confirmat *Assumtionem* a *Majori*, si enim defecerunt ad Hannibalem crudelem, & avarum, multo magis ad Philippum Græcorum disciplinis eruditum.

Si piguisset) Idem illustrat hoc Epiphonemate: adeo non deerant Hannibali Socii in Italia, ut etiam nunc eos haberet, nisi bellum Africæ illum ab Italia revocasset.

Macedonia) *Peroratio*, qua *confidentem* Populum facit duplici ex capite, tum quod felicius bellum a Romanis geratur foris, quam domi, tum quod Dii arrideant hujusmodi expeditioni. *Arist. loco citato tex.* 57. & 60.

Ite in suffragium) Centuriatim videlicet, nam bellum comitiis Centuriatis, pacem Tributis jubebant.

Sententiæ.

Necessitas deliberationem non admittit.

Hostium provinciæ potius, quam nostræ bellum habeant.

Quos vi deviceris, cum primum possunt, rursus deficiunt.

ORATIONIS CXXII.

Legati Philippi Regis in Ætolorum Concilio

Argumentum.

LEgatus Philippi Regis Ætolos hortatur, ut pacem cum Philippo compositam servent, neque novam ineant cum Romanis societatem.

Loci communes *ab Effectis*, *ab Adjunctis*, *a Comparatione*, *& Caussis.*

Motus, *Odium*, & *Metus*. Mores *hominis amici.*

Tres sunt partes, *Exordium*, *Contentio*, & *Conclusio.*

Nulla nova) *Exordii* loco sunt ea verba, quæ oblique afferuntur, & sic *a congruo* argumentatur.

Ubi nihil novi advenit, ibi nihil novi decerni debet.

In pace cum Philippo composita nihil innovatum est.

Ergo nihil novi de ea decerni debet.

Quibus enim) *Assumtionis* approbatio.

An imitari) Ut igitur eos deterreat ab ineunda societate cum Romanis, ita arguit a *Caussis* :

Cum iis non est ineunda societas, qui summa utuntur licentia, & levitate.

Sed in Romanis summa est licentia, & levitas.

Ergo cum iis inire societatem non debetis. *Arist. l. 2. c. 4.*

Qui cum legatis) Ostenditur Romanorum levitas ab *effectis*: nam quos post pacem factam rejecerant, nunc eosdem, ut suadeant bellum, conveniebant, & pro quibus antea se bellum gerere dicebant, eos in societatem belli trahere conabantur.

Messanæ) Licentia Romanorum amplificatur recensione eorum, quæ dolose admiserant in Siculos, & alios quosdam Italiæ populos, & per *Adjuncta* superbi imperii in Siculos, crudelis in Campanos rem atrociorem reddit.

Ne finitimas) Hoc est Urbi Romanæ finitimas, Albam, Fidenas, Vejos, quas omnes Romani everterant.

Furor est) *A Comparatione* deinde societatem cum Romanis dissuadet.

Multo majus ab alienigenis, quam a Græcis periculum vobis imminet.

Sed Græci Regis potentiam adeo timetis.

Ergo multo magis Romanorum, qui sunt alienigenæ. *lib. 2. c. 5. t. 43.*

Philippi) *Assumtio.*

Qui cum) *Propositionis* approbatio quoad alteram par-

partem de Græcis sui ipsius exemplo, qui pacem æquam sponte dederat Ætolis.

Assuefacite) *Propositionis* prima pars.

Ætolos) Ejusdem approbatio a *dissimili*, quam a *caussis* deinde confirmat.

Sed unde) Quo argumento exorditur, eodem orationem concludit, nihil esse in pace cum Philippo mutandum, cum nihil in ea innovatum sit.

Sententiæ.

Quibus de caussis pacem fecimus, compositam semel servare debemus.

Urbs sine Senatu, sine Plebe, sine Magistratibus prodigium est.

Ejusdem linguæ homines leves ad tempus ortæ caussæ disjungunt, conjunguntque; cum alienigenis, & barbaris æternum bellum est.

ORATIONIS CXXIII.

Atheniensium in eodem Concilio contra Philippum

Argumentum.

Legati Atheniensium injurias sibi a Philippo factas amplificant, & ab Ætoliis opem implorant.

Loci communes ab *Enumeratione*, & a *Consequentibus.*

Motus, *Misericordia.* Mores *hominum supplicum.*

Neque id se queri) Calamitates suas exponunt tali ratione:

Ii sunt misericordia digni, qui non solum indigna, sed etiam misera patiuntur. *Arist. c.* 8. *l.* 2. *t.* 89.

Sed quæ passi sumus, non tantum indigna, sed & misera sunt.

Ergo miseratione digni apud vos esse debemus.

Sata) Enumerant calamitates, & miserias, quibus affliguntur.

Misera magis) Vocant misera ea mala, quæ revera ad interitum perducunt, *l.* 2. *c.* 5. *t.* 41. indigna vero, quæ potius quamdam habent ignominiam.

Verum enim) Pergunt recensere, quæ crudeliter in Athenienses Philippus fecerat: prima enim populatione sepulchra diruerat, altera Deorum delubra everterat, ut ex ipsa Historia patet.

Pagatim habitantes) Athenienses primis temporibus divisi per pagos eam regionem colebant, ac deinde una vivere docti sunt in eadem Civitate, cui tandem Themistocles superato Xerse mœnia extruxit; *ex Thucydide.*

Qualem) Quo se magis Ætolis commendent, innuunt Philippum eadem facturum reliquæ Græciæ, nisi opportune subveniant, ipsas certe Athenas idem infortunium effugisse Deorum ope, & Romanorum, qui auxilio venerant.

Itaque) *Conclusionis* loco est ipsa Syllogismi *Complexio.*

Sententiæ.

Sata exuri, dirui tecta, prædas hominum, pecorumque agi, misera magis, quam indigna sunt.

Principes secundum Deos plurimum possunt.

ORATIONIS CXXIV.

Legati Romani in concilio Ætolorum.

Argumentum.

ULtimo introductus Romanorum Legatus in Concilium diluit, quæ Macedones objecerant, hortaturque Ætolos ad bellum cum Philippo suscipiendum.

Loci communes *ab Effectis*, & *ab Antecedentibus.*

Motus, *Amor*, & *Odium*. Mores *Viri gravis.*

Dividitur in tres partes, *Exordium*, *Contentionem*, & *Conclusionem*.

Totam) *Exordium* ducitur ab inopinato, quod nequeat amplius accusare Philippum, ut instituerat, duasque assignat caussas; tum quia Macedones primi accusaverant Romanos, quibus respondere opus erat, tum quia deinde Athenienses Philippi scelera detexerant, quæ non ipsi tantum, sed & alii multi Græciæ populi querebantur.

Nam quod) Cum in *Exordio* Philippi crimina attigerit, Romanos purgat in *Contentione*, tali argumento:

Ea non sunt exprobranda Romanis, quæ gloriam ipsis pariunt.

Sed Rhegium, Syracusæ, & Capua Romano nomini gloriæ sunt.

Ergo absurdum est, ea pro criminibus exprobrare Romanis.

Rhegium) Probat de Urbe Rhegio, quia scelera in Rheginos admissa quatuor millibus hominum securi percussis ulti fuerant, adeoque gloriam meruerant.

Syracusanis) De Syracusis, quia suos hostes merita pœna affecerant, sibique Siciliam jure belli vindicaverant; omnes enim, prout meriti de Romanis fuerint, bonam, vel malam fortunam sortientur.

An Campanorum) De Capua; quia ingratos, & pessime de se meritos ita Pœnis affecerant, ut ipsi se majoribus dignos judicaverint.

Sed

Sed quid) Concludit *defensionem* argumento ducto a *repugnantibus*.

Ii non sunt crudeles in socios, qui sunt lenes in hostes: *Arist. l. 2. c. 3. t. 16.*

Sed Romani lenes fuerunt in Carthaginienses hostes acerrimos.

Ergo non sunt crudeles in suosmet Socios.

Magis illud) Epiphonema, quo illustratur Romanorum clementia eo etiam nomine, quod ipsis Romanis periculosa sit. Ex *Arist. l. 2. cap. 4. tex. 25.*

Hæc pro) Post absolutam defensionem addit privata, ac domestica Philippi facinora; nam publica in *exordio* exposuit.

Quod ad vos) *Conclusio* habet suasionem belli cum Philippo, & societatis cum Romanis; ubi afferuntur merita, & culpa utriusque Populi, excusationes mutuæ, & temporis ad bellum gerendum opportunitas.

Sententiæ.

Periculum est, ne facile ignoscendo victis plures ad experiendam fortunam belli incitentur.

Odium hostis prudenter in vindictæ occasionem differtur.

Ex Dec. 4. Lib. 2.

ORATIONIS CXXV.

Aristheni Prætoris in Concilio Achæorum.

Argumentum.

AUditis Romanorum, sociorumque, & Philippi Legatis, cum nemo Achæorum ad dicendum accederet, ita eorum silentium increpat Aristhenus Prætor.

Loci communes ab *Adjunctis*, & a *Caussis* & *Contrariis*.

Motus, *Pudor*. Mores *Viri prudentis*:

Duo præstat, tacentes coarguit, & ad sententiam dicendam hortatur.

Vbi illa) Prima pars talem habet increpationem, a *contrariis*:

Turpe est, eos tacere in publico Concilio, qui in privatis colloquiis multa temere dicebant.

Sed in conviviis, & circulis tanta erant inter vos certamina hac de re, qui nunc in concilio tacetis.

Ergo illud vobis turpe est. *Arist. l. 2. c. 6. t. 65.*

Assumtionis utramque partem urget ab *Adjunctis*.

Si non cura) In altera *Orationis* parte hortatur ad sen-

sententias libere dicendas, usus argumento a *caussis* conglobatis, quod hoc suadeant publica utilitas, privata studia, temporis, & loci opportunitas.

Ubi semel) Ultimo, quia si quippiam contra eorum voluntatem decretum fuerit, non amplius repugnandi tempus erit, sed decreto parendum.

Sententiæ.

Dicendi, ac suadendi quod quisque velit occasio est, priusquam quicquam decernatur.

Ubi semel quippiam decretum est, etiam quibus antea displicuerat, pro bono, atque utili defendendum.

ORATIONIS CXXVI.

Ejusdem Aristheni pro societate Romana

Argumentum.

Cum cæteri adhuc in Concilio tacerent, ipse tandem Aristhenus pro Romana societate hanc habuit Orationem.

Loci communes *ab Effectis*, *a Consequentibus*, *ab Enumeratione*, *ab Adjunctis*, *& a Caussis.*

Motus, *Timor.* Mores *Viri de publica salute soliciti.*

Quatuor sunt partes, *Exordium*, *Propositio*, *Contentio*, & *Peroratio.*

Non magis) *Exordium* ducitur a *Caussis*, cur cæteri taceant, & ipse verba faciat, non, inquit, quod non habeant alii quid dicant, sed quod dicere non audeant, quæ sentiunt, ne privato periculo Reip. consulant.

Forsitan ego) Alteram partem de se ipse hac ratiocinatione exponit.

Si quod responsum dandum est Legatis, id maxime Prætori curæ esse debet.

Sed aliquod responsum dandum est Legatis.

Ergo id maxime Prætor curare debet.

Sed responsum dari non potest sine decreto, & ut fiat decretum suaderi aliquid debet. Ergo ut detur responsum, suaderi aliquid a Prætore debet.

Forsitan) *Propositio*, & benevolentiam sibi conciliat: ex *Arist. l. 2. c. 4. tex. 29.*

Video aut) *Assumtio.*

Respondere) Prima pars *Subsumti*, & altera reticetur.

Et quando) *Propositio Orationis*, qua diversa utriusque partis postulata exponit, quasi diversæ eæ fuerint ipsorum Achæorum sententiæ.

Nul-

Nulline) In *Contentione* diluit argumenta allata a Philippi Legato, & adversariorum confirmat. Illud igitur imprimis favebat Philippo, quod cum socius esset, tamen id tantum peteret, ne alterutris Achæi faverent, postulantibus Romanis societatem, & belli communionem; cui satisfacit *a caussis*:

Qui confidit, plura petit, quam qui timet.
Philippus timet, Romani confidunt.
Ergo jure plura petunt Romani, quam Philippus.

Philippi) *Assumtio* illustratur ab *adjunctis*.

Miramini) *Complexio*.

Achæi portus) Hoc est, Achæorum portus, qui sunt bello, & periculis expositi, dant fiduciam Romanis, quod eos invadere parata, & vicina classe possint; adimunt Philippo, qui auxilium ferre nullo modo possit.

Quid si ex eodem) Alterum Argumentum erat fœdus cum Philippo jurejurando firmatum: quod confutat *a pari*.

Non minus ex fœdere tenetur nos Philippus defendere, quam nos Philippum.
Sed nos Philippus neque potest nunc tueri, neque priore anno voluit.
Ergo & nos neque possumus, neque tenemur Philippum tueri.

Qui si) *Assumtionis* prima pars.

Non hercule) Altera pars *Assumtionis*.

Ac mihi quidem) Tertio legatus Philippi majores esse vires sui Regis, quam Romanorum dixerat, eumdemque futurum hujusce belli exitum, ac prioris fuerit. Primum illud negat, ostendens contrarium *ab Effectis*.

Ille potentior est, qui Urbem hostium capit, & diripit.
Romani Urbes Philippi plures cepere.
Ergo sunt Philippo potentiores. *Arist. l.2. c. 4. t.48.*

Si sua) Urget idem argumentum tali dilemmate:
Aut sponte, aut coactus ea loca deseruit Philippus.
Si sponte: ergo & nos jure possumus eum deserere, ut nobis consulamus.
Si coactus: ergo Romani potentiores Philippo, adeoque etiam nobis. *Ex loco citato.*

An tibi) Quoad illud de priore bello Macedonico, respondet *a Dissimili*; probans a dissimili ratione gerendi belli diversum hujus exitum futurum:

Priore bello, nullo misso exercitu, sola Classe juverunt Ætolos.

Sed nunc & Classe, & exercitu Consulari bellum Philippo inferunt.

Ergo dissimilis erit hujusce belli exitus.

Ætolos tum) *Propositio.*

Nunc autem) *Assumtio* illustrata ab *Effectis.*

Tertius jam Consul) Cum tres Consules dicat bellum in Macedonia gessisse, duos tantum nominat, Sulpitium, & Quintium, omittit enim Vilium, qui paucos menses in Provincia moratus nihil fecerat memoria dignum.

Ne sint vera) Confutatis, quæ pro Philippo adducta fuerant, *ab Enumeratione* scelerum ejusdem Regis contendit societatem cum ipso irritam esse debere: idque argumentum ironice per figuram Præteritionem pertractat:

Cum Rege crudeli, avaro, & libidinoso fœdus tueri non debetis.

Talis est Philippus. Ergo cum eo fœdus tueri non debetis.

Ne sint) Sed nihil ponderis, inquit, habeant Philippi scelera ad hanc societatem dirimendam, remque ipsam consideremus, quasi socius esset Antigonus Rex Macedoniæ justissimus.

Num id) Probat igitur *a Consequentibus* fœdus cum Macedone tollendum esse; Ab eo fœdere discere debemus, quod nobis certam perniciem importat. *Arist. l. 2. c. 5. t. 41.*

Sed fœdus cum Philippo certam nobis perniciem importat.

Ergo illud servare non debemus.

Peninsula) *Assumtionis* approbatio ab *Adjunctis* situs, quem Peloponnesus habebat, Classis potentissimæ Romanorum, belli cum Lacedæmoniis: quibus impares fore Achæos ostendit *ab Antecedentibus.*

Nolite, quia) *Prolepsis*, quasi indigeant Achæorum societate Romani, quam ultro petunt, proindeque non tanti faciendi sint; cui respondet *a caussis*:

Contemnendi essent Romani, si ex metu peterent. *Arist. l. 2. c. 11. t. 117.*

Sed non petunt Romani amicitiam vestram ob timorem.

Ergo quod eam petunt non sunt contemnendi.

Metu enim) *Assumtio* per Ironiam.

Mare) *Assumtionis* approbatio *ab effectis.*

Quid

Quia) Alia approbatio a *Caussa* finali; id videlicet agere propter insitam Romanorum genti humanitatem, maxime in Achæos.

Nam quod) Altera *Prolepsis* est, melius consultum Achæis fore, si armis abstineant, & neutros offendant: quod ipse negat; tum quia si Romani non fiat socii, futuri sunt hostes; tum quia neutris faventes utrosque offendent, futuri idcirco certissima victoris præda.

Nolite si] *Peroratio* habet suasionem pro Romana societate, ab occasione opportuna, & facili ulciscendi Philippum, quod erat in votis.

Sententiæ.

Suo quisque periculo in commune consultum non vult, adeoque lingua sæpe deest magis, quam consilium.

Qui Socios relinquit hostibus diripiendos, recusare non potest, quin & Socii sibi consulant.

Peninsula nulli apertior, atque opportunior est, quam navali bello.

Non sunt contemnendi, qui quod rogant, cogere possunt.

Non quemadmodum hodie quippiam nobis licet, sic semper liciturum est.

Ex Dec. 4. Lib. 4.

ORATIONIS CXXVII.

M. Porcii Catonis pro Lege Oppia

Argumentum.

CUm Tribuni Plebis ferrent de abroganda lege Oppia, quæ ad mulierum cultum spectabat, lata a C. Oppio in medio ardore Punici belli, inter cæteros M. Cato tum Consul ita pro lege disseruit.

Loci communes a *Caussis*, *ab Effectis*, *a Consequentibus*, *&* *a Comparatione*.

Motus *Ira*, *&* *Indignatio*. Mores *Viri gravis*, *&* *constantis*.

Dividitur in tres partes, *Exordium*, *Contentionem*, *&* *Epilogum*.

Si in sua] In *Exordio* increpat Quirites, quod ipsi in caussa sint, cur mulieres impudenter frequentes in forum venerint, tali pacto:

Si suam quisque fæminam domi continuisset, **non huc omnes convenissent:**

Ergo

Ergo quod hoc illæ fecerint, virorum culpa est.

Attentionem conciliat a rei magnitudine, *l. 3. c.* 14. *t.* 104.

Equidem] In *Contentione*, antequam ad ipsam legem accedat, coarguit licentiam illam muliebrem, & sic imprimis a *Consequentibus*:

Mulieres habere cœtus, & concilia, periculosum est Reip.

Ergo id maxime prohibere debemus.

Equidem] *Antecedens* confirmat exemplo: dicuntur enim in Lesbô Insula mares omnes muliebri conjuratione sublati, quod illi fœminarum congressus, quippe male olentium, vitarent.

Ab nullo] *Antecedens*.

Atque ego] Sic deinde rem universam pertractat *a Caussis*:

Illud prohibere debemus, quod per se turpe est, & pejorum caussa malorum.

Sed hæc mulierum licentia & per se turpis est, & pejorum malorum caussa erit. *ex l. 2. c. 6. t. 65.*

Ergo nunc maxime coercenda.

Atque ego) *Assumtio* per dubitationem.

Quorum alterum) *Propositionis* approbatio.

Nam utrum] Eamdem approbationem confirmat. Quirites enim cavere debebant, ne sibi fæminæ jus ferendi suffragii usurparent; Magistratus, ne dicerentur Tribuni præsidium sibi fæminarum ad leges ferendas comparasse; Consules seditiosis mulieribus cessisse, cum utrumque turpe futurum sit. *Ex loc. cit.*

Equidem) *Assumtionis* primam partem amplificat *ab Adjunctis*, maximamque vim addit Prosopopœja.

Quamquam] Idem ostendit *a comparatione*, ipsius videlicet rei turpitudinem, tali usus Enthymemate:

Non debent curare mulieres, quin in foro agatur.

Ergo multo minus in forum venire ad quidpiam suadendum, aut dissuadendum.

Majores) *Antecedentis* approbatio pariter *a Comparatione*, nam si nihil privatim agere possunt sine auctoritate virorum, multo minus publica curare debent.

Date frænos] Hanc licentiam pejorum malorum caussam fore, quæ erat altera *Assumtionis* pars, ita probat a natura mulierum:

Mulier natura indomita est, & immodica appetens.

Ergo si hoc permittimus, majora deinde extorquebunt.

Recensete) *Antecedens* confirmat *ab Effectis*, cum tot constrictæ legibus satis tamen contineri non possint.

Quid si) *Complexio*.

At hercule) In secundo *Contentionis* membro legem Oppiam defendit, & incusantibus Mulieribus legis iniquitatem multipliciter respondet.

Imo ut) 1. ab experientia, usu enim tot annorum eam utilem Reip. comprobaverant, non igitur est iniqua.

Nulla lex) 2. *a Caussa efficiente:*

Ea lex est justa, quæ majori parti prodest, licet quibusdam detrimento sit. *ex Arist. l.* 1. *c.* 8. *t.* 137.

Sed Lex Oppia fæminis quidem non satis commoda, reliquis utilissima est.

Ergo justa.

Si quod) *Propositionis* approbatio a consequenti incommodo.

Volo tamen) 3. *a Caussa finali.*

Id non est fœminis permittendum, quod ad fastum, & luxuriam petunt.

Sed abrogationem legis Oppiæ fæminæ petunt ad fastum, & luxuriam.

Ergo ea Lex non est in gratiam fæminarum abroganda.

Ut captivi) Urget *Propositionem a Dissimilibus*, & illustrat *Comparatione*.

Ut auro) *Assumtio* per prosopopœjam allatam ad majorem invidiam.

Sæpe me) Quo magis illius argumenti *Propositionem* comprobet, invehitur in luxum Civitatis, ejusque mala recenset, hoc *Syllogismo ab Effectis:*

Ea vitia non sunt amplificanda; quæ perniciem important Reip.

Sed luxus perniciem Reip. importat.

Ergo luxus non est augendus in fæminis abrogatione hujus Legis.

Propositio, & *Complexio* reticentur, & sola explicatur *Assumtio*.

Infesta) Alludit ad significationem nominis; Signum enim æque significat militare vexillum, & simulacrum.

Et ante fixa) Laudant, inquit, Deorum simulacra ex marmore, aut argento, ut fere in Græcia solebant, illas ex terra factas imagines collocatas in Capitolio a majoribus nostris vituperant.

Patrum nostrorum) Respondet tacitæ objectioni, quod

quod per plures annos nulla fuerit lex de cultu mulierum, neque tamen luxus excreverit: sic itaque a Caussis:

Necesse est prius nasci cupiditates, quam leges.
Sed primis temporibus nullus erat in cultu luxus, nunc maximus est.
Ergo nunc Lex Oppia necessaria est, quæ antea non erat.

Patrum) *Assumtionis* approbatio *ab Exemplo*.

Sicut ante) *Propositio* illustrata *a Simili*, & exemplis *Similibus* legum Liciniæ, & Cinciæ. Licinia lex de possessionibus lata est a Licinio Stolone, ne quis plus, quam quingenta jugera agri possidere posset. *Liv. l.* 6. *Dec.* 1. Cincia de muneribus lata a M. Cincio, ne qui ob caussam dicendam donum, munusve acciperet. *Cic.* 2. *de Orat.*

Itaque) *Complexio* argumenti.

Atque ego) Legem deinde Oppiam ipsis mulieribus commendat, quippe earum pudori faventem, tali tali ratione *a remotione Caussæ*:

Pudor in mulieribus oritur ex dispari cultu.
Sed lex Oppia tollit disparem cultum.
Ergo mulierum pudori lex Oppia favet, adeoque non abroganda.

Nam ut) *Propositio*.

Sic æquato) *Assumtionis* approbatio, nam sub prætextu legis quælibet seu parsimoniam; seu paupertatem occultare poterit.

Hanc inquit) Sed quia hujusmodi querelæ de lege Oppia mulierum erant locupletum, quæ sibi æquari pauperes nolebant, ita dissuadet *a Consequentibus*:

Abrogata lege Oppia, vos Patrimonium, mulieres pudorem amittent.
Sed hoc permittere non debetis.
Ergo neque illud.

Vultis) *Propositionem* amplificat, cum *Assumtio* sit per se manifesta.

Næ simul) Hoc est, ubi mulierem pudebit disparis cultus, cujus eam pudere non oporteret, eam non amplius pudebit amissæ pudicitiæ, cujus tamen pudere oportet; malus enim pudor optimum pudorem tollet. *Arist. c.* 6. *l.* 2. *tex.* 67.

Nolite) *Peroratio* habet sententiam de non abroganda lege, additque, multo majorem futurum in mulieribus luxum post abrogatam, quam ante latam legem

gem Oppiam, quod probat *a similium comparatione*.

Sententiæ.

Mulierem ne domi quidem quæ fiant in foro curare decet.

Impotens, & indomitum animal mulier est.

Mulieres simul ac pares viris esse cœperint, superiores extemplo erunt.

Nulla Lex satis commoda omnibus.

Unam tollendo legem cæteras omnes infirmamus.

Diversis duobus vitiis avaritia, & luxuria Civitates plerumque laborant.

Sicut ante morbos necesse est cognitos esse, quam remedia eorum; sic cupiditates prius natæ sunt, quam leges.

Pessimus pudor est vel parsimoniæ, vel paupertatis.

Hominem improbum non accusari tutius est, quam absolvi.

ORATIO CXXVIII.

L. Valerii Tribuni Plebis contra legem Oppiam.

Loci communes a *Caussis*, *a Comparatione*, *ab Effectis*, *ab Adjunctis*, *&* *Genere*.

Motus, *Lenitas*, *&* *Gratia*. Mores *viri justi & moderati*.

Tres itidem sunt partes, *Exordium*, *Contentio*, & *Peroratio*.

Si privati) *Exordium* sumitur *a Caussa* dicendi, tali pacto:

Si privati tantum contra Rogationem dixissent, neque ego Tribunus Rogationem suaderem.

Sed Cato Consul dissuasit.

Ergo etiam ego Tribunus suadere debeo.

Qui tamen) *Attentos* facit, & *dociles*, proponens methodum a Catone servatam, quam & ipse servaturus sit.

Cœtum, *&*) Antequam mulieres defendat, verborum atrocitatem in adversario modeste reprehendit, quem trucem proinde vocat Oratorem. Cæterum defensio ipsa ita se habet a *Caussis*.

Quæ Reip. bono sæpe apparuerunt in publico, possunt id etiam facere in caussa ad se pertinente,

Sed Mulieres sæpe apparuerunt in publico ipsius Reip. bono.

Ergo & in caussa, quæ ad eas pertinet, possunt idem

idem facere ſine reprehenſione.

Nam quid) *Aſſumtio* confirmata pluribus exemplis.

Diſſimiles) Objectio Catonis, cui ſatisfacit, concedens cauſſas eſſe diſſimiles, cum tamen nihil aliud iis exemplis contendat, quam non eſſe id novum in Urbe Roma; nam rationibus cauſſam veniendi in publicum probabit.

Cæterum) *Complexio*.

Tuas adverſus) Allegoria ducta a fontibus, ipſe enim Cato iis exemplis uſus fuerat arguens *a Diſſimili*, quæ argumento *a Simili* etiam Valerius uſurpabat.

Quid autem) Adhuc oſtendit non eſſe reprehendendas, quod in publicum venerint, & earum preces non eſſe rejiciendas probat *a Comparatione minorum*.

Magis vereri debemus ingenuas mulieres, quam ſervos.

Sed ſervorum preces non faſtidimus.

Ergo multo minus mulierum ingenuarum.

Totum argumentum uno Epicheremate continetur.

Venio nunc) Tranſit ad alteram *Orationis* partem, & Rogationem de abroganda lege Oppia ſuadet, præmiſſa Adverſarii methodo, quam & ipſe ſequitur.

Univerſam porro quæſtionem hoc *Syllogiſmo* complectitur, *a Genere*:

Si qua Lex abrogari poteſt, maxime lex Oppia abroganda eſt.

Sed aliquæ Leges abrogari poſſunt.

Ergo maxime Lex Oppia eſt abroganda.

Ego enim) *Aſſumtio* confirmatur *a Cauſſis*, allata diſtinctione legum, quarum aliæ in æternum latæ ſunt; aliæ ad tempus, mutabiles proinde, ut & tempora mutantur; idque illuſtrat *a Simili*.

Hæc cum ita) *Propoſitio* ex prædicta diviſione pendet, hoc modo:

Lex Oppia non eſt ex iis, quæ latæ ſunt in æternum, ſed ex iis, quæ ad tempus.

Ergo ſi qua Lex abrogari poteſt, illa eſt abroganda.

An metus) Prima pars, nam perpetuæ Leges vel erant natæ cum ipſa Urbe, vel a Decemviris conditæ; inter quas Oppia non erat.

Quis igitur) Secunda pars ita *a Cauſſa finali*:

Ea lex mortalis eſt, & ad tempus lata, quæ non ad coercendam luxuriam, ſed ad levandam ino-

inopiam lata est.

Talis est Lex Oppia. Ergo mortalis, & ad tempus lata.

Quis igitur) Primum *Assumtionis* membrum *a Contrariis*.

Hannibal) Alterum membrum illius *Assumtionis*, quod egregie amplificatur *ab Adjunctis* belli Punici.

Numero ex censu) Hoc est, quilibet nostrum servos ad remum dabat plures, seu pauciores, prout cujusque census major, vel minor erat, iisque in singulos annos stipendium privatim solvebat.

Tali eo) Confirmatur ejusdem *Assumtionis* prima pars *a Repugnantibus*:

Ibi nulla est luxuria, ubi summa est inopia, & fletus.

Quando lata est lex Oppia, in summa Matronæ erant inopia, & fletu.

Ergo nulla erat luxuria, quæ lege coercenda foret.

Cui non) *Complexio*, quæ sic se habet: Ergo si ob inopiam Civitatis lata est, ea sublata inopia, lex etiam abroganda est.

Nam si] Urget *Complexionem a Pari*:

Quæ innovata sunt eo tempore ob inopiam Civitatis, omnia finito bello in pristinum fuerunt restituta.

Sed & lex de cultu mulierum lata est ob inopiam Civitatis.

Ergo ea etiam abroganda.

Nam si) *Propositio*; nam *Assumtio* satis constat ex Antecedentibus.

Omnes alii) *Complexio*.

Purpura) Cum purpura, & aurum lege Oppia interdicerentur mulieribus, injuste utrumque iis adimi ostendit, & imprimis de Purpura sic *a Comparatione*:

Purpura magis decet mulieres, quam Viros.

Sed Viris permittitur.

Ergo non est neganda mulieribus.

Propositio infra probatur in responsione ad primum Catonis argumentum.

Purpura viri) *Assumtio*; Romani enim utebantur vestibus purpura prætextis in Magistratibus, in Sacerdotiis, & usque ad ætatis annum decimum sextum, & dicebantur Prætextati.

Fœminis) *Complexio*.

In veste stragula) Stragula vestis erat quidquid in-

ster-

sternebatur vel lecto, vel equo, vel alii rei, & purpurea esse poterat.

Sed in purpura) Probat idem de auro, *ab Effectis*:

Illud concedendum est mulieribus, ex quo parvum privatis detrimentum, sed magnum Reip. commodum contingit.

Sed ex aureis mulierum ornamentis parvum privatis incommodum, magnum Reip. commodum contingit. Ergo aurea ornamenta concedenda mulieribus.

In auro vero) Prima pars *Assumtionis*; & manus pretium, seu manupretium dicitur merces, quæ non pro materia, sed artis nomine datur Artifici.

Præsidium) *Assumtionis* altera pars, quam comprobat ab experientia; nam & bello Gallico, & Punico secundo matronæ ornamenta aurea in publicum contulerant, ut supra innuit.

Nullum) Sequitur responsio ad duo argumenta Catonis, quorum primum erat, tolli omnem mulierum æmulationem lege Oppia non abrogata; sic igitur Valerius.

Majorem Æmulationem cum Latinis fœminis, quam inter se Romanæ matronæ habent.

Sed ex lege Oppia nascitur Æmulatio Romanis cum Latinis matronis.

Ergo lex Oppia auget mulierum Æmulationem, non tollit.

Virorum) Justam autem illam esse Æmulationem ita defendit *a Comparatione*:

Infirmiores sunt mulierum animi, quam virorum.

Sed hic dispar cultus in Latinis viros offenderet:

Ergo multo magis mulieres.

Non Magistratus) Justam mulierum indignationem ob cultum sibi ereptum alia ratione ostendit *a Caussis*:

Quilibet juste dolet eripi sibi id, quod unum habet ornamentum.

Sed mulieres nullum aliud ornamentum habent præter munditias, & cultum.

Ergo juste dolent eum sibi etiam eripi lege Oppia.

Assumtio egregie amplificatur *ab Enumeratione*, & hinc probatur etiam ea *Propositio*, quam supra omissam notavi.

Scilicet) Alterum Catonis argumentum fuerat, mulieres impetrata abrogatione legis Oppiæ alia immodica petituras, cui respondet Valerius *a Caussis*:

Nun-

Nunquam suis salvis exuitur servitus muliebris.
Sed etiam abrogata lege Oppia unicuique mulieri sui salvi erunt.
Ergo etiam abrogata ea lege servitus muliebris manebit.

Et ipse) *Propositio*, quam per ironiam affert, confirmatur hic ex eo, quod & ipsæ mulieres detestantur suam exuere servitutem, suosque habere malunt Patres, & Viros, quam per legem Oppiam Dominos.

Invidiosis) In *Conclusione* rejicit per Ironiam attrocitatem verborum, qua usus fuerat Cato; & quo leniores in ferendis suffragiis Tribus faciat, infirmum sexum, & qui omnia pati debeat mulieres vocat. *Ex Arist. l.* 2. *c.* 3. *t.* 16.

Sententiæ.

Nulla lex abrogari debet, nisi quam aut usus coarguit, aut status aliquis Reip. inutilem fecit.
In navis administratione alia in secunda, alia in adversa tempestate usui sunt.
In aureis ornamentis præsidium est & ad publicos, & ad privatos usus.
Munditiæ, ornatus, cultus, hæc fœminarum insignia sunt.
Numquam salvis suis exuitur servitus muliebris.
Quo plus quis potest, eo moderatius imperio uti debet.

ORATIONIS CXXIX.
Catonis Consulis ad Milites

Argumentum.

Consul Cato adversus rebelles Hispanos castra moturus, milites excursionibus, levibusque præliis exercitos sic ad expeditionem inflammat.

Loci communes *ab Effectis*, & *a Comparatione*.
Motus, *Confidentia*. Mores *Egregii Ducis*.
Tres sunt partes, *Insinuatio*, *Contentio*, & *Conclusio*.

Tempus) *Insinuatio* sumitur a militum desiderio, & ab antea factis excursionibus; non enim difficile est cupientibus pugnam suadere, & qui sunt de gloria solliciti dedignantur prædari potius, quam pugnare.

Non agros) Primum argumentum est *ab Utili*:
Illud agendum, ex quo maxima præda dependet.
Sed victis hostibus, opulentæ Urbes prædæ erunt.
Ergo id agendum, ut hostes vincamus.

Patres nostri) Alterum *a Comparatione*, & *ab honesto*:

Tur-

Turpe est, nos armatos amittere, quod sine armis Patres nostri obtinuerunt.

Sed Hispaniam amisimus tot nostris exercitibus, & Ducibus munitam, quam Patres nostri sine armis primo bello Punico obtinuerant.

Ergo id nobis turpe est. *Arist. l. 2. c. 6. t. 65.*

Utramque *Assumtionis* partem eo magis urget, quod tunc Carthaginienses imperium haberent in Hispania, nunc in provincia nullus esset Carthaginiensis; simulque bene sperare jubet milites, *ex Arist. l. 2. c. 5.*

Hoc armis) *Concludit*, ut hæc tollatur ignominia, pugnandum esse summa cum virtute adversus rebelles, qui temeritate potius, quam constantia in bellis utuntur.

Sententiæ.

Fortes sunt, qui per injuriam erepta virtute, & armis recuperant.

Rebellantes temere magis, quam constanter bellum gerunt.

ORATIONIS CXXX.

T. Quintii in concilio Græcorum

Argumentum.

REddita Græciæ libertate, T. Quintius Proconsul Græcos consulit, velint ne bellum suscipi contra Nabin ob recuperandos Argos, necne; cum ipse tamen videatur sententiæ affirmanti subscribere.

Loci communes *a Caussis.*

Motus, *Misericordia*. Mores *viri candidi*, & *prudentis.*

Partes sunt tres, *Exordium*, *Contentio*, *& Conclusio.*

Bellum) *Exordium* caussas habet belli adversus Philippum, ubi Græcorum benevolentiam captat, ostendens, quanti fecerint Romani eorum injurias. *Arist. l. 2. c. 4. t. 26.*

Hodierna] Cum bellum Macedonicum dixerit susceptum communi consilio, hoc alterum contra Nabin Lacedæmonium ex sola Græcorum voluntate pendere vult, quos proinde sibi rursus facit *benevolos*. *Ex Arist. l. 2. c. 4. t. 25.*

Refero] *Proponit* caussas suscipiendi hujus belli, tam quoad Græcos, quam quoad Romanos; quoad Græcos quidem tali pacto.

Indigna res est, nobilissimam Græciæ Civitatem servire, cum reliquæ omnes libertatem recupe-

peraverint.

Ergo suscipiendum est contra Nabin bellum, ut & ipsa in libertatem vindicetur.

Romanos] Quoad Romanos autem sic:

Romani nunquam habebunt perfectam gloriam redditæ universæ Græciæ libertatis, nisi & Argi sint liberi.

Ergo & ipsos contingit hoc bellum pro Argis suscipere.

Videtur tamen Quintius negare id quicquam Romanos contingere, nimirum ut ostendat, caussam hanc proprie ad Græcos spectare.

Ceterum] *Conclusio* rem integram Græcis permittit, insertis tamen omnibus argumentis, quæ bellum suadere poterant.

Sententia.

Liberatæ Provinciæ gloriam unius Civitatis servitus nec plenam, nec integram esse sinit.

ORATIONIS CXXXI.

Aristheni de bello contra Nabin

Argumentum.

CUm Ætoli in concilio Græcorum bellum pro Argis sibi arrogarent, & Romanos excluderent, Aristhenus de bello Romanis deferendo ita censuit.

Loci communes *a Comparatione, & a caussis.*

Motus, *Odium*. Mores *viri ingenui, & constantis.*

Tota hæc Oratio uno Enthymemate continetur, *a Comparatione.*

Majus periculum tum Argis, tum reliquæ Græciæ imminet ab Ætolis, quam a Nabide, & Lacedæmoniis.

Ergo tum bellum contra Nabidem, tum tutela contra Ætolos deferenda Romanis.

Nec istuc] *Antecedens* quoad primam partem de Argis.

Mare] *Antecedentis* approbatio continet periculum imminens universæ Græciæ, a *comparatione Minorum*, tali pacto:

Imminet Græciæ periculum ab Ætolis, licet mari a nobis disjunctis.

Ergo multo magis, ubi Argos obtineant in media Græcia. *Arist. l.* 1. *c.* 12. *t.* 222.

Linguam] Secundo arguit *a caussis*:

Ab iis imminet maximum periculum, qui barbari, & immanes sunt. *l.* 2. *c.* 5. *t.* 41.

Tales sunt Ætoli.

Er-

Ergo ab iis maximum imminet Græciæ periculum.

Itaque] *Complexio* primi Enthymematis.

Sententiæ.

Sunt, qui ſpeciem hominum habeant, & moribus, ritibuſque efferatioribus ſint, quam rapaciſſimæ belluæ.

Tyrannis, & barbaris gentibus non fidendum.

ORATIONIS CXXXII.
Nabidis Tyranni ad T. Quintium
Argumentum.

CUm cœptum eſſet bellum contra Nabin Lacedæmonium, hic, impetrato colloquio a T. Quintio, injuſte ſe bello a Romanis peti ita queritur.

Loci communes *a Diſſimili, & ab Adjunctis.*

Motus, *Lenitas, & Gratia.* Mores *viri innocentis.*

Dividitur in tres partes, *Exordium, Contentionem, & Perorationem.*

Si ipſe) *Exordium* ſumitur a cauſſa dicendi, ut ſciat, quare ſibi pereundum ſit innocenti. *l.* 3. *c.* 14. *t.* 102.

Et hercule) Queritur ſibi injuſte bellum illatum, ſic a *Diſſimili:*

Si Carthaginienſes fœderum ruptores mihi arma moverent, tacerem.

Sed vos Romani eſtis, qui tueri fœdera conſueviſtis.

Ergo jure vobiſcum expoſtulo de bello mihi contra fœdus illato.

At enim) Purgat crimen occupatæ Civitatis Argivorum *ab Adjunctis* rei, & temporis, quod & Argos acceperit, ipſis Civibus eam tradentibus, & Philippo, non Romanis ademerit, & poſt occupatos Argos ſocietatem cum Romanis fecerit.

Cæterum) 2. purgat crimen Tyrannidis a teſtimonio Romanorum, ſimulque eos levitatis accuſat, quod Tyrannum vocent, quem antea Regem appellaverint.

Quod ad multitudinem) 3. Refellit id, quod objiciebant, ſervos a ſe fuiſſe libertate, Civitate, & Agris donatos.

Poſſum quidem) Se defendit *ab Adjunctis* temporis; fœdus enim inter ſe, & Romanos initum poſterius his erat.

Sed ſi nunc) Deinde *a diſſimili* utriuſque Civitatis inſtituto.

Apud Romanos hæc eſſent vituperanda, qui diverſos Civium Ordines admittunt.

Sed

Sed Spartæ Lycurgus omnes vult esse æquales.
Ergo hæc Spartæ reprehendenda non sunt.

Pluribus) In *Peroratione* duas rursus assignat caussas, cur prolixius non dicat, tum quia Lacedæmones breves in dicendo esse solent, tum quia non opus est plura addere, cum posteriori fœdere omnia ante facta satis defendi posse videantur, neque ipse postea quicquam mali egerit.

Sententiæ.

Quilibet scire cupit, priusquam pereat, cur periturus sit.
Ille injuriam non facit, qui Civibus vocantibus, ac tradentibus Urbem accipit.
Ubi æquatio fortunæ, ac dignitatis est, ibi etiam multi sunt, qui arma pro patria ferant.

ORATIONIS CXXXIII.
T. Quintii ad Nabin de justitia belli.
Loci communes *a Comparatione*, *ab Effectis*, & *a Caussis*.
Motus, *Ira*. & *Pudor*. Mores *viri gravis*.
Refellit argumenta, quibus se Nabis purgaverat.

Amicitia) Ad primum de fœdere icto cum Lacedæmoniis respondet hoc modo:

Nobis fœdus est cum regibus Spartæ legitimis, non cum Tyrannis.
Sed tu Tyrannus es.
Ergo nobis nullum tecum fœdus est.

Omittit autem disputationem de societate inita cum ipso Nabi, quia nihil habebat, quod responderet.

Nobis vero) Ad secundum de occupatis Argis sic *ab honesto*:

Qui liberatores Græciæ dici volunt, Argos, & Lacedæmonem servire pati non debent.
Sed nos liberatores universæ Græciæ dici volumus.
Ergo servire duas illas nobilissimas Civitates pati non debemus.

An ut ab Jaso) *Propositionis* approbatio *a Comparatione Minorum*.

At enim) Ad illud, quod cum Philippo Argivi consenserint, respondet *a caussis*.

Quod paucorum dolo, non publico actum est, non debet nocere civitati.
Sed paucorum culpa, non publico consilio & pro Philippo Argivi steterunt, & se deinde tibi dediderunt.

 Ex-

Ergo neutrum nocere debet Argivorum libertati.
Sicque & ea defensio tollitur, quasi sponte Argivi in Nabidis potestatem venerint.

Remittimus) Nos, inquit, ab hac te cura liberamus, ne velis pro nobis irasci Argivis; nos enim, si quid peccarunt, iis succensere debemus.

Tessalos) idem urget *a comparatione*:
Magis alii populi peccarunt, quam Argivi.
Sed iis etiam libertas data est.
Ergo multo magis dari debet Argivis.

Qui in sonte) *Propositionis* approbatio, quod Argivi publico consilio non adhæserint Philippo, ut supra habetur.

Servorum) Ad tertium de Servis manumissis, & divisis agris respondet, & hæc magna esse scelera, & eum pejora fecisse; hinc objicit cædem Argivorum per Pythagoram factam, & eorum, quos in custodia se habiturum pollicitus fuerat captis Argis, idque ex eo amplificat, quod ipse Quintius fere præsens esset. *Arist. l. 2. c. 2. t. 10.*

At enim) Ultionem horum omnium ad Romanos spectare ait, qui, ut liberarent Græciam, mare trajecerunt.

Vos tamen) Ad ultimum de non violata a Nabide societate, quam cum Romanis habebat, sic *ab Effectis*:
Ille amicitiam violat, qui socios amici lædit, & cum illius hostibus se jungit.
Tu utrumque fecisti.
Ergo amicitiam violasti, quam cum Romanis habebas.

Nam &) *Assumtionis* approbatio quoad primam partem.

Et cum Philippo) *Assumtionis* secunda pars confirmata ab enumeratione eorum, quæ Nabis patraverat pro Philippo contra Romanos.

Proinde) *Conclusio*, qua hortatur, ut omissa Oratione, quæ virum popularem, & justitiæ studiosum deceat, ea potius dicat, quæ Tyranno conveniant.

Sententiæ.

Qui pro libertate bellum gerit, cum Tyranno instituere amicitiam non debet.
Ii cives venia digni sunt, qui non publico consilio peccarunt.
Amicitia violatur, si socios amici pro hostibus habeas, si cum hostibus te conjungas.

Po-

ORATIONIS CXXXIV.

T. Quintii de obsidione Lacedæmonis

Argumentum.

T. Quintius, ut a consilio obsidendæ Lacedæmonis averteret Socios, ita rei difficultatem exposuit.

Loci communes *a Caussis*, & *ab adjunctis*.

Motus, *Timor*. Mores *Ducis de futuro soliciti*.

Bene) Fingit, se quoque velle in gratiam Sociorum Lacedæmonis obsidionem aggredi.

Cæterum) Prima difficultas à necessitate hybernandi circa mænia Lacedæmonis, quam probat *a caussis*, quia lentæ esse solent urbium oppugnationes.

Quæ mora) Secunda a labore, ac periculo, quod tam ardua obsidio importabat.

Nunc impensa) Tertia à pecuniæ, & commeatuum inopia, hortaturque singulos, ut obsidio sine periculo suscipiatur, scribere ad suas Civitates, an necessaria suppeditare possint.

Auxiliorum) Urget hanc difficultatem *ab Adjunctis*, quod multitudo maxima militum, & auxiliorum sibi sit, quod nihil in agro hostium supersit, quod hyems accedat.

Sententiæ.

Oppugnatio urbium lenta res est, & obsidentibus prius sæpe, quam obsessis tædium affert.

Quo plures sunt in exercitu, pluribus rebus egent.

Hyems difficilis est ad comportandum ex longinquo.

ORATIONIS CXXXV.

T. Quintii in Concilio Græcorum

Argumentum.

CUm haberetur Corinthi Græcorum Concilium, Quintius, antequam in Italiam proficisceretur, ita de rebus à se gestis disseruit.

Loci communes *a Caussis*, & *ab Effectis*.

Motus, *Amor*. Mores *Viri boni*, & *amici*.

Quatuor autem præstat: Excusat, Coarguit, Admonet, Petit.

Si sine) Excusatio de tyranno Nabide relicto, quam sic pertractat *a caussis*: Utilius est relinqui Tyrannum, quam cum Tyranno nobilissimam Civitatem simul perire. *Arist. l. 1. c. 6. t. 73.*

Sed simul cum Nabide etiam Lacedæmon periisset.
Ergo utilius fuit eum relinqui.

Debilitatum] *Propositionem* confirmat ex eo, quod Tyrannus relictus sit, qui cæteris nocere nequeat.

Proficisci] Objurgatio in Ætolos, qui Romanos accusaverant perfidiæ, & ambitionis. eosque sic coarguit, *ab Effectis*:

Qui exercitum ex Græcia, præsidia ex Urbibus deducit, falso accusatur perfidiæ, & ambitionis.
Sed utrumque ego statim præstabo.
Ergo falso me, & Romanos perfidiæ, & ambitionis Ætoli accusarunt.

Distulerint] Hoc est, vanis sermonibus vulgaverint.

Reliquas] Admonitio, eaque quadruplex. 1. ut, quod ad Romanos spectat, majorem in posterum factis, quam dictis fidem habeant.

Libertate] 2. ut libertate moderate utantur.

Concordiæ] 3. ut concordiam inter se tueantur, allato argumento ex illius commodis, & ab incommodis, quæ ex discordia oriuntur.

Alienis] 4. ut libertatem fide, & armis Romanorum partam ipsi per se custodirent, quo se dignos accepto beneficio præberent.

Silentio] Petit, ut sibi gratis reddantur Cives Romani, qui venundati vel ab Hannibale vel a Philippo apud eos erant in servitute.

Sententiæ.

Vehementioribus, quam quæ pati possit remediis Civitas succumbit.
Ex factis, non ex dictis amici pensandi sunt.
Libertate modice utendum.
Adversus consentientes nullus Rex satis validus est: discordia, & seditio omnia opportuna insidiantibus faciunt.
Solatium est, cum Beneficium bene ponitur.

Ex Dec. 4. Lib. 5.

ORATIONIS CXXXVI.

Minionis ad Legatos Romanos

Argumentum.

ROmanis Legatis postulantibus restitui libertatem Græcorum Civitatibus, pro Antiocho princeps amicorum Minio ita respondet.

Le-

Loci communes *a Comparatione*.

Motus, *Ira*, & *Pudor*. Mores *Viri candidi*.

Tres sunt partes, *Exordium*, *Contentio*, & *Conclusio*.

Specioso) Hic est *Syllogismus* totius Orationis.

Romani, quod ipsi faciunt, in aliis reprehendere non debent.

Sed Romani armis superatas plures ex Græcis civitatibus tenent.

Ergo reprehendere non debent Antiochum, quod idem faciat.

Specioso] *Propositio*, quam loco *Exordii* usurpat.

Qui enim] *Assumtio*.

Eamdem] *Complexio*.

Itaque] *Conclusio*, qua Romanos insimulat, quasi justitiam nihili faciant, & ex ambitione belli caussam utcumque quærant.

Sententiæ.

Bellis ut plurimum speciosus titulus prætenditur.

Quod alteri juris statuis, eo ipse utere.

Qui ex æquo disceptari non vult, belli caussam quærit.

O R A T. CXXXVII.

Legati Romani ad Minionem

Loci communes *a Dissimili*, & *a Comparatione*.

Motus, *Indignatio*. Mores *Viri prudentis*.

Partes, ut in superiori, in hac etiam tres sunt.

Fecit] *Exordium*, quo dictorum impudentiam coarguit, laudans Antiochum, qui hac de caussa præsens eadem illa dicere non ausus fuerit.

Quid enim] *Contentio* hujusmodi *Syllogismum* habet *a Dissimili*:

Romani idcirco Græcas aliquot Civitates jure obtinent, quia tot annorum nunquam intermisso spatio eas tenuerunt.

Sed Smyrnam, & cæteras Antiochus paucis abhinc annis occupavit.

Ergo non eas jure obtinet.

Ab Rheginis] *Propositio*.

Potesne] *Assumtio*.

Et non alias] *Assumtionis* approbatio.

Nam si] *Prolepsis*, quasi idcirco in eas jus habeat Antiochus, quia & Alexandro Macedoni, & Seleuco successori antea servierant, cui respondet *a Pari*.

Non minus Philippus, ejusque filii repetendi a-

missa jus habent, quam Antiochus majorum suorum possessiones.

Sed nullum jus Philippi filii habent. Ergo nec Antiochus.

Sed quid ego] *Conclusio*, qua rem integram disputandam permittit legatis Civitatum, qui ad eam rem illuc convenerant.

Sententiæ.

Facit verecunde, qui malam caussam alium quemlibet, quam se agere mavult.

Valere debet jus, perpetuo tenore semper usurpatum, ac nunquam intermissum.

ORATIONIS CXXXVIII.

Hannibalis ad Antiochum de sua fide

Argumentum.

HAnnibal suspectus Antiocho propter colloquia cum Villio Legato Romano habita, ita se apud Regem purgat.

Loci communes *ab Effectis, & a Caussis.*

Motus, *Confidentia.* Mores *Viri Constantis.*

Partes sunt tres, *Exordium*, *Contentio*, & *Conclusio*.

Pater Amilcar] Orationis *Syllogismus* talis est.

Immerito illius tibi fides suspecta est, qui odium alit acerrimum in Romanos. *Arist. c.* 4. *l.* 2. *t.* 24.

Talis ego sum.

Ergo immerito mea tibi fides suspecta est.

Pater] Approbatio prima *Assumtionis a caussis*, & supplet vicem *Exordii*.

Sub hoc] Altera appobatio *ab Effectis*; cumque dicat se xxx. & sex annos militasse, patet undecim annorum natum missum in Hispaniam ad Asdrubalem, ut in principio Dec. 3. Livius.

Itaque] *Complexio*, & omnia in se crimina vera esse posse ait potius, quam benevolentiam in Romanos.

Odi] Post duplicem approbationem ponitur ipsa *Assumtio*, quam præterea confirmat patris Amilcaris, & Deorum testimonio.

Sententiæ.

Multis libet apud Principem alienis criminibus crescere.

ORATIONIS CXXXIX.

Q. Quintii in concilio Achæorum contra Ætolos

Argumentum.

CUm Legatus Antiochi, & Ætoli ſuas vires apud Achæos extollerent, ut ſecum in ſocietatem eos contra Romanos pertraherent, ita reſpondet Quintius.

Loci communes *ab Effectis*, *a Simili*, & *a Cauſſis.*

Motus, *contemtus*. Mores *Viri gravis*.

Partes ſunt tres, *Exordium*, *Contentio*, & *Concluſio*.

Coram quibus] In *Exordio* arguit dicta ab Archidamo, quippe qui non Achæis, ſed Antiochi Legatis verba fecerit, quod probat ſic:

Qui falſa de ſe prædicat, non ſtudet ſe commendare iis, qui eum optime norunt.

Sed vos optime noſtis Ætolos talia de ſe falſa prædicantes.

Ergo non Vobis illi ſe commendare, ſed Legatis Antiochi voluerunt.

Achæos] *Aſſumtio.*

Itaque] *Complexio.*

Quod ſi quis] In *contentione* infirmat ſocietatem Antiochum inter, & Ætolos, ut ab ea deterreat Achæos, ſic *a cauſſis*:

Ea ſocietas infirma eſt, quæ nullis innititur fundamentis.

Talis eſt ſocietas inita inter Ætolos, & Antiochum.

Ergo infirma eſt.

Mentiendo] Explicat *Aſſumtionem* exponens, quæ ſibi falſa mutuo polliciti eſſent Antiochus, & Ætoli.

Eſt autem] Cum autem eorum, quæ jactaſſet Archidamus, Achæi ipſi ſatis per ſe teſtes eſſent, Quintius & promiſſa Regis falſa eſſe oſtendit *a ſimili*: ſicut in cœna multa varietas, & ſpecies ferinæ carnis fieri ſolet condimentis ex manſueto ſue; ſic inauditis exterarum gentium nominibus Syros mancipia Regis verbis extolli, ibi ad delectationem, hic ad terrorem.

Et utinam] Idem probat etiam *ab Effectis*:

Si tanta foret Regis potentia, non veniſſet in Græciam ſine exercitu, ſine commeatu, ſine pecunia.

His omnibus deſtitutus venit in Græciam Antiochus.

Ergo falſa ſunt, quæ de ſua maxima potentia prædicat.

 Aſſum-

Assumtio egregie amplificatur per figuram hypotyposin.

Male] *Complexio* argumenti, cui & alteram subdit: non debere Achæos permittere, se quoque decipi, ut Ætoli, & Antiochus decepti sunt.

Nam quod] In *Conclusione* affirmat, omnium maxime periculosum Achæis esse, si bello abstineant, fore enim victoris certam prædam.

Sententiæ.

Qui feroces apparent in conciliis, & concionibus, tales in acie non sunt.

Condimentis varietas ciborum multa, & species ferinæ carnis fit ex mansueto sue.

Barbari haud paullo mancipiorum melius propter servilia ingenia, quam militum genus.

Ex Dec. 4. Lib. 6.

ORATIONIS CXL.

Hannibalis ad Regem Antiochum de bello

Argumentum.

CUm ab Antiocho consultatio haberetur de Thessalis in societatem accersendis, Hannibal interrogatus sententiam ita de universo bello disseruit.

Loci communes *a caussis, & a comparatione.*

Motus, *Confidentia.* Mores *Viri prudentis.*

Dividitur in tres partes, *Exordium, Contentionem, & Perorationem.*

Si ex quo) *Exordium* habet constantiam consilii ad auctoritatem conciliandam.

Ante enim) In *contentione* duo probat, accersendum esse in societatem belli Philippum, & in Italiam arma esse movenda. De Philippo ita disputat *a caussis.*

Ii Socii sunt accersendi, qui fideles, & utiles tibi sint. *Arist. c. 5. l. 2. t. 56.*

Cæteri inconstantes, & infirmi, Philippus & constans, & utilis Socius tibi erit.

Ergo Philippus maxime in societatem belli est accersendus.

Nam quod) *Assumtionis* prima pars.

Quanto igitur) Altera pars *Assumtionis*, & utilem futurum ad victoriam consequendam sic ostendit a *Comparatione:*

Philippus unus superiori bello tum Romanis, tum Ætolis restitit.

Ergo si non solum Ætolos, sed & Philippum socios habeas, non poterunt Romani resistere.

Ut meam) *Complexionem* urget ab exemplis sui ipsius, & Pyrrhi.

Quæ igitur) Exponit, quare confidat fore, ut Philippus non recuset societatem inire cum Antiocho, quomodo sit invitandus, quid agendum, si abnuat.

De Philippo) Transit ad alteram partem, & disserit de ratione belli gerendi; quo modo scilicet antea oportuerit, & quo nunc geri debeat.

Hæc suadeo.) *Peroratio.*

Sententiæ.

Qui viribus inferiores sunt, quem metum in conciliis habent, eodem ad impetrandam veniam utuntur.

Is constans in bello est, cui, si semel in caussam descenderit, nihil integri futurum sit.

Communis utilitas societatis maximum vinculum est.

Ille peritus est belli, qui bellare bonis, malisque suis didicit.

ORATIONIS CXLI.

Acilii Consulis ad Milites.

Argumentum.

CUm Antiochus metu Romanorum intra saltum Thermopylarum se recepisset, invitatis etiam Ætolis ad cacumina montium defendenda, Acilius milites ad pugnam inflammat, rei facilitate, & magnitudine præmiorum proposita.

Loci communes a *Comparatione*, a *Caussis*, & a *Consequentibus*.

Motus, *Confidentia*. Mores *Viri fortis*.

Facilitas ostenditur a *Comparatione Majorum*.

Difficilius fuit saltum superare Macedonico bello, quam hunc.

Sed vos ipsi tunc superastis saltum ad Aoum flumen in Epiro.

Ergo hunc multo facilius superabitis.

Plerosque) *Assumtio*, & *omnium ordinum* dicit, hoc est Peditum, Equitum, Ducum, qui contra Macedones ad Aoum pugnaverant.

Macedonico] *Propositio.*

Quippe] *Propositionis* approbatio per quadruplicem *Comparationem*, saltuum, munitionum, militum, Ducum.

 Sum-

Summa virium] Sic deinde argumentatur à *Caussis*.

Ab eo non est timendum, qui maxime timet, & sociis infidis confidit. *Arist. c. 5. l. 2. t. 41.*

Sed Antiochus maxime timet, & Ætoli, quibus fidit, infideles sunt.

Ergo nihil nobis est ab Antiocho timendum.

Summa] *Assumtionis* secunda pars, quam confirmat *ab Effectis*.

Rex ipse] Prima pars *Assumtionis*, itidem *ab Effectis*, quam præterea urget *a Comparatione* Spartanorum, qui contra Xersem pugnaturi non intra saltum, ut Antiochus, sed ante fauces constiterant.

Quod quantum] Eumdem scilicet timorem ostenderunt recipientes se intra saltum, ac si muris alicujus Urbis inclusissent.

Illud] A præmiis victoriam consequentibus sic milites inflammat.

Ad eam victoriam aspirare debetis, cujus præmia sunt Græciæ libertas, maxima præda, & terrarum imperium.

Sed hæc omnia consequentur victoriam, quam ex Antiocho reportabitis.

Ergo ad eam aspirare totis viribus debetis.

In hæc] *Complexio* Argumenti.

Sententiæ.

Dux ille ignavus est, qui novus maritus, velut saginatus nuptialibus cœnis, ad pugnam procedit.

Ingratis, & vanis sociis non est fidendum.

ORATIONIS CXLII.

T. Quintii de Zacyntho in concilio Achæorum

Argumentum.

Cum disceptatio de Insula Zacyntho, quam Achæi occupaverant, Quintii arbitrio permissa esset, ita ille insulam Romanis adjudicavit.

Loci communes *a caussis, & a simili*.

Motus, *Amor*. Mores *viri justi, & prudentis*.

Argumentum Orationis tale est *a causa finali*:

Si utilis esset Achæis possessio Zacynthi, eam illis adjudicarem.

Sed non est utilis.

Ergo nec possum adjudicare.

Si utilem) *Propositio*. *Auctor essem*, inquit, id nimirum suaderem Senatui populoque Romano.

Ca-

Cæterum) *Assumtionis* approbatio *a Simili*.

ORATIONIS CXLIII.
T. Quintii ad Consulem pro Ætolis
Argumentum.

HOrtatur Quintius Atilium Consulem, ne Urbem Ætolorum Naupactum, quam vi summa obsidebat, evertat, sed petentibus veniam det.

Loci communes *a caussis*.

Motus, *Timor*, & *Æmulatio*. Mores *viri de Rep. soliciti*.

Tota admonitio hoc uno *Syllogismo* continetur *a caussis*:

Id tibi curæ esse debet, quod e Rep. nostra est.
Sed e Rep. nostra est hanc obsidionem solvere.
Ergo id maxime facere debes.

Utrum] *Assumtio*.

Ecquid] *Assumtionis* approbatio: amplificans enim res a Philippo gestas æmulationem, & timorem movet, ex *Arist. l.* 2. *c.* 11. *t.* 116. *&c.* 5: ejusdem *lib. t.* 41.

Sententia.

Non tam interest Reip. hostis imbecillioris vires, & opes minui, quam suspectum, eumque potentem socium non supra modum crescere.

ORATIONIS CXLIV.
T. Quintii ad supplices Ætolos
Argumentum.

CUm in urbe Naupacto obsidione pressi impensius orassent Quintium, ut gentis suæ misererertur, hac oratione eis Quintius respondet.

Motus, *Amor*. Mores *viri clementis*.

Fortuna] Eos coarguit, quod ipsi sibi caussa fuerint tot malorum, simulque se & moderatum, & prudentem exhibet.

Ego tamen] Testatus egregiam suam in omnes Græcos voluntatem, jubet Oratores mittere, seque iis offert apud Consulem deprecatorem.

Sententiæ.

Fortuna delinquentium facit, ut vir sapiens iræ, & orationi temperet.

Vir bonus ne ingratis quidem benefacere absistit.

Ex Dec. 4. Lib. 7.

ORATIONIS CXLV.

Eumenis in Concilio de Pace

Argumentum.

CUm Æmilio Prætori, & Rhodiis videretur non abnuenda pax Antiocho petenti, eam Eumenes tali oratione dissuasit.

Loci communes *ab adjunctis*, & *ab Effectis*.

Motus, *Pudor*, *&* *Metus*. Mores *viri Constantis*.

Dissuadens igitur hoc imprimis utitur argumento:

Eam pacem rejicere debemus, quæ neque est honesta, neque certa.

Pax cum Antiocho neque honesta nobis est, neque certa.

Eam igitur rejicere debemus.

Eumenes] *Assumtio*.

Qui enim] *Assumtionis* approbatio *ab adjunctis* quoad utramque partem.

Quæro] Inde aliam ducit rationem *ab Effectis*.

Ea Pax rejicienda est, quæ maximum nobis parit incommodum.

Sed hæc pax maximo nobis incommodo futura est.

Ergo rejicienda.

Probat *Assumtionem*, quia cum necesse sit etiam pace composita adhuc in Asia manere, socios exhaurient præbendis commeatibus; si vero pacem Consul abnuat, opus erit rursus reparare bellum, quod nunc facili negotio confici possit.

Sententiæ.

Nulla est ea Pax, quæ rei exitum imponere non potest.

Ratum non est, quod sine auctoritate Senatus, sine jussu Populi peragitur.

ORATIONIS CXLVI.

P. Scipionis ad Legatum Antiochi

Argumentum.

P. Scipio fratris Legatus promittenti Legato Antiochi pro pace impetranda magnum auri pondus, & regni societatem ita respondet.

Loci communes *a Dissimili*.

Motus, *Timor*. Mores *Viri humani*, *&* *prudentis*.

Partes sunt tres, *Exordium*, *Contentio*, & *Conclusio*.

Quod Romanos] In *Exordio* castigat petulantiam Lega-

ga-

gati, tum quia Romanos auro corrumpi posse speraverat, tum quia victis dari æquam pacem petebat.

Lysimachia] Ad utrumque respondet in *Contentione*; & imprimis quoad conditiones pacis tali ratione *a Dissimili*.

Si par nobis bello esset Antiochus, jure æquas peteret belli conditiones.
Sed non est.
Ergo non debet a nobis æquam pacem petere.

Lysimachia] *Propositio*.

Concesso] *Assumtio cum Complexione*.

Ego] Quoad munera, ait se filium suum donum ab Antiocho accepturum, alia nequaquam, & privatam gratiam inde promittit, publice nihil.

Quod in præsentia] *Conclusio*, qua hortatur, ut quamlibet potius pacem accipiat, quam rem armis rursus permittat.

Sententiæ.

Alios noscere non potest, qui suam fortunam ignorat.
Nulla est disceptatio ex æquo, ubi imperium victis patiendum fit.
Privata gratia, non publica pro privato beneficio debetur.

ORATIO CXLVII.

Zeusis Legati Antiochi pacem a Romanis petentis.

Loci communes *a Comparatione*.

Motus, *Lenitas*. Mores *viri supplicis*.

Non tam) Ad quaslibet pacis conditiones accipiendas se paratum ostendit, ut eo magis sibi Romanos placet; & ut magis ad lenitatem inclinet, tali utitur Syllogismo a *Comparatione*.

Romani victores Regibus, Populisque victis parcere solent. *Arist. l. 2. c. 3. t. 16.*
Sed hæc est maxima omnium victoriarum.
Ergo victo Antiocho maxime placati esse debent.

Maximo) *Propositio*.

Quanto) *Assumtio* cum *Complexione*.

Positis jam) *Complexionem* urget, quod cum jam nulli sint hostes, quippe domini generis humani, parcere suis debebant.

ORATIO CXLVIII.

P. Scipionis conditiones pacis recensentis

Loci communes *ab Effectis*, & *a Comparatione*.

Mo-

Motus, *Timor*. Mores *viri in victoria moderati*.

Duo præstat, Romanorum moderationem commendat, & conditiones pacis affert.

Romani). Magna igitur, & eadem tam in adversis, quam in secundis rebus usos esse Romanos ait animi moderatione, quod probat *ab Effectis*: nam & Hannibali victori non cesserant, & victo pepercerant, ipsi vero Antiocho jam victo eamdem pacem dabant, quam obtulerant, priusquam vinceretur.

Europa) Pacis conditiones præscribit.

In deteriore) Minatur pejora, nisi hæc accipiat, usus tali argumento a *Comparatione*: Iniquas pacis conditiones habet Antiochus, quia sero pacem fecit. Ergo iniquiores habebit, si serius faciat.

Si nunc) Id autem confirmat, quia Romani, qui maximam Regis potentiam deprimere potuerunt, multo facilius fractam jam, & debilitatam omnino tollent.

Sententiæ.

Sapientum virorum animos neque secundæ res efferunt, neque adversæ minuunt.

In deteriore sua fortuna plerumque pacem facit, qui serius facit.

Regum majestas difficilius a summo fastigio ad medium detrahitur, quam a mediis ad ima præcipitatur.

ORATIONIS CXLIX.

Eumenis in Senatu Romano.

Argumentum.

PAce cum Antiocho composita, Eumenes sua in Pop. Romanum merita apud Patres recenset, petitque præmia, contradicentibus Rhodiis.

Loci communes *a Caussis*, *ab Enumeratione*, *a Comparatione*.

Motus, *Gratia*. Mores *viri modesti*, *& benemeriti*.

Tres sunt partes, *Exordium*, *contentio*, *& Peroratio*.

Perseverassem) Sumitur *Exordium* a caussa dicendi, quæ talis est.

Necesse est, ut vel ante, vel post Rhodios dicam.

Sed difficilior erit oratio mea, si dicam post Rhodios.

Ergo debui ante eos verba facere.

Perseverassem) *Propositio*.

Quæ quidem) *Assumtio*, & ejus approbatio; difficile enim futurum erat respondere Rhodiis, qui liberta-

tem

tem Græcis Civitatibus petituri videbantur, neque inimico in me animo, neque ex privata aliqua utilitate.

Quo impetrato) Ostendit igitur *ab honesto*, antequam de se ipse loquatur, non esse admittenda Rhodiorum postulata, tali ratione:

Non debetis ex Sociis vestris alios nimium deprimere, alios nimium extollere.
Sed admittentes Rhodiorum postulata eos nimium extollitis, me nimium deprimitis.
Ergo eorum postulata admittere non debetis.

Quo impetrato) *Assumtionis* approbatio quod utramque partem.

Hæc vos) *Propositio*; eamque magis urget, quod sic melior futura esset conditio Civitatum, quæ contra Romanos bellaverant, quam Eumenis socii Regis.

Quod ad me) *In Contentione* suam modestiam præfatus, qui tria maxime faceret amicitiam, & benevolentiam cum Romanis, & honorem, qui sibi ab iis haberetur, *ex Arist. l. 2. c. 4. t. 23.* ostendit se de Romana Rep. optime meritum, recensens quæcumque ipse, & Pater suus pro Romanis fecerant.

Hanc ego) Merita Patris amplificat *ab Adjunctis* temporis, constantiæ, & mortis. *Arist. l. 2. c. 7. t. 81.*

Hujus ego) Sui ipsius merita, eaque amplificat a commodis, quæ recusaverat ab Antiocho oblata, ab incommodis, quæ passus fuerat, a promtitudine, qua Romanis Imperatoribus semper paruerat. *Ex eodem loco citato Arist.*

Non sum hoc) Hæc est *Complexio* argumenti *a partium Enumeratione*: affirmat enim, quod negare per modestiam videtur.

Massanissa) Sua deinde extollit merita *a Comparatione minorum*:

Multo majori dignus est præmio, qui voluntate semper Vobis fuit socius, quam qui ex hoste factus est necessitate socius.
Sed Massanissa ex hoste factus vobis necessitate socius, tamen multa obtinuit.
Ergo mihi, qui Patris exemplo semper Vobis voluntate fui socius, multo majora debentur.

Massanissa) *Assumtionis* approbatio.

Quo tandem) *Complexio*.

Quid ergo) *Peroratio* habet Regis postulata, & refutat, quod deinde Rhodii petituri erant; magis enim conveniens esse videbatur benemeritis sociis consu-

falere, quam Civitatibus hostium.

Sententiæ.

Moderati ii sunt, qui non solum nihil, quod contra alios sit, sed ne quod ad ipsos quidem pertinet, petunt.

Satius est cedere aliquando intra fines sui juris, quam nimis pertinaciter tendere in eo obtinendo.

Æquius est sociis benemeritis, quam hostibus consuli.

ORATIO CL.

Rhodiorum in Senatu contra Eumenis postulata.

Loci communes ab *Antecedentibus*, a *Caussis*, a *Comparatione*, a *Dissimili*, & *Simili*.

Motus, *Amor*, & *Lenitas*. Mores *hominum libertatem amantium*.

Dividitur in tres partes, *Exordium*, *Contentionem*, & *Perorationem*.

Nihil nobis) In *Exordio* invitos se dicunt cum Eumene hospite disceptare, caussam autem diversæ hujus voluntatis eam esse, quod ipse Rex omnia imperio subjecta, Rhodii libera Civitas libertatem omnibus esse vellent, utrumque ad conciliandam benevolentiam, ex *Arist. l. 2. c. 4. t. 23.*

Utcumque) Cæterum minime perplexam futuram deliberationem maxime se confidere ostendunt, hoc argumento.

Perplexa esset deliberatio, si non alia præmia dari Eumeni possent.

Sed alia multa sunt, quæ obtinere a Vobis potest, præter Civitates Græcorum.

Ergo minime perplexa hæc Vobis deliberatio futura est.

Sicque refelluntur rationes omnes Eumenis, ex suis, Patrisque meritis petitæ.

Nam si) *Propositio*, & ejus approbatio.

Sed ab hac) *Assumtio*, & recensentur omnes Provinciæ, quas pro liberis Civitatibus Romani dare poterant Eumeni.

Licet ergo) *Complexio*.

Et meminisse] *Complexioni* superioris Argumenti aliud annectitur sumtum *ab Antecedentibus*, & est hujusmodi:

Quod victo Philippo fecistis, idem victo Antiocho facere debetis.

Sed

Sed victo Philippo omnes Civitates liberas esse voluistis.

Ergo & victo Antiocho Græcorum Civitates vindicare in libertatem debetis

Quem titulum) Approbatio quædam esse videtur *Propositionis*, quoad *Comparationem Parium*, sed & alia ratione confirmatur a *Caussis*.

Post victoriam tueri debetis, quod bello quæsivistis.

Sed utroque bello gloriam Vobis, & libertatem Græcis Civitatibus parastis.

Ergo victo Antiocho æque, ac victo Philippo libertatem Græcorum tueri debetis, adeoque & gloriam a Vobis partam.

Alia enim) *Assumtionis* prima pars illustrata *a Dissimilibus*.

Quæ parare) *Propositionis* quædam expositio: non minus laborandum Romanis est, ut tueantur post victoriam, quæ bello pararunt.

Gentis) Altera *Assumtionis* pars.

Hoc patrocinium) *Complexio*.

Non quæ) Occurrit *Prolepsi*, quasi Græcorum Coloniæ in Asia revera Græcæ urbes non sint, quod negat sumto argumento a *Caussis*:

Græcæ Civitates sunt, quæ Græcorum artibus, & virtutibus delectantur.

Sed Coloniæ Græcorum in Asia Græcas artes, ac virtutes colunt.

Ergo sunt Græcæ Urbes æque, ac eæ quæ sunt in Europa.

Certare) *Assumtio*, Rhodii quoque erant in Asia, & Coloni Græcorum.

Adistis) *Assumtionis* approbatio a testimonio Romanorum.

Massilienses) Idem confirmat *a Comparatione* Massiliensium:

Si qua Colonia Græcorum mutasset mores, maxime Massilienses inter tot barbaras Gentes constituti.

Sed & hi non mutarunt.

Ergo multo minus Coloniæ in Asia existentes.

Massiliam ædificarunt Phocenses Asiatici, teste Ammiano.

Terminus est] Tandem arguit *a Simili*:

Romani tales sunt in ultimis terrarum partibus æque, ac Romæ.

Sed Græci Romanorum animos gerunt.
Ergo æque sunt Græci in Asia, ac in Europa.

Terminus] *Propositio*.

Barbari] *Assumtionis* approbatio *a Dissimili*.

Græci] Ipsa *Assumtio*, habent scilicet Græci Romanorum animos pro tuenda libertate, non fortunam, ut aliorum etiam imperium suis viribus amplectantur.

At enim] *Confutat* id, quod Eumenes dixerat, non esse relinquendam libertatem Græcis Civitatibus, quia contra Romanos arma tulerunt: sic a *Comparatione Majorum*: Inter alias Carthago ipsa contra vos toties arma tulit.

Sed tum cæteris, tum etiam Carthagini libertatem reliquistis.
Ergo multo magis Græcis Asiæ Urbibus.

Huic vestro] *Complexio*.

Rhodi] *Peroratio*, qua modeste attingit commemorationem rerum omnium a Rhodiis pro Romana Rep. gestarum, & gloriam innuit, quæ ex data Græcis omnibus libertate Romanis consecutura est.

Sententiæ.

Reges, & liberas Civitates natura ipsa, quæ potentissima est, disjungit.

Illa perfecta victoria, quæ gloriosa pariter, & dives est.

Alia aliis & honesta, & probabilis armorum caussa est.

Quæ parare, & quærere arduum fuit, tueri sæpe est difficilius.

Terra mutata non mutat genus, & mores.

Mores, leges, & ingenium sincerum, atque integrum a contagione accolarum servare difficile est.

Ex Dec. 4. Lib. 8.

ORATIONIS CLI.

Manlii consulis ad Milites

Argumentum.

MAnlius Consul ducturus in Gallogræcos exercitum, qui Antiochum armis juverant, ita milites hortatur, ne Gallorum nomen inane timeant.

Loci communes *ab Antecedentibus*, *a Comparatione*, *a Caussis*.

Motus, *Contemtus*. Mores *magnanimi Ducis*.

Tres

Tres sunt partes, *Exordium*, *Contentio*, & *Conclusio*.

Non me] *Prolepsis* est in *Exordio* de Gallorum virtute, & caussæ efferuntur, cur eam sibi inclytam famam apud minime feroces Asiæ gentes paraverunt, omnia in contemtum, ex *Arist. l.* 2. *c.* 11. *t.* 117.

Sed hæc] In *Contentione* respondet *Prolepsi*, non esse timendos Romanis Gallos, qui Asiæ populis terrori sint, idque probat multis argumentis.

Semel] 1. *ab Antecedentibus*.

Timere non debemus Gentem, quam toties vicimus, *Arist. l.* 2. *c.* 5. *t.* 41.

Sed Gallos per ducentos jam annos toties vicimus.

Ergo eos nunc timere non debemus.

Jam usu] 2. *a Caussis*.

Ii minime terrori esse debent, qui primo impetu feroces, statim deinde propter mollitiem corporum demittunt animos.

Tales sunt Galli. Ergo ii nobis terrori esse non debent. *Ex citato Arist. loco*.

Non legionibus] 3. *a Comparatione*:

Ut in singularibus certaminibus singuli milites, ita in pugna exercitus se habet.

Sed in singularibus certaminibus Romani Gallis meliores sunt.

Ergo & in pugna.

Et illis] 4. *a Comparatione Majorum*:

Majores nostri feroces illos, & veros Gallos toties vicerunt.

Sed hi longe inferiores sunt, & degeneres.

Ergo multo facilius nobis erit eos vincere. *Arist. l.* 2. *c.* 5. *t.* 43.

Sicut in] *Assumtionis* multiplex Approbatio, & primo *a Simili*.

Macedones] *Ab Exemplis*.

Generosius] *A caussa* virtutis efficiente.

Phryges] Hæc est argumenti *Complexio*.

Attalus] Confirmatur eadem *Assumtio ab Effectis*.

Nolite] Deinde *a Simili, & dissimilibus Caussis*.

Vobis) Tandem *a Comparatione*:

Vobis Asiæ amœnitas officeret, qui Romulum Marte genitum auctorem gentis habetis:

Ergo multo magis Gallos eadem amœnitas corrupit.

Hoc tamen] *Conclusio*, qua occurrit alteri *Prolepsi*; quasi minime gloriosum Romanis futurum sit Gallo-

græ-

græcos vincere tot illecebris depravatos. Respondet igitur, tales quidem eos revera esse, fama tamen apud timidos Græcos eadem valere; sicque rem non modo facilem, quam apud socios gloriosam ostendit.

Sententiæ.

Multa in bellis etiam de industria composita ad terrorem valent.

Barbarorum primus impetus gravis est, quem fervido ingenio, & cæca ira effundunt.

Non tantum semina ad servandam indolem valent, quantum terræ proprietas, cœlique, sub quo aluntur, mutat.

Peregrinæ voluptates ad extinguendum vigorem animorum plurimum possunt.

ORATIONIS CLII.

L. Furii, & L. Æmilii contra Manlium de Triumpho

Argumentum.

Victis Gallogræcis, Cn. Manlius triumphum a Senatu petebat, cui L. Furius, & L. Æmilius duo ex decem Legatis missis in Asiam ita adversantur.

Loci communes a *Comparatione*, ab *Adjunctis*, & a *Dissimili*.

Motus, *Ira*, & *Indignatio*. Mores *hominum justitiæ*, & *paci studentium*.

Partes sunt tres, *Narratio*, *Contentio*, & *Epilogus*.

Legatos] *Narratio* habet duo Manlii crimina, quod pacem cum Antiocho factam turbare voluerit, & quod arma intulerit Gallogræcis injussu Populi, & sine auctoritate Senatus.

Quod quem] Primum crimen omittunt, quia perficere non potuerat, quod optabat: alterum sic pertractant *ab honesto*:

Qui de sua sententia bellum movit, & temere administravit, triumphum non meretur.

Manlius de sua sententia bellum Gallogræcis movit, illudque temere administravit.

Ergo non meretur triumphum.

Quod quem] *Propositionis* approbatio quoad primam partem, *a Comparatione* aliorum bellorum, quæ paullo ante a Romanis gesta fuerant.

Quid eorum] *Assumtionis* prima pars.

At eo ipso] Amplificat secundam partem *Assumtionis ab Adjunctis*:

Qui duxit exercitum, quo non debuit, is temere bellum gessit. Man-

Manlius in gratiam Attali duxit exercitum, quo non debuit.

Temere igitur bellum gessit, non juste, & legitime. Non enim recta ad hostes movit, sed per devias Provincias quasi Attali mercenarius profectus est.

Bellum autem] Prosequuntur idem argumentum, hoc modo:

Qui iniquo loco cum hostibus pugnavit, temere bellum gessit.

Sed bis iniquo loco cum hostibus Manlius pugnavit.

Ergo temere bellum gessit.

Tu vero] Ne parta victoria Manlius se excuset, eam ascribunt tum Deorum patrocinio, tum illius Gentis, quæ victa fuerat, timiditati. *Arist. l.* 3. *c.* 15. *t.* 115.

Bis cum iis] Tum deinde *Assumtionem* subjiciunt.

Quid igitur] Repetunt responsionem supra allatam ad *Prolepsin* de parta victoria, timiditatem hostium in caussa fuisse, cur Romani vicerint, eamque probat *a Dissimili*: A Thracibus cladem magnam accepit.

Ergo a Gallogræcis victus fuisset, si non in timidos hostes incidisset,

Pro his] *Complexio* primi *Syllogismi*.

Sit nihil] Quam *Complexionem* urget ab *Exemplis Dissimilibus*.

An satis esset] Bello enim cum Antiocho consulti sunt Feciales, ipsine Regi bellum indicendum foret, an satis esset alicui ex illius præsidiis nuntiari.

Vultis ergo] *Epilogus* eorum, quæ supra recensentur; & orationem recenti, & dissimili exemplo concludunt.

Sententiæ.

Antequam arma inferantur, mitti Legati, res repeti, & indici bellum debet.

Prudens Imperator loco æquo, & suo tempore pugnare debet.

Merito triumphum a Patribus petit bello gesto, qui iis auctoribus gessit.

ORATIONIS CLIII.

Cn. Manlii pro triumpho in Senatu

Loci communes *a Caussis*, *a Comparatione*, *a Genere*, & *ab Enumeratione*.

Motus, *Invidia*. Mores *Viri innocentis*, *&* *benemeriti*.

Partes sunt quatuor, *Exordium*, *Propositio*, *Contentio* *&* *Conclusio*.

Tri-

Tribuni] *Exordium* malignitatis accuſat & Adverſarios, & Patres Conſc. per *Comparationem imparium*: Adverſarios quidem tali ratione:

Turpe eſt, decem Legatos negare Imperatori, quod non negatur a Tribunis Plebis.

Sed Tribuni non modo mihi triumphum non negant, ſed parati ſunt etiam referre.

Ergo id mihi negare Decem Legatos turpe eſt.

Tribunis] *Propoſitionis* approbatio quoad Tribunos.

Quibus ego] *Aſſumtio*.

Ex decem] *Propoſitio*, & ejus approbatio quoad Legatos.

Nullius] Leniter deinde, & modeſte Patres ipſos perſtringit, hoc modo:

Qui Fabio Labeoni triumphum conceſſere negatum a Tribunis, non debent eum mihi negare.

Sed Patres triumphum conceſſere Fabio negatum a Tribunis.

Ergo eum mihi negare non debent.

Propoſitio probatur diſſimilitudine rerum ab utroque geſtarum; & ſic benevolentiam ſibi conciliat, qui per invidiam debito honore fraudetur. *Ex Ariſt. l.* 2. *c.* 4. *t.* 25.

Duplex] *Propoſitio* tum univerſalis totius Orationis, tum deinde particularis primæ partis; & allata diviſio *Dociles* Auditores facit. *Ariſt. l.* 3. *c.* 14. *t.* 106.

Non ſum] Per figuram *Præteritionem* primum argumentum pertractat de jure belli, *a Genere*: Omnes Galli acerrimi hoſtes ſunt Populi Romani.

Sed & Gallogræci ex iis ſunt.

Ergo hoſtes Pop. Romani, adeoque juſto bello oppreſſi.

Gallos) Idem probat *a Cauſſis*.

Juſtum eſt bellum, quod ſuſcipitur pro liberandis a graviſſima ſervitute ſociis. *Ariſt. l.* 1. *c.* 13. *t.* 244.

Sed Gallogræci graviſſima ſervitute oppreſſos ſocios tenebant.

Ergo juſtum fuit bellum contra ipſos ſuſceptum.

Aſſumtio amplificatur *ab Effectis*.

At enim) *Prolepſis* ſumta *a Simili exemplo*, quæ ſic ſe habet:

Quod Galli Delphicum templum ſpoliaverint, non eos idcirco Romani ulti ſunt.

Ergo neque ulciſci debuerunt, quod Aſiam popularentur.

Equi-

Equidem) Respondet *a Caussis*:

Nostra defendere debemus, non aliena.

Sed Asia tunc aliena erat, nunc nostra est.

Ergo eam defendere modo suscepto bello debuimus.

Equidem aliquid) *Assumtio* illustrata *ab Effectis*.

An nisi) Urget idem argumentum *a comparatione minorum*:

Minus vexabant Asiam quieta Antiochi præsidia, quam armati Gallorum exercitus.

Sed pro liberanda Asia deduci præsidia Antiochi voluistis.

Ergo multo magis cohibere Gallorum impetus debuimus.

Sed quid ego) Hactenus ostendit juste a se bellum susceptum contra Gallogræcos, nunc probat bellum, quod ipse administravit, indictum fuisse decreto senatus, & lege Populi:

Qui bellum indixit Antiocho, indixit & cæteris, qui pro Antiocho pugnabant.

Sed Galli maxime in exercitu Antiochi erant.

Ergo & iis indictum est publica auctoritate bellum.

Te L. Scipio) *Propositionis*, & *Assumtionis* approbationes a testimonio L. Scipionis, qui vicerat Antiochum.

Sed simul) *Propositio*.

In qua caussa) *Assumtio*; simulque exponit, se prius omnia tentasse, quam arma tractaret, sed recusasse Gallos quamlibet conditionem.

Nunc quoniam) Descendit ad secundam *Contentionis* partem, diluitque alterum, quod objiciebant Adversarii, temere a se gestum bellum fuisse: *Arist. l.* 3. *c.* 15. *t.* 117. Argumentum autem est hujusmodi, quod videtur esse *ab Adjunctis*:

Temere bellum non gessit, qui prospero eventu, & optimo consilio illud gessit.

Sed ego bellum gessi prospero eventu, & optimo consilio.

Ergo non temere.

In quo) Ostendit, se caussæ maxime confidere *l.* 2. *c.* 5. *t.* 60. quamobrem hic etiam, licet non expressa, tamen latet *Assumtio*.

Sed ego) Sic igitur quoad prosperum eventum argumentatur, quæ erat *Assumtionis* prima pars, ex veteri instituto Romanorum:

Ro-

Romani improbare non solent, quod Dii comprobarunt.

Ergo in me improbare non debetis, quod Dii comprobaverunt.

Iniquo enim) Confirmat secundam partem *Assumtionis*, quod alia ratione vinci non potuerint, ut qui sunt inclusi mœnibus, sola oppugnatione, quod loco iniquo alii quoque imperatores sine reprehensione pugnaverint.

Equidem) Tandem hoc utitur contra Adversarios *Dilemmate*:

Aut ignavi erant hostes, aut maxime timendi.
Si ignavi: nullum ergo erat periculum nobis etiam iniquo loco cum iis pugnantibus.
Si timendi: Ergo tantæ victoriæ triumphus non est negandus.

Cæca) Adversariorum invidam mentem hoc *Epiphonemate* objurgat.

An etiam) Præmissa petitione veniæ, quod longiori uteretur Oratione, purgat & cladem in Thraciæ montibus acceptam, duplici ex caussa, tum quod in locis iniquis vitare insidias non potuerit, tum quod ipse deinde hostes ita ceciderit, ut illi soli victoriæ Triumphus debeatur.

Sed jam) *Conclusio* totius Orationis.

Sententiæ.

Rei per se ipsi æstimandi sunt, remota universæ gentis infamia, atque invidia.

Indomiti, atque implacabiles vi, & armis cohibendi sunt.

Nullius calumniæ subjicienda, quæ Dii comprobaverunt.

Cæca invidia est, nec quicquam aliud scit, quam detrectare virtutes, corrumpere honores, ac præmia earum.

Nemo saltus patentes, qui angusti sint, & plana ex arduis, & culta ex silvestribus facere potest.

ORATIONIS CLIV.

P. Scipionis ad Populum contra Tribunos

Argumentum.

Accusatus P. Scipio a Tribunis, cum rostra ascendisset, sic Populum allocutus est.

Motus, *Amor*. Mores *Viri magnanimi*.

Hoc die) Commemorat prælium, quod eo ipso die

in

in Africa cum Hannibale, & Pœnis commiserat.

Itaque) Optimum esse ait, & se ire in Capitolium ad gratias Diis agendas pro tot rebus feliciter gestis, & sequi Populum pro similibus impetrandis.

Ita si) Non magis ait, se fuisse a Populo ornatum honoribus, quam ipse rebus gerendis egregie responderit; ad captandam benevolentiam. *l.2. c.4.t.23.& 25.*

Sententiæ.

Festis diebus litibus, & jurgiis supersederi æquum est.

Orandus Deus est, ut semper bonos Principes habeamus.

ORATIONIS CLV.

Tribunorum contra P. Scipionem ad Populum

Argumentum.

CUm non compareret citatus P. Scipio, qui in Liternum concesserat, Tribuni ita in eum Populi iram concitare conantur.

Loci communes *a comparatione.*

Motus, *Ira*, & *Pudor*. Mores *hominum inimicorum.*

Habetis) Increpant populum, qui sequutus Africanum in Capitolium, Tribunos reliquerat, & merito ait, eos a suo illo Duce relictos esse.

Et tantum) Hortantur, ut Scipionem e villa revocent ad judicium, argumento *a Comparatione majorum*:

Difficilius est revocare quempiam e Provincia armatum, quam inermem e Villa.

Sed Scipionem armatum e Provincia, qui revocarent, misistis.

Ergo mittere etiam potestis, qui e Villa revocent inermem.

Reprehendunt autem Populum, quod non audeat id facere.

ORATIONIS CLVI.

Ti. Gracchi Tribuni pro P. Scipione

Argumentum.

TI. Gracchus non solum prohibuit revocari e villa Scipionem, sed pro illo etiam hanc habuit ad Populum stomachi plenam orationem.

Loci communes a *Repugnantibus.*

Motus, *Indignatio*. Mores *viri justi.*

Sub pedibus) Hujusmodi igitur utitur argumento *a Repugnantibus*:

Qui sæpe vicit hostes Populi Romani, non de-

 bet

bet a Tribunis opprimi.

Talis est Scipio.

Ergo turpe est eum opprimi a Tribunis.

Nullne) *Propositionem* confirmat ab *honesto*, senectus enim eorum inviolata esse debebat, qui plures honores, & triumphos consecuti fuerant.

ORATIONIS CLVII.

P. Scipionis Nasicæ pro L Scipione

Argumentum.

CUm Scipionem Asiaticum peculatus damnasset Prætor, & in vincula duci juberet, P. Scipio Nasica appellans Tribunos hanc habuit Orationem.

Loci communes *a Comparatione*, *&* *ab Adjunctis*, *&* *ab Effectis*.

Motus, *Misericordia*. Mores *viri innocentis*.

Partes sunt tres, *Narratio*, *Contentio*, *&* *Peroratio*.

Parentes) *Narrat* ea omnia, quæ pro Rep gesserant Cn. & P. Scipiones, Africanus deinde, & L. Scipio, cujus victoriam de Rege Antiocho relatam amplificat *ab Adjunctis*.

In pace) Exponit accusationem, quam infirmat a simili Cn. Manlii exemplo, & duo crimina recenset de non relata in publicum pecunia, & pace facta in gratiam Antiochi.

An non) Crimen de pecunia diluit *ab Effectis Repugnantibus*.

In triumpho Scipionis plus auri latum est, quam decem aliis triumphis.

Ergo pecuniam publicam in privatum usum non vertit *l.* 1. *c.* 5. *t.* 114.

Nam quid) Alterum de pacis conditionibus eadem ratione.

Qui plures Provincias ademit Antiocho, pacem non vendidit.

L. Scipio plurimas Provincias Antiocho ademit.

Ergo illi pacem non vendidit.

Asiam omnem) *Assumtio* illustrata *ab Adjunctis*.

Quid si] *Complexio*, plura enim adimi Antiocho non potuere, etiamsi, ut Adversarii contendunt, non accepta mercede, sed gratam pacem fecisset.

Philippo] *a Comparatione* Scipionem excusat, quod Regi victo regni partem reliquerit, & quare accusatur exponit, ob invidiam fratris Africani.

Tantum auri] Ad utrumque tandem respondet eodem

dem, quo supra, argumento:

Si tantum auri illatum esset in domum Scipionis, illud adhuc extaret.

Sed ea pecunia non apparet.

Ergo falso id Adversarii objiciunt. *Ex l. & c. citato t.* 113.

Quantum venditis] *Assumtio*.

Ubi ergo] *Propositionis* approbatio, nam tantas opes & augere multæ acceptæ hæreditates debuerant, neque imminuere nulli facti sumtus potuerant.

At enim] *Peroratio*, qua *Misericordiam* movet. *Arist.* c. 14. *l.* 3. *t.* 166.

Sententiæ.

Gloria apud socios comparatur non tam bello, quam temperantia, & fide.

Posteris non solum gloria majorum aliquando non prodest, sed & nocet invidia.

Ex Dec. 4. Lib. 9.

ORATIONIS CLVIII.

Postumii Consulis ad Populum de Bacchanalibus

Argumentum.

CUm in Bacchanalibus celebrandis multa infanda scelera committerentur, vocata concione Postumius Consul rem omnem Populo aperit.

Loci communes a *Comparatione*, *ab Effectis*, *& a Repugnantibus*.

Motus, *Timor*. Mores *viri religionis*, *& Reip. amantis*.

Partes sunt quatuor, *Exordium*, *Contentio*, *& Peroratio*.

Nulli unquam] In *Exordio* facit attentos ex rei magnitudine, juxta *Arist. l.* 3. *c.* 14. *t.* 104. Discrimen affert inter veras, & falsas religiones, ut in vituperandis Bacchanalibus crimen impietatis effugiat.

Bacchanalia] *Narratio*, simulque *Propositio* scelerum, quæ in iis Sacris admittebantur, & periculi, quod inde Reip. imminebat.

Majores vestri] *Contentionis* tale est argumentum *a Comparatione*:

Populi cætus sine publica auctoritate fieri prohibentur ex veteri instituto.

Sed hi nocturni cœtus nocent etiam Reip.

Ergo multo magis tolli, & puniri debent.

Cum aut vexillo] *Propositio*, nam tribus ex caussis vocabatur

vocabatur ad Concionem populus, aut propter Centuriata Comitia. quibus habendis posito in Capitolio vexillo comparabatur exercitus, aut propter Tributa, aut si Magistratus aliquis agere cum Populo vellet.

Quales] *Assumtio*, quam ille confirmat *ab Effectis*:

Ii cœtus nocent Reip. qui militiæ disciplinam corrumpunt.

Tales sunt cœtus Bacchanalibus fieri soliti.

Ergo nocent maxime Reip.

Assumtio amplificatur *a Repugnantibus*, quam interrogationibus ornat.

Minus tamen] Rursus *ab Effectis* sic arguit:

Ii cœtus nocent Reip. ex quibus omnia scelera, & Conjurationes emanant.

Tales sunt Bacchanalium cœtus.

Nocent ergo Reip.

Numquam] *Assumtionis* prima pars quoad privata scelera.

Necdum] Altera pars de conjurationibus, ex quibus quantum immineat periculi Reip. exponit, & caussam affert, cur nondum ea perfecerint.

Concionantes] Sicut Concio tum cœtum populi significat, tum orationem habitam a Magistratu, sic concionari dicitur & Populus, qui in concionem vocatur, & Magistratus, qui verba facit.

Optare igitur] *Complexio* primi *Syllogismi*, hortaturque ad supplicium eorum, qui hujusmodi sacris initiati fuerint, etiamsi affines, & cognati sint.

Ne quis] *Prolepsis*, quasi impium sit prohibere Deorum cultum, cui satisfacit auctoritate Pontificum, & Majorum externa sacra vetantium, quod ea scilicet dissolvant, non augeant Religionem.

Hæc vobis] In *Peroratione* tria facit. 1. exponit hujus concionis habendæ consilium. 2. felicem rei exitum ominatur ex Deorum voluntate, & Senatus decreto. 3. hortatur, ut Consulum vigilantiæ & ipsi pari sedulitate respondeant.

Extra ordinem] Hujus enim rei cognitio ad Prætorem potius pertinere videbatur; quare extra ordinem demandata est Consulibus.

Sententiæ.

Pravis religionibus captæ mentes velut furialibus stimulis ad omne scelus, & ad omnem libidinem trahuntur.

Ubicumque multitudo est; ibi & legitimus re-

ctor multitudinis esse debet.

Nihil in speciem fallacius est, quam prava religio.

Nihil æque religionem dissolvit, quam ubi non patrio, sed externo ritu sacrificatur.

ORATIONIS CLIX.
Philippi Regis ad Legatos Romanos
Argumentum.

PHilippus Rex caussam suam agit apud Legatos Romanos, qui ex Urbibus Thessaliæ, & Perrhæbiæ deducere eum præsidia jusserant.

Loci communes *ab Effectis*, *& ab Adjunctis*.

Motus, *Pudor*, *& Indignatio*. Mores *viri injuste læsi*.

Orationis talis est *Syllogismus ab Effectis*:

Is injuste agit, qui amicum, & benemeritum injuriis afficit. *l.* 1. *c.* 12. *t.* 226. *& c.* 9. *t.* 256.

Sed vos Romani me novis semper injuriis afficitis socium Regem, & de Rep. benemeritum.

Ergo injuste mecum agitis.

Non cum) *assumtionis* prima pars.

Civitates) Quam ut confirmet, injurias recenset post pacem a Romanis acceptas.

Pro non dubio) *Assumtionis* secunda pars *per comparationem* Eumenis, eamque sic probat *ab Adjunctis*:

Ille bene meretur de aliquo, qui majus confert beneficium, quam accipit.

Eumenes majora a Vobis accepit, quam dedit, at ego contra.

Ergo de Vobis ego benemeritus sum, non Eumenes.

Eumenes) *Assumtionis* approbatio de Eumene, hic autem sensus est. Antiochus ante fuit hostis Eumenis, quam Romanorum, qui nisi bellum pro Eumene suscepissent contra Antiochum, nunquam ille retinere sua potuisset.

Mei autem) Sua porro merita amplificat, quod recusaverit pacis conditiones amplissimas oblatas ab Antiocho, quod illi arma intulerit ante Romanorum in Græciam adventum, quod Acilio, & Scipioni in omnibus favere non desierit.

Pro hoc studio) *Complexio* primi *Syllogismi*, cui addit repetitionem injuriarum, quas sibi a Romanis fieri queritur.

Et si diis) Eumenis rationem retorquet in Adversarium tali pacto, quoad Civitates, de quibus præsens erat controversia:

Eumenes habere non debet, nisi quæ a Decem Legatis obtinuit.

Sed non obtinuit, nisi Chersonesum, & Lysimachiam.

Ergo Ænum, Maroneam, & Thraciæ Civitates habere ipse non debet.

Quo in) *Conclusio* plena indignationis, & stomachi, non debere eum tanta injuria a Romanis affici, si socius, & amicus Rex sit.

Sententiæ.

Multum ad reliquos Populos continendos unius exemplum pertinet.

Nullum officium referenda gratia magis necessarium est.

ORATIONIS CXVI.

Lycortæ Achæorum Prætoris ad Legatos Romanos

Argumentum.

Legati Romani in concilio Achæorum questi fuerant de injuriis in Lacedæmonios, Lycortas Prætor Achæos tali Oratione defendit.

Loci communes a *Caussis*, *& a Comparatione*.

Motus, *Pudor*. Mores *Viri ingenui*, *& magnanimi*.

Partes sunt tres, *Exordium*, *Contentio*, *& Epilogus*.

Difficilior] In *Exordio* queritur iniquitatem judicii, quod iidem sibi futuri essent accusatores, & Judices; confidentiam tamen præsefert, ut aliquam apud Legatos captet benevolentiam. *l.* 2. *c.* 4. *t.* 25.

Cædem) Duo objiciebantur Achæis, cædes Spartæ facta, & muri diruti, legesque Lycurgi sublatæ. Quoad cædem eorum, qui evocati ad caussam dicendam interfecti fuerant, duplicem adhibet defensionem; prima est *a caussis*:

Ea Vos reprehendere non debetis, quæ bello gessimus pro vobis suscepto.

Sed bellum cum Lacedæmoniis pro vobis suscepimus.

Ergo ea reprehendere non debetis, quæ tunc gessimus.

Quia in Vestro) In *Assumtione* approbanda tria ostendit 1 violatum fuisse fœdus a Lacedæmoniis. 2. debuisse Romanos eam injuriam ulcisci. 3. iis absentibus, hoc jure præstitum per Achæos.

Pro vobis) *Complexio* approbationis.

Quod cum alii] *Propositionis* approbatio.

Quo-

Quorum tamen) Altera defensio, qua crimen cædis purgat, talis est pariter *a Caussis*, sed *efficientibus*, cum primum argumentum sit *a finali*:

Hoc crimen objici debet iis, qui eam cædem patrarunt.

Sed ea cædes facta est ab exulibus Lacedæmoniis, non ab Achæis. *l. 3. c. 15. t. 115.*

Ergo Lacedæmoniis objici debet crimen cædis, non Achæis.

Nostrum est] *Assumtio*, quam confirmat *a Caussa finali*, exponens, quare exules Lacedæmonios interfecerint, in ultionem scilicet erepti sibi domicilii.

Lacedæmonii) *Complexio* ejusdem approbationis.

At enim) Alterum crimen erat, diruti muri, & sublatæ Lycurgi leges; de muris quidem sic disputat:

Servari debent Lycurgi leges.

Sed mœnia Spartæ sunt contra leges Lycurgi.

Ergo diruenda erant.

Cum muri] *Assumtionis* approbatio, non enim Lycurgus, sed Tyranni muros exstruxerant; itaque sine muris semper liberi, aliquando principes muris circumdatis servi tyrrannorum fuerant.

Non Philopœmena) *Complexio*.

Quod ad leges) Leges etiam ait non ademtas ab Achæis, sed a Tyrannis; Achæos autem non fecisse injuriam, qui suas Lacedæmoniis leges dederint, quibus universa Peloponnesus utebatur, non alienas.

Scio ego) Absoluta defensione, accusat Romanos, quippe non æquo jure agentes cum Achæis, quos veluti servos caussam dicere coram se velint, & sic arguit *a comparatione*:

Liberi sumus, & fœdus nobis cum Romanis æquum est.

Sed nos non quærimus, quid capta Capua vos feceritis.

Ergo neque vos quærere debetis, quid Sparta capta nos fecerimus.

Nam si) *Propositionis* approbatio.

Cur ergo) *Assumtio* illustrata *a comparatione imparium*.

Specie) Etiamsi non liberi, sed servi Romanorum Achæi sint, adhuc probat agi secum inique, tali ratione:

Socii, & hostes non debent esse in æquo apud Romanos.

Sed hostes Spartani non solum in æquo, sed e-

tiam meliore jure apud vos sunt, quam nos socii.

Ergo id maxime iniquum est.

Quantumlibet) *Propositio*; simus, inquit, Vobis Romani inferiores, at certe pares hostibus esse non debemus.

Nam ut in] *Assumtionis* approbatio.

Parum est *Assumtio* ipsa.

Quæ jurejurando] *Conclusio* negat posse mutari, quæ jurejurando composita fuerint, quod Achæi Deos multo magis timeant, quam Romanos: *l.* 2. *c.* 5. *t.* 50.

Sententiæ.

Difficilis oratio est apud eumdem actorem, & judicem.

Arces, & propugnacula liberis populis deformes veluti cicatrices servitutis sunt.

In amicitia, & societate par libertas esse debet.

Iniquum est, plus petere hostes, quam Socii habeant.

Deus verendus magis, & timendus, quam homines.

Ex Dec. 4. Lib. 10.

ORATIONIS CLXI.

Philippi de filiis judicium exercentis.

Argumentum.

CUm Perseus accusaret Demetrium fratrem tum intentatæ sibi mortis, tum initæ cum Romanis amicitiæ, antequam ii caussam agerent, æger animo Philippus Pater hæc iratus locutus est.

Loci communes *ab Adjunctis*, *a Caussis*, *a Comparatione*, *&* *Effectis*.

Motus, *Misericordia*. Mores *Patris miseri, & turbati.*

Tres sunt partes, *Exordium*, *Contentio*, *&* *Conclusio*.

Sed eo] *Exordium* sumitur *ab Adjunctis* Judicis, actoris, Rei, & criminis, quibus omnibus se miseratione dignum ostendit. *l.* 2. *c.* 8. *t.* 192.

Jampridem] Sic igitur in *Contentione* arguit *a comparatione*:

Leviores debent esse inimicitiæ inter fratres, quam inter hostes: *l.* 2. *c.* 3. *t.* 16.

Sed & hostes pacem aliquando faciunt.

Ergo neque fratrum æternæ esse debent inimicitiæ.

Sed interdum] *Complexio*.

Etiam

Etiam Hostes] *Assumtio*.

Subituram) *Propositionis* approbatio *a caussis*: memoria enim germanitatis, puerilis consuetudinis, & præceptorum Patris ad reconciliationem plurimum valent.

Quoties) Deinde utitur argumento *ab Effectis*:

Concordia fratrum regna, & familias tuetur, discordia perdit.

Ergo concordes vivere debetis.

Antecedens confirmatur exemplis, eorum maxime fratrum, qui beneficio mutuæ benevolentiæ regna, & privatas familias ad summos honores, & potentiam evexerunt.

Inter binos) Duo Spartæ regnabant, quia duo fuerant Aristodemi filii, qui cum Doriensibus Regnum occupaverant; alterius familiæ Reges Agidæ, alterius Proclidæ primum, mox Eurypontidæ dicti sunt a Nepotibus Aristodemi. *Pausanias in Lacon*.

Vivo] Tertio implacabiles illas inter fratres inimicitias detestatur *a caussis*:

Turpe est quidquid ex ambitione nascitur. *Ex Arist. l. 2. c. 4. t. 65. & 66.*

Sed hæc vestra inimicitia ex ambitione nascitur.

Ergo multo magis Vobis turpis est.

Id autem inde amplificat, quod vivo Patre regnum cernant, & ambiant, quodque non in se tantum, sed in Patrem etiam regnandi caussa amorem exuerint.

Agite] *Conclusio* plena tristitiæ, & indignationis.

Sententiæ.

Concordia res parvæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur.

Impium est vivo, & spirante Patre hæreditatem cernere.

Regni amor insatiabilis, cui nihil cari, nihil sancti est.

ORATIO CLXII.

Persei fratrem Demetrium accusantis.

Loci communes *a Consequentibus*, *a Caussis*, *ab Adjunctis*, *Repugnantibus*, *ab Enumeratione*.

Motus, *Misericordia*, *Odium*, *&* *Metus*. Mores viri de *suamet vita soliciti*.

Dividitur in tres partes, *Exordium*, *Contentionem*, *& Perorationem*.

Aperienda) *Exordium* habet simulatam indignatio-

 nem

nem in Patrem, quod iniquius acceperit querelam filii, & ad excitandam misericordiam hoc utitur argumento a *Consequentibus*:

Miserum est, si me & mori velis, & filium tuum esse neges. *l.* 2. *c.* 8. *t.* 90.

Sed utrumque annuis, si me despicias manifestas deferentem insidias.

Ergo miserrimum est mihi, accipi a te iniquius querelas meas.

Amplificatur quoad utramque partem *Assumtio*.

Neque futuro) Nam multo magis mihi frater imposterum insidiabitur, si nunc impune sit illi insidias fecisse.

Itaque) Ad captandam *Benevolentiam* se non tam de suo, quam de patris periculo solicitum exhibet. *l.* 2. *c.* 4. *t.* 25.

Sin autem) Attentionem parat a magnitudine periculi, quod egregia similitudine, & figura hypotyposi illustratur. *l.* 3. *c.* 14. *t.* 104.

Frater) In *contentione* duo facit, probat crimen insidiarum, & ut sibi Pater auxilio sit, precatur, de fratris cum Romanis amicitia multa attingens. Sic igitur *a caussis* crimen probare nititur;

Frater Macedoniæ regnum affectat:

Sed consequi non potest, nisi me interfecto.

Ergo me vult interficere, ut regnum obtineat.

Frater) *Propositio* per apostrophen ad fratrem, ubi addit comessatorem Perseo esse non posse, qui regnum eidem debitum affectet.

Huic spei) *Assumtionis* approbatio.

Hesterna die) Arguit primo sibi paratas insidias in ludo Equestri, quas ea ratione se ait effugisse, quod victoriam fratri ultro concesserit.

Ab hostili) Secundo, cum ad cœnam invitavit, idque sic ostendit *a Repugnantibus*:

Amice me non invitavit ad cœnam, qui inimicus venit ad me comessatum.

Sed frater venit ad me comessatum inimicus, & armatus.

Ergo non amice, sed insidiose me ad cœnam invitaverat.

Credis me) Prima interrogatio insidias probat, secunda periculum suæ vitæ ex iis insidiis manifestum.

Quid hoc noctis) Tertio ad se interficiendum venisse comessatorem Demetrium probat *ab Adjunctis*:

Qui inimicus noctu venit armatus ad iratum fratrem, ad interficiendum fratrem venit.
Sed ad me iratum frater inimicus noctu, & armatus venit.
Ergo sicarius, non comessator ad me venit.

Quid hoc) *Assumtio*.

Convivam] *Propositionis* approbatio, si enim comessator non venit, ut ostendit, ergo venit insidiator.

Si aperta) Idem confirmat ab eorum confessione, qui ferro succincti venerant, sicque concludit *a Pari*:

Deprehensi cum telo crimen est manifestum.
Fatentes pro deprehensis habendi sunt.
Ergo fatentis se fuisse cum telo crimen est manifestum.

Criminose) Hoc est suspiciose, & per conjecturas.

Execrate) Transit ad alteram *contentionis* partem, & jure ait execrari Patrem Regni cupiditatem, quæ fratres ad hæc tanta scelera pertrahat; eo tamen discrimine, ut insidiatorem meritis pœnis afficiat, tueatur, cui factæ sint insidiæ.

Quo enim) Sibi deberi perfugium in Patris misericordia, & justitia sic ostendit:

Filium, cui nullibi patet perfugium, pater tueri debet.
Sed mihi nullibi nisi in te perfugium patet.
Ergo tu Pater tueri debes.

Cui non) *Assumtionem* probat *a partium enumeratione*, 1. nullo in loco neque in exercitu, neque domi, neque in convivio: hæc autem omnia ex iis, quæ supra habentur, satis patent.

Solemne) In solemni scilicet ludo, quem cum lustrares exercitum, instituisti.

Quo me] 2. Non in Romanis, & caussas affert, propter quas inimici sibi, amicissimi fratri sint, & ad odium excitandum valent.

Si quid] 3. Non in populis Macedoniæ finitimis.

At in] 4. Non in Macedonibus; quod confirmat ex hesterno ludicro prælio, & ex benevolentia Macedonum erga Romanos, adeoque erga Demetrium, quem proinde Patri etiam timendum esse hoc argumento demonstrat:

Eum timere debes, qui plurimum valet auctoritate apud Macedonas, & Romanos sibi faventes habet. *Ex Arist. l. 2. c. 5. t. 41.*
Sed talis est Demetrius.

Ergo eum maxime timere debes.

Iste enim est] *Assumtionis* approbatio quoad primam partem *a Caussis*.

Quo spectare] Alterius partis approbatio, & maligne interpretatur Quintii consilium de mittendo Romam Demetrio cum primoribus Macedonum, ut nimirum qui Philippum Regem in Macedonia habent, Romæ servi Demetrii fiant.

Hæc si] *Peroratio*, quæ eandem habet, ac *Exordium* querelam; & de regni cupiditate, quam Pater execrabatur, ita disputat *a caussis*:

Ille scelerate cupit regnum, cui jure non competit.

Sed mihi jure regnum competit, Demetrio nequaquam.

Ergo scelerata regni cupiditas non in me est, sed in Demetrio.

Ego vero] *Complexio* quoad Perseum; Ego, inquit, si in medium afferatur hoc crimen, video me esse innoxium.

Quem enim] *Assumtionis* prima pars.

Cupit regnum) *Propositio*.

Obstat) *Assumtionis* secunda pars cum *complexione*.

Non primus) Affert rationes, quibus adductus Demetrius cædem fratris moliatur; exempla aliorum, impunitatem a Patre, comprobationem a Romanis.

Hæc spes) Sic igitur *concludit*: si cupis me esse salvum, punias eos, qui me occidere voluerunt, nam ubi scelus admiserint, vindictam sumere non poteris.

Sententiæ.

Circumventis in solitudine natura ipsa subjicit, ut hominum, quos nunquam viderint, fidem tamen implorent.

Accusator plerumque criminose, & dubia argumentis colligendo agit.

Cupit scelerate regnum, qui transcendere festinat ordinem ætatis, naturæ, juris gentium.

Non semper qui prohibere potest; idem & persequi scelus admissum potest.

O R A T. CLXIII.

Demetrii se apud Patrem purgantis.

Loci communes ab *Adjunctis*, *a Repugnantibus*, *a Caussis*, *a Contrariis*.

Motus, *Misericordia*. Mores *viri innocentis*.

Di-

Dividitur in tres partes, *Exordium*, *Contentionem*, & *Perorationem*.

Omnia) Statim in *Exordio* accusationem fratris infirmat, eique fidem adimit, *c.* 14, *l.* 3. *t.* 103. sumto *a caussis* argumento, tali ratione:

Nihil apud Judicem valere debent, quæ per calumniam, & malitiam finguntur.

Sed omnia frater accusatorie confinxit, lacrymas, metum, tempus judicii, & crimina.

Ergo ea nihil apud te valere debent.

Circumventum) Hoc est, cum circumventus, & inops sim, superbum tamen facit, & Romanis fidentem, quasi eorum gratia non obsit mihi potius, quam prosit.

Oportuit) Per apostrophen ad fratrem accusationis ordinem reprehendit, quod duo diversa crimina proditionis, & insidiarum simul malitiose detulerit ad Patrem, quæ separari debuerunt.

Occidendi) Proponit primum argumentum fratris, cui sic respondet *a Repugnantibus*.

Is regnum scelere non quærit, qui sperat se posse illud consequi a Romanis. *l.* 33. *c.* 15. *t.* 113.

Sed fateris me consecuturum a Romanis regnum.

Ergo illud ut obtinerem non opus fuit parricidio.

Quid ergo) *Assumtio* cum *Complexione*.

An ut) *Propositionis* approbatio *a Contrariis*, quod Romani virtutem, aut virtutis certe imaginem colentes scelera, & parricidia summo odio prosequuntur, maxime Quintius mutua cum fratre benevolentia insignis.

Idem non) Ex dictis ab Adversario hujusmodi colligit argumentum, quo fratrem fuisse insidiatorem ostendat, *a caussis*:

Ille insidiator est, qui se non parem futurum in certamine censet.

Frater se mihi in certamine de regno omnino imparem judicat.

Ergo ille est insidiator.

Idem non) *Assumtio*.

Idem tanquam) *Propositio*, quam urget vehementi illa interrogatione, velitne frater eum esse reum insidiarum, qui certaminis exitum timuerit.

Exequamur) Refert tria tempora, quibus dicuntur insidiæ a se fratri comparatæ, ludi, cænæ, comessationis.

Tempora) Refelluntur crimina: 1. *ab Adjunctis* temporis;

poris, ubi enim ludis, & conviviis datur opera, ibi nullus insidiis locus est.

Quid dies) 2. *ab Adjunctis* diei, quo dicuntur cogitata, hoc modo:

Prababile non est, me eo die infanda scelera cogitasse, quo solemne lustrationis, & expiationis sacrum peragebatur.

Sed eo die expiationis, & lustrationis solemne sacrum peragebatur.

Ergo non est probabile, me tum scelera adeo foeda cogitasse.

Quo lustratus) *Assumtio*. vide cæremonias in Sacro adhiberi solitas c. 8.

Hoc ego) Latet *Complexio*, & hostia dicitur itineri circumdata: quia diversæ hostiæ pars una ad dexteram, altera ad lævam viæ ponebatur.

Ut quibus) *Propositionis approbatio*.

Sed cæcus) 3. *a Repugnantibus*: an enim te, inquit, irritassem in ludo, quem parato veneno invitaturus eram ad cœnam? an non ad aliud tempus venenum reservassem, neque statim veneno ferrum substituissem? an sperarem, te me ad cœnam recepturum comessatum, qui metu mortis meam evitaveras cœnam?

Non est res) 4. Rursus *a Circumstantiis* hac ratione.

Qui vino largius indulget, nullas parat insidias.

Sed nos lætitiæ, & vino largius in convivio indulsimus.

Etgo tum nullas insidias paravimus.

Non est) *Assumtio* comprobata *a caussis*, diei scilicet festi, & victoriæ.

Quæ si non) *Propositio*.

Et ne ego) Exponit, quod ultimo objiciebatur in crimine insidiarum, fuisse quosdam ex comitatu Demetrii cum ferro, idque multis rationibus infirmat.

Si quæram) 1. Exprobrat fratri malevolentiam, qui sedulo nimium aliorum facta speculetur.

Et ne quid) 2. Negat se auctore, & sciente sumtum ferrum ab iis fuisse, eosque se tuendi, non Persei occidendi caussa venisse ait armatos.

Aut explica) 3. Id confirmat *ab Adjunctis*.

Quin tu) Universam deinde accusationem infringit ducto a *caussis* argumento:

Ea accusatio rejicienda est, quæ oritur ex invidia.

Sed tu hæc in me crimina fingis propter invidiam.

Ergo rejicienda sunt.

Pro-

Probatur *Assumtio*, & figura prosopopœja egregie exornatur, ubi præterea se modestum, & bonarum artium studiosum describit.

Romanos) Initam cum Romanis amicitiam excusat *a caussis*:

Ea mihi gratia crimini esse non debet, quam Patre jubente quæsivi.
Sed Patre jubente Gratiam mihi Romanorum quæsivi.
Ergo ea mihi crimini esse non debet.

Ego nec) *Assumtionis* approbatio, jussit enim Pater me ire Romam, sicque cum Romanis me gerere, ut haberent illi quæ laudarent, non quæ reprehenderent, unde mihi eorum gratia parta est.

Itaque) *Complexio* hujus approbationis, cui suum addit consilium, quibus in rebus, ac temporibus inita cum Romanis gratia uti velit.

Nec hodie) *Peroratio* plures complectitur Demetrii querelas, eusdemque deprecationes, quarum prima est, quod sibi crimini sint, quæ gloriæ esse deberent. *Arist. c. 8. l. 2. t. 89.*

Non hodie) 2. Quod ex invidia frater major accuset, quem apud iratum patrem deprecatorem esse oportebat. Ex *Arist. l. 2. c. 8. tex. 89.*

Et convivio) 3. Quod raptus e convivio pro se ipse cogatur dicere caussam parricidii, idque amplificat *a Comparatione.*

Ille diu) 4. Quod ipse ex tempore se defendere debuerit, cum frater diu ante meditatam accusationem attulerit.

Quid mihi) Tandem misericordiam Patris implorat a persona filii, qui reus agitur, & fratris, qui per summam crudelitatem accusat.

Sententiæ.

Civibus Gratia externa obest potius, quam prodest.

Gratia apud Principes comparatur aut vera, aut certe simulata probitate

Cæcus criminandi cupiditate animus, dum omnia suspecta facere vult, aliud alio confundit.

Turpe non est, si die festo inter æquales largiore vino utamur.

Miseria, & metus crapulam facile excutiunt.

Gratia, quæ non in bello cœpit, plerumque neque reservatur ad bellum.

Qui pro alio caussam dicit, sola ingenii fama periclitatur.

ORA-

ORATIONIS CLXIV.

Tib. Sempronii in Senatu

Argumentum.

Q Fulvius per legatum L. Minutium suadebat in Senatu missionem Hispaniensis exercitus, quasi debellatum esset cum Celtiberis: id ne fieret interrogando Minutium contendit Tib. Sempronius, cui Hispania citerior obtigerat.

Loci communes *a Caussis*, *& a Genere.*

Motus, *Timor.* Mores *providi Ducis.*

Tota Oratio hoc *Syllogismo* continetur a *caussis.*

Celtiberi non manebunt in fide sine Exercitu.

Sed Exercitus Tyro retinere eos in fide non potest.

Ergo veteres Milites retinendi in Provincia.

Quæro de te) Prima interrogatio habet *Propositionem Syllogismi.*

Si neque) *Complexio.*

An deductis) in hac altera parte secundæ interrogationis latet *Assumtio*, quam confirmat *a Genere*, tali pacto:

Omnes barbari tyronem exercitum contemnunt.

Ergo etiam Celtiberi inter reliquos barbaros ferocissimi.

Paucæ) *Propositionis* approbatio: multo enim minus in fide manebunt Celtiberi, cum maxima eorum pars adhuc in armis sit.

Quæ cum) Juxta decretum, quod factum fuerit, exponit quam diversa ratione ipse bellum administraturus sit.

Sententiæ.

De fide barbarorum nihil recipi, aut affirmari potest.

Contemtum tyrocinium etiam mitiores barbaros excitat ad rebellandum.

Dictu, quam re, facilius est, provinciam ingenio ferocem rebellantem conficere.

ORATIONIS CLXV.

Q. Metelli ad Censores de reconciliatione

Argumentum.

CReati fuerant Censores M. Æmilius, & M. Fulvius, inter quos veteres erant inimicitiæ. Ad eos igitur venere principes Civitatis, quorum unus Q. Metellus ita de gratiæ reconciliatione loquutus est.

Loci communes ab *Effectis*, & a *Comparatione.*

Motus, *Amor*, & *Lenitas.* Mores *viri probi.*

Par-

Partes sunt tres) *Exordium*, *Contentio*, & *Conclusio*.

Non obliti) In *Exordio* veniam petit, quod eos ipse admoneat, a quibus Cives omnes regi, & admoneri æquum esset; sumit autem argumentum a bonorum omnium consensu.

Singulos) Captat eorum *benevolentiam*, quorum virtutem, & merita laudat. *Arist. l.* 2. *c.* 4. *t.* 28. simul etiam descendit ad inimicitias, quæ mala Reip. ominarentur, & *male comparatos* dicit, hoc est conjunctos, & eundem Magistratum simul gerentes.

Inimicitias) Ut igitur inimicitias deponant, hortatur sic primo *ab Effectis*:

Illud omittere debetis, quod Reip. perniciosum futurum est.

Sed inimicitiæ vestræ maxime erunt Reip. perniciosæ.

Ergo eas deponere in gratiam Reip. debetis.

De quibus) *Assumtionis* approbationem attingit, sed non prosequitur.

Has ut hodie) Secundo idem suadet *ab honesto*, quod nimirum deceat tum conjungi reconciliatione gratiæ, quos P. R. honore conjunxerit, tum etiam utrumque velle ex animo id evenire collegæ, quod in omnibus precationibus ex veteri instituto verbis nuncuparent.

T. Tatius) Tertio utitur argumento *a Comparatione Majorum*.

Difficilius est reconciliari hostes, quam Cives inter se. *l.* 2. *c.* 4. *t.* 30.

Sed ex hostibus plerumque socii fideles & Cives etiam fiunt.

Ergo etiam Cives reconciliari inter se debent.

Assumtio probatur *exemplis*.

Vulgatum) *Conclusio*, qua supra allata confirmat a testimonio veteris ejusdem proverbii. Oratio tamen imperfecta est, quippe interpellata.

Sententiæ.

Principum inimicitiæ Reip. graves sunt.

Non modo simultates, sed bella quoque finiuntur.

Amicitiæ immortales, inimicitiæ mortales esse debent.

ORATIONIS CLXVI.

Philippi ad Antigonum de successione Regni

Argumentum.

Iratus Perseo Philippus, quod ejus fraude Demetrium filium amisisset, Antigonum regiæ virum majestatis sibi successorem destinat.

Loci

Loci communes a *Caussis.*

Motus *Indignatio.* Mores *tristis parentis.*

Hujusce Orationis tale est argumentum a *caussis*:

Tibi regnum debetur, si eo indignus est Perseus.
Sed regni hæreditate Perseus indignus est.
Ergo tibi regnum debetur.

Quando) *Assumtionis* prima approbatio, quod suis sceleribus Perseus optabilem fecerit Patri orbitatem, cæteris detestabilem.

Regnum quod) *Propositionis* prima approbatio ex meritis Patrui Antigoni.

Te unum) *Complexio.*

Si neminem) *Assumtionis* secunda approbatio, ne præmium parricidii Perseo regnum sit.

Demetrium) Altera approbatio *Propositionis*, quod illi debeatur regnum, qui solus mortem innocentis, & errores Patris illacrymaverit.

Sententiæ.

Nullos, quam improbos liberos habere præstat.

Regna, & patrimonia virtutis, non sceleſtæ fraudis præmia esse debent.

Ex Dec. 5. Lib. 1.

ORATIONIS CLXVII.

Callicratis ad Achæos

Argumentum.

Societatem, quam cum Achæis Perseus Macedoniæ Rex inire cupiebat, ita in Concilio gentis suæ Callicrates dissuasit.

Loci communes *ab Effectis*, & *Consequentibus.*

Motus, *Timor.* Mores *Viri providi*, & *de Rep. soliciti.*

Tres sunt partes, *Exordium*, *Contentio*, & *Peroratio.*

Parva) *Exordium Attentos* facit a magnitudine rei, *l.* 3. *c.* 14. *t.* 104. & ut a societate cum Perseo Achæos deterreat, ipsam societatis petitionem perniciosam fuisse sic ostendit *ab Effectis.*

Perniciosum est Achæis patere aditum Perseo in Peloponnesum.
Sed per Societatis petitionem jam habet in Peloponnesum aditum.
Ergo ipsa petitio societatis perniciosa fuit Achæis.

Nam qui) *Propositionis* approbatio *a caussa.*

Ii concionantem) *Assumtio*, quam illustrat *a Simili.*

Quis

Quis enim) In *Contentione* probat *a Consequentibus* rejiciendam esse Persei societatem, tali argumento:

Ea societas nobis rejicienda est, quæ fœdus Romanum violat.

Sed per hanc Societatẽ fœdus Romanũ violabitur.

Ergo est rejicienda.

Quis enim) *Assumtio.*

Nisi hoc) *Assumtionis* approbatio, quod bellum Perseo futurum quamprimum sit cum Romanis, idque confirmat *ab Effectis.*

Ego nihil) *Conclusio* Orationis.

Sententia.

Feræ bestiæ ad fraudem suam positum cibum sæpe aspernantur, nos cæci specie parvi beneficii inescamur.

ORAT. CLXVIII.

Qua Arco societatem cum Perseo suadet.

Loci communes *a Contrariis*, *a Caussis*, & *a Comparat.*

Motus, *Confidentia*. Mores *hominis Sinceri*, *& non ingrati*.

Tres sunt partes, *Exordium*, *Contentio*, *& Peroratio.*

Difficilem) In *Exordio* ad avertendam invidiam, negat ullum esse periculum, ne societate cum Perseo fœdus Romanum violetur; ubi etiam Callicratem calumniæ, & malignitatis accusat. *l.* 3. *c.* 14. *t.* 103. & 104.

Ac primum) *Contentio* statim habet refutationem ejusdem Argumenti, quod præcipuum fuerat adversario, & sic arguit *a Caussis.*

Quæ certa sunt majorem vim habent, quam quæ sunt incerta.

Sed quæ pacem inter Macedonas, & Romanos pollicentur certa sunt, quæ bellum, incerta.

Ergo sperare potius pacem debemus, quam bellum timere.

Cur quidem) Probat deinde non esse Achæis rejiciendam amicitiam cum Perseo a *Comparatione Minorum.*

Amicitia Macedonum minus est periculosa nobis, quam aliis Græcis.

Sed alii Græciæ populi eam amicitiam colunt sine periculo.

Ergo nos multo magis.

Opportuni) *Propositio* confirmatur primo a situ, & potentia Achajæ, & per *comparationem dissimilium.*

Nihilo plus) Secundo, quod fideliores amici Romanorum sint, quibus proinde minus suspecti sint, quam Ætoli.

Fe-

Fecerit) Sequitur argumentum *a contrariis*, tali ratione :

Inimici esse non debemus illi, qui amice nobiscum agit. *l.* 2. *c.* 5. *t.* 24.

Sed amice nobiscum agit Perseus.

Ergo eidem inimici esse non debemus.

Fecerit) *Propositionis* approbatio *a contrariis.*

Quid Perseus) *Propositio* ipsa cum *Assumtione.*

Cur) *Complexio.*

Quamquam) idem confirmat *ab antecedentibus* meritis Regum Macedoniæ cum Achæis *per Comparationem Majorum* :

Eorum meritorum memoria valuit vivo etiam Philippo.

Ergo multo magis regnante Perseo.

Ne id quod) *Peroratio* habet repetitionem eorum, quæ supra dicta sunt, utilem fore amicitiam Macedonum Achæis, & nullum adesse periculum violandi Romani fœderis. *Ex Arist. l.* 3. *c.* 29. *t.* 167.

Sententiæ.

Beneficiorum, quam injuriarum memoria diuturnior esse debet.

Commercium juris præbendi, repetendique etiam inter hostes esse potest.

In pace, etiam si odia non finiuntur, intermitti debent.

Ex Dec. 5. Lib. 2.

ORATIONIS CLXIX.

Eumenis in Senatu Romano de Perseo

Argumentum.

REx Eumenes, cum multa de consiliis, & potentia Persei dixisset, Patres adhortatur, ut mature illius conatibus occurrant.

Loci communes *ab Enumeratione.*

Motus, *Timor.* Mores *Viri Amici*, & *Fidelis.*

Partes sunt tres, *Insinuatio*, *Narratio*, & *Conclusio.*

Non ego) Avertit suspicionem calumniæ, & malevolentiæ.

Cernebam) Exponit, & narrat quæcumque Perseus inimico in Romanos animo patraverat, *l.* 3. *c.* 16. *t.* 127. neque alia opus erat adhortatione ad bellum, cum supra potentem, & præmunitum, hic inimicum exhibuerit.

Hæc quam) *Conclusio* habet studium Eumenis in Romanos, & votum Reip. salutare.

Spe novarum Tabularum) Quibus debitores non cogerentur persolvere creditoribus pecunias creditas cum usuris.

Sententiæ.

Qui vana affert, fidem sibi abrogat.
Turpe est non præmonere amicum, ut caveat.

ORATIONIS CLXX.
Sp. Ligustini ad Populum
Argumentum.

CUm in delectu habendo multi appellassent Tribunos Plebis, Sp. Ligustinus Magistratuum permissu hæc ad populum loquutus est.

Motus, *Gratia.* Mores *Viri modesti*, & *benemeriti.*

Sp. Ligustinus) Suæmet vitæ militiæque ordinem exponit, quot & quanta cum virtute stipendia fecerit, ut se dignum ostendat, qui primum ordinem habeat, *l.* 2. *c.* 5. *t.* 25. hic tamen scire opus est, quomodo divideretur Exercitus apud Romanos.

Sed hæc) Paratum se præbet ad quemlibet ordinem capessendum, qui sibi attributus fuerit, & ad diem suos commilitones hortatur.

Sententiæ.

Ea uxor optanda, quæ libera, pudica, & fœcunda sit.
Omnem locum honestum ducas, quo Remp. defendas.

ORATIONIS CLXXI.

Martii ad Perseum de belli caussa
Argumentum.

CUm legati Romani in colloquium cum Perseo venissent, ita eorum unus Martius belli, quod Macedoniæ imminebat ab Romanis, caussas exponit.

Loci communes *a Caussis*, & *a Simili.*

Tres sunt partes, *Exordium*, *Narratio*, & *Epilogus.*

Expectari) In *Exordio* liberam orationem excusat a necessitate: quærenti enim Perseo cur armati in Græciam venirent, non poterat veras talis adventus caussas non aperire; deinde *a caussa finali*, ne punire armis necesse sit, quem verbis non castigaverit, & illustratur *a simili.*

Ex quo) Narrantur Persei crimina.

Hæc

Hæc ne) In *Epilogo* repetit eamdem excuſationem, ſuumque in Perſeum ſtudium patefacit.

Sententiæ.

Orationis acerbitas etiam adverſus amicos ſubeunda, ſicut & Medici ſalutis cauſſa triſtiora remedia adhibent.

Aut verbis caſtigandus eſt, aut armis, qui fœdus rumpit.

ORATIO CLXXII.

Perſei objecta a Martio crimina diluentis.

Loci communes *a cauſſis*, & *a comparatione*.

Motus, *Lenitas*. Mores *ſimulantis innocentiam*.

Partes ſunt tres, *Exordium*, *Contentio*, & *Peroratio*.

Bonam cauſſam) *Exordium* habet querelam, quod iidem Romani ſibi futuri ſint accuſatores, & Judices; tria deinde genera criminum proponuntur.

Quid enim) De Eumene, Rammio, & Thebanis negat ſe reum eſſe poſſe, tali argumento.

Crimina, quæ probari non poſſunt, conviciantis ſunt, non accuſantis.

Sed hæc mihi objecta crimina probari non poſſunt.

Ergo iis, quippe conviciis, reus eſſe non debeo.

Scilicet) *Aſſumtionis* approbatio *a Cauſſis*.

Et Artetari) De Artetaro, quod ejus interfectores exulare in Macedonia permiſerit, ita primo ſe defendit *a Pari*.

Romæ, & in Italia tuti ſunt Exules ſine ulla veſtra culpa.

Ergo, quod & in Macedonia tuti ſint, non ſum reprehendendus.

Et Hercule) 2. quia fruſtra exilii pœna daretur, ſi nullo in loco tuto Exules eſſe poſſent.

Ego tamen) 3. quia ſtatim ac fuerat admonitus a Romanis, eos ex Macedonia abire coegerit.

Et hæc quidem) De Abrupoli, jure ſe feciſſe contendit *a Cauſſis*:

Vim vi repellere licet.

Sed Abrupolis mihi vim, & bellum intulit.

Ergo vi, & armis licuit mihi eum repellere.

Nam ſi eſt) *Propoſitio*.

Cum Abrupolis) *Aſſumtio*.

At enim) *Prolepſis* de atroci nimium vindicta, cui ſatisfacit *a Comparatione*, hoc argumento.

Gra-

Gravius est venari bello victorem, & innocentem, quam victum, & nocentem.
Sed mihi victori, & innocenti hæc eadem acciderunt.
Ergo ille victus, & injuste lædens ea sibi accidisse queri non debet.

Non sum eodem) Expeditionem in Dolopas duplici ratione defendit, tum quia regno Macedoniæ attributi fuerant a Romanis, tum quia Euphranorem præfectum a se impositum interfecerant.

Ac cum processissem) Iter Delphicum purgat *a caussa finali*, quam fuisse justam ostendit, & a temperantia in itinere a suis militibus servata.

Æiolis) Reliqua crimina, quippe nullius fere momenti, se jam diluisse per Legatos ait in Senatu Romano; simul Eumenem accusat calumniæ, & malevolentiæ, de quo similia aliquando dicenda prædicit.

Ego hæc) In *Peroratione* queritur de purgatione sui minime efficaci propter præjudicia Romanorum, deinde Romanis nimiam exprobrat severitatem, qui armis levissimas etiam culpas puniant.

Sententiæ.

Bona caussa apud quoslibet agi potest.
Quæ verbo objecta sunt, verbo negare satis est.
Qui multis gravis, & molestus est, multos etiam habet inimicos.
Ne in servos quidem sæva, & injusta imperia probantur.
Crimina talia esse solent, quales aures, & animi audientium sunt.

ORATIONIS CLXXIII.
Persei Regis ad Milites
Argumentum.

Perseus equestri prælio superior magnifice fortunam suam apud milites extollit, & inde totius belli eventum ominatur.

Loci communes *ab Antecedentibus.*
Motus, *Confidentia.* Mores *ferocis Juvenis.*
Orationis talis est *Syllogismus ab Antecedentibus.*
Qui Romanum vicit equitatum, certus est de belli eventu.
Sed nos vicimus Romanos Equites.
Ergo de felici belli eventu certi sumus.

Præjudicatum) *Complexio*, quam deinde consequitur *Propositionis* approbatio *ab adjunctis*, & *effectis*, fuga scilicet Legionum.

Sed

Sed facilius) Exponit, qua ratione imposterum persequi hostes velit.

Sententiæ.

Sæpe ex initiis eventus belli præjudicatur.

Vis, ac robur exercitus Equitatus est.

Ex Dec. 5. Lib. 4.

ORATIONIS CLXXIV.

L. Æmilii ad Populum

Argumentum.

PRofecturus ad bellum Macedonicum Æmilius contra Vulgi rumores hac ad populum oratione se præmunit.

Loci communes *a Caussis*, *a Dissimili*, & *ab Effectis*.

Motus, *Confidentia*. Mores *Viri Sapientis*.

Tres sunt Partes, *Exordium*, *Contentio*, *& Conclusio*.

Animadvertisse) *Exorditur* a spe tum sua, tum populi de belli prospero eventu, quam non inanem fore arguit *a caussis*.

Vos quæ) Hortatur, ne vanis rumoribus fidem habeant, & alant credulitate, & sermonibus; argumentum est *ab Effectis*:

Illud perniciosum est, adeoque vitandum, quod victoriam corrumpit.

Sed vani vulgi sermones victoriam sæpe corrumpunt, & impediunt.

Ergo perniciosi, & vitandi.

Nam nunc) *Assumtionis* approbatio *a caussis*, quod plerique famæ inservientes Remp. male administrent; eam deinde amplificat figura hypotyposi, & exemplo de Fabiana constantia respondet.

Non sum is) Secundo arguit *a Dissimili*, tali ratione:

Duces admonendi sunt in castris a Viris prudentibus.

Ergo non Romæ a Vulgo:

Itaque) Conclusio Orationis.

Sententiæ.

Rumores, quorum nemo est auctor, tua credulitate ne alas.

Nemo tam famæ contemtor est, cujus non debilitari animus possit.

Qui de sua unius sententia omnia gerit, superbus est magis quam sapiens.

ORATIONIS CLXXV.
Æmilii ad Milites de dilatione pugnæ
Argumentum.

Cum multis visus esset Æmilius imprudenter pugnam recusasse oblatam ab hostibus, ille vocata postero die concione rationem reddit sui consilii.

Loci communes *a Caussis*, *ab Adjunctis*, *a Repugnantibus*.

Motus, *Timor*, & *Confidentia*. Mores *prudentis ducis*.

Dividitur in tres partes, *Exordium*, *Contentionem*, & *Perorationem*.

P. Nasica) *Exordium* sumitur a caussa dicendi, reddenda est enim ratio illius consilii, quod reprehendatur a multis, *l.* 3. *c.* 40. *t.* 102.

Nam tantum) Duo facit in *contentione*, bene dilatam pugnam ostendit, & argumento adversariorum respondet. Primum illud sic pertractat *a caussis*:

Prudenter recusatur pugna, ubi iniquo Marte pugnandum sit.

Sed heri nobis iniquis conditionibus pugnandum erat.

Ergo prudenter hesternam pugnam recusavi.

In qua me) *Assumtio*, quam amplificat *ab Adjunctis*, comparando semper Romanos cum hostibus.

Jam omnium) 1. a dispari militum numero.

Sed fuerimus) 2. quod fessi longo itinere pugnaturi fuerant cum iis, qui animo, & corpore vigerent.

Quid quod) 3. quod incompositi cum multo ante instructis.

At hercule) 4. quod non ante munitis castris pugna conserenda foret, idque ostendit admodum periculosum ex instituto majorum, & *caussa finali* muniendi castra ante prælium.

His difficult.) Argumentum, quo usus fuerat Nasica in admonendo Consule, ne scilicet ea nocte interposita abiret hostis, & tuto evaderet: cui sic ipse satisfacit *a Repugnantibus*:

Ille noctu abire noluit, qui & mansit venientibus nobis, & sponte in aciem venit.

Sed hostis & mansit venientibus nobis, & in aciem copias eduxit.

Ergo certum erat, eum nolle clam noctu abire.

Ego autem) *Propositio*.

Quanto enim) *Propositionis* approbatio *ab Adjunctis*.

Hæc dilata) *Peroratio*, & ut rationes supra allatas ma-

 gis

gis confirmet, *ab Antecedentibus* probat, se pugnam si non iniquis conditionibus conferenda sit, nullo modo detrectaturum, *lib.* 3. *c.* 19. *t.* 165.

Sententiæ.

Non ignavissimus quisque ad custodiam sarcinarum relinqui debet.

Inertes etiam, & imbelles bene comparati fortissimos vicerunt fessos, & incompositos.

Castra sunt victori receptaculum, victo perfugium.

Ex Dec. 5. Lib. 5.

ORATIONIS CLXXVI.
L. Æmilii ad Perseum victum.

Argumentum.

PErseum captum cum filio, & in tabernaculum introductum ita primum castigat, deinde solatur Consul Æmilius.

Prima percontatio) Imprimis igitur verbis castigat ejus temeritatem, quod sine justa caussa, ætate virili, proindeque non per imprudentiam, expertus tum Romanorum fidem, tum belli incommoda, potentissimo Populo arma intulerit.

Utrumque) Secundo eum consolatur, jubetque bene sperare, deducto argumento a Romanorum clementia, quæ multos alios servaverit. *Arist. lib.* 2. *c.* 5. *t.* 56.

Exemplum) Tertio suos milites hortatur, ut memores quam inconstantes sint res humanæ, se modeste gerere velint.

Sententiæ.

Temeritas est, quorum & vim bello, & fidem in pace expertus es, cum iis bellum, quam pacem malle.

Is demum vir erit, cujus animum nec prospera fortuna statu suo efferet, nec adversa infringet.

ORATIONIS CLXXVII.
Rhodiorum in Senatu Romano

Argumentum.

RHodii, qui bello Macedonico favisse Perseo arguebantur, proindeque omnia sibi Romæ infesta animadvertebant, ita suam caussam agunt in Senatu.

Loci communes a *caussis*, a *Comparatione*, a *Dissimili*, & *ab Effectis*.

Motus, *Misericordia*, & *Lenitas*. Mores *hominum supplicum*.

Tres

Tres sunt partes, *Exordium*, *Contentio*, & *Peroratio*.

Peccaverimusne) In *Exordio* se misericordia dignos exhibent, quod omnes hostium pœnas patiantur, cum sit adhuc incertum, an peccaverint. *Arist. l.* 2. *c.* 8. *t.* 90. & 91. hoc autem amplificant a *comparatione* Macedonum, & Illyriorum.

Certe quidem) Defensionis hunc ordinem servant, ut probent, 1. se nihil hostile admisisse, 2. non defuisse Sociorum officio, 3. non publice peccatum fuisse, 4. excusandam esse Legationis superbiam. Prima igitur pars ita pertractatur *a caussæ remotione* :

> Iis non debetis inferre bellum, qui nihil in vos hostile admiserunt. *l.* 1. *c.* 12. *t.* 227.
> Sed nihil in vos hostile admisimus.
> Ergo hostes a vobis judicari non debemus.

Certe) *Propositio*, & ejus approbatio pluribus exemplis illustrata.

Quem tandem) *Assumtio*, quæ sic probatur *a Dissimili* :

> Cum vobis favimus, Imperatores vestros egregie adjuvimus.
> Sed Perseum nulla re juvimus.
> Ergo illi non favimus, adeoque nihil in vos hostile admisimus.

Quemadmodum) *Propositio* comprobata a testimonio Ducum Romanorum, a rebus gestis, & a præmiis, quæ fuerunt consecuti.

Si quæ vestra) *Assumtio*.

Quamquam) Secundam partem probant *ab Effectis*, tali ratione.

> Ii non defuere sociorum officio, qui omnia sociis obtulere.
> Sed ad omnia nos paratos Vobis exhibuimus.
> Ergo ne sociorum quidem officio defuimus.

Neque fecimus) *Complexio* utramque partem concludit.

Quid igitur) Tertio privatorum culpam a publica caussa sejungunt, argumento a *Genere* :

> Omnis Civitas habet improbos Cives, qui Plebem corrumpant.
> Ergo & in nostra Civitate fuerunt.

Etiam) *Antecedens* autem confirmatur *per Comparationem majorum*.

Non præteribo) Quarto Legationis superbiam excusant multis rationibus. 1. quod privato consilio Legatus tam superbe locutus fuerit.

Sed tamen) 2. Quod non inimico in Romanos animo, cum eodem omnino & apud Perseum fuerit.

Tam Civitatum) 3. *a caussis*, quod cum singulæ gentes sua peculiaria vitia habeant, Rhodii natura superbi sint, cujus etiam superbiæ satis jam pœnæ, & ignominiæ penderint.

Superbiam) 4. Quod superbia verborum nemini unquam fuerit capitalis, idque ostendit *a caussis*, *&* *Exemplo Deorum*.

Voluntatis) Pravæ in Romanos voluntatis culpam defendunt dupliciter, tum quia minime hoc crimen capitale est, tum quia non omnes peccarunt, & ipsa Rhodiorum Civitas meritas de sontibus pœnas jam sumserat. Omnia ita sunt per se manifesta, ut non alia indigeant expositione.

Priorum nostrorum) *Peroratio* lenes Judices facit, commemoratis Rhodiorum meritis, & oblata deditione voluntaria. *Arist. l. 2. c. 3. t. 16.*

Sententiæ.

- Ideo sæpe felicia bella esse solent, quia justa sunt.
- Nulla est Civitas, quæ non improbos cives aliquando, & imperitam multitudinem semper habeat.
- Superbiam verborum præsertim iracundi oderunt, prudentes irrident.
- Si quis velit inimicum perire, si nihil faciat, quo id fiat, capitis damnandus non est.

ORATIONIS CLXXVIII.
Theodori ad suos Cives

Argumentum.

CUm Passaronem oppidum Epiri Anicius Prætor obsideret, Principes Civitatis clauserant Romanis portas; deditionem suadet Theodorus quidam nobilis Juvenis.

Loci communes *ab Effectis.*

Motus, *Odium.* Mores *viri increpantis.*

Hujus Orationis talis est *Syllogismus ab Effectis.*

Id recusare non debetis, quod & utile est, & nullam turpitudinem habet.

Sed deditio utilis est Civitatis, & nullam habet turpitudinem.

Ergo dedere nos Romanis debemus.

Quæ vos) *Assumtionis* approbatio quoad primam partem.

Quin aperimus) Secunda pars; non enim turpe nobis id facere, quod jam fecerit orbis terrarum.

Sen-

Sententiæ.

Rabies eſt, paucorum hominum noxæ Civitatis acceſſionem facere.

Nos mori pro Patria, non Patria pro nobis perire debet.

ORATIONIS CLXXIX.

M. Servilii pro L. Æmilii triumpho

Argumentum.

CUm auctore Ser. Galba Tribus antiquarent Legem de Triumpho Pauli, facto concurſu Principum Civitatis in Capitolium, M. Servilius hanc ad Populum Orationem habuit.

Loci communes *a Cauſſis*, *a Comparatione*, *ab Adjunctis*, *& Effectis*, *& a Diſtributione partium.*

Motus, *Pudor*, *& Ira*. Mores *viri juſti*, *& ingenui.*

Dividitur in tres partes, *Exordium*, *Contentionem*, *& Perorationem.*

Quantus) *Exordium* ſumitur a laude Æmilii, & reprehenſione Galbæ, ut alterum amore, alterum odio dignum exhibeat. *lib.* 3. *c.* 14. *t.* 98.

Servius quidem) Increpat Galbam imprimis, quod non legitime accuſaverit Æmilium, ubi advertendum diſcrimen, quo privati apud Prætorem, Magiſtratus apud Populum accuſationes inſtituebant: deinde quod maligne, per quatuor horarum ſpatium innocentiſſimum reum vexando.

Quid interim) Prima defenſionis pars eſt ad togatum Populum, quam ſic pertractat ſumto argumento *a Cauſſis*:

Quæ ſunt digna laude, ſunt digna præmio.
Sed crimina Æmilio objecta ſunt laude digna.
Ergo non pœna, ſed præmio eum afficere debetis.

In ſtatione) Criminum enumeratio, ex quibus veram laudem proficiſci oſtendit ab *Effectis*, & *Exemplis* Fabii, & Minutii.

Tranſeatur) Alterum defenſionis membrum eſt ad milites, quos coarguit, quippe de ſuo imperatore, & de Rep. peſſime meritos. Cæterum & hujus partis primum argumentum tale eſt *ab Effectis*.

Illud prohibere non debetis, quod vobis, & Pop. Romano glorioſum eſt.
Sed hic triumphus non tam Æmilio, quam vobis, & Populo Romano glorioſus erit.
Ergo illum impedire non debetis.

Erratis) *Aſſumtio*, quæ primo probatur ex eo, quod

potuerat Paulus fine auctoritate Senatus in monte Albano triumphare, ut alii etiam Duces fecerant, nisi hoc ad Militum etiam, & Populi gloriam pertinere judicasset.

Primum ne) 2. ex nota invidiæ, & ingrati animi, in quam Populus incurreret, si triumphus Æmilio negaretur. *l.* 2. *c.* 9. *t.* 149. idque confirmat multis exemplis.

Si infamia) 3. *a pari:* nam sicut non de duce tantum hostium, sed de omni gente victa triumphus agitur, ita non solus Dux victor, sed universus Populus triumphat.

Militum quidem) Quoad Milites eamdem *Assumtionem* confirmat ab honore, quem ex triumpho consequuntur, ubi utitur figura hypotyposi, & *a caussa finali*, cur ex Provincia deportati sint, & non statim Urbem ingrediantur.

Triumphatum) Secundum argumentum est *a Comparatione Minorum*.

> Non est negandum dignioribus, quod minus dignis conceditur: *l.* 2. *c.* 6. *t.* 66.
>
> Sed Æmilius longe dignior est triumpho, quam alii multi.
>
> Ergo si iis triumphus concessus est, negari non debet Æmilio.

Assumtionem amplificat *ab Adjunctis* Regis Persei, Macedoniæ, & militum per comparationes Minorum, & illustrat figura Prosopopœja.

Quid dein) Tertium est *a Caussa materiali:*

> Tunc non est negandus Triumphus, ubi omnia adsunt triumphi constitutiva.
>
> Sed Æmilio adsunt omnia necessaria ad nobilissimum Triumphum.
>
> Ergo non est Æmilio negandus triumphus.

Assumtionem pariter probat *a Distributione* partium accurata, & urget *a Comparatione* Regis Syphacis.

Ipsum L.) Quartum itidem est *a caussis*, a meritis videlicet ipsius Imperatoris, & fine mittendi eum in Provinciam.

Et quidem) Quintum est *ab indignitate rei*, res enim erat indigna, tum Deos privari suomet honore, victimis, & Epulis, quæ dari solebant a triumphantibus, tum etiam clarissimum imperatorem privatum urbem ingredi, tanquam redeuntem rure, relictis tot opimis spoliis.

Et centurio) *Peroratio*, qua per apostrophen ad milites

ſtes ſe ipſe comparat cum Galba, ne majoris apud eos auctoritatis ſint leviſſimi hominis verba, quam Oratio fortiſſimi viri, & Senatus univerſi preces

Hoc quoque) Hoc eſt, cum in caſtris omnem vitam meam traduxerim, ex militiæ laboribus hujuſmodi etiam vitium corporis contraxi.

Sententiæ.

Severitas Imperii milites in officio continet.

Purum, & integrum debet eſſe judicium a favore, & odio.

Triumphus non imperatoris tantum, ſed & militum, & univerſi Populi decus eſt.

Omnium magnarum rerum & principia exordienda a Deo; & idem finis ſtatuendus eſt.

Sunt, qui nihil præterquam loqui, & ipſum maledice, & maligne didicerunt.

ORATIONIS CLXXX.

L. Æmilii ad Populum

Argumentum.

ÆMilius poſt triumphum, quem duorum filiorum morte funeſtum egerat, data concione a Tribuno hæc de rebus a ſe geſtis, & luctu domeſtico ad Populum loquitur.

Loci communes *ab Adjunctis, & a comparatione.*

Motus, *Miſericordia, & Amor.* Mores *viri Conſtantis.*

Tres ſunt partes, *Exordium, Narratio, & Concluſio.*

Quanquam) In *Exordio* veniam petit diſſerendi de rebus jam Populo notis, ut quo animo ipſe ſit omnes intelligant.

Profectus) Exponit ordinem rerum a ſe geſtarum, eaſque amplificat a *Comparatione* aliorum Ducum, qui bellum Macedonicum adminiſtraverant, *ab Adjunctis* temporis, & loci.

Poſtquam) Domus etiam ſuæ luctum refert, & qua conſtantia tantæ excidium familiæ pertulerit, unde naſcitur *Miſericordia. Ariſt. l. 2. c. 8. t. 89.*

Duos enim) Ex duobus Filiis, quos in adoptionem dederat, alter Africanus, & Numantinus dictus eſt, alter Allobrogicus a rebus deinde geſtis, ut patet ex Epitome.

Sed hanc) *Concluſio*, qua oſtendit in privatis infortuniis ſibi ſolatio eſſe publicam felicitatem.

Sententiæ.

Nimia fortuna suspecta esse debet, nam ex summo retro volvi solet.

Privatas clades felicitas, & secunda fortuna publica consolari debet.

F I N I S.

INDEX

Locorum communium, ex quibus Orationum argumenta desumta sunt.

A Definitione.

A partium Enumeratione.

A Conjugatis.

A Genere.

A Similitudine.

A Contrariis.

Ab Adjunctis.

Ab Antecedentibus.

A Con-

A Consequentibus.

A Repugnantibus.

A Caussis.

Ab Effectis.

A Comparatione.

INDEX

Affectuum, qui juxta Aristotelis præcepta in hisce Orationibus pertractantur.

INDEX

Morum, qui ex Orationibus T. Livii erui possunt.

FINIS.

IN-

INDEX DESCRIPTIONUM,

Quæ apud T. Livium habentur.

A

B

C

Con-

G

H

I

L

M

N

O

P

Q

R

S

Tem-

T

V

FINIS.

INDEX LEGUM

Quæ in Titi Livii Histor. & L. Flori Epitom. continentur.

A

B

tiæ incertum, lata a M. Bæbio, & P. Cornelio Cethego Coss. anno 569. tom. 3. pag. 417

C

Canuleja de jure connubiorum plebi cum patribus concesso, lata a C. Canulejo Tribuno pl. anno 309. Coss. M. Genutio, C. Curatio. tom. 1. pag. 185

Cassia lata a Q. Cassio Prætore, Coss Q. Ælio Pæto, M. Junio Bruto anno 563. ut Paulo Anicio, & Cn. Octavio ex bello Macedonico cum victoria redeuntibus, quo die Urbem triumphantes ingrederentur, imperium esset tom 4. pag. 181

Cincia de donis, lata a M. Cincio Trib. pleb. M. Cornelio Cethego, P. Sempronio Tuditano Coss anno 546. Ne quis ob caussam orandam donum, munusve caperet. Mentio hujus legis est. tom. 3. p. 111

Claudia de sociis nominis latini, lata a C. Claudio Pulchro Cos. cum T. Sempronio Graccho, anno 573. Ut qui socii, ac nominis latini ipsi, majoresque eorum M. Claudio T. Quintio censoribus, postque ea apud socios nominis latini censi essent, omnes in suam quisque civitatem, ante Kal. Novembris redirent. tom. 4. pag. 10

Claudia de Senatorum quæstu, lata a Q. Claudio Trib. pleb. Coss. P. Cornelio Scipione, Ti. Sempronio Longo adjuvante uno Patrum C. Flaminio, anno 532. Nequis Senator, quive Senatoris pater fuisset, maritimam navem, quæ plusquam trecentarum amphorarum esset, haberet. tom 2. pag. 55

Clodia de vi, lata a P. Clodio trib. pleb. Coss. C. Calpurnio Pisone, A. Gabinio anno 692. Ut de iis, qui cives Romanos sine judicio populi, indictaque caussa necassent, quæstio haberetur. Tulit autem ob Ciceronem, & alios, a quibus necati erant Catilinarii: in Flori Epit. tom. 4 pag. 219

Clodia de Provinciis, lata ab eodem, ut Cyprus in provinciæ formam redigeretur; pecunia Ptolemæi Regis publicaretur; atque huic rei M Cato Quæstor cum jure Prætorio præficeretur, in Flori Epit. tom. 4. pag. 220.

Cornelia de bello indicendo regi Antiocho lata a P. Cornelio Scipione Nasica Cos. cum M. Acilio Glabrione anno 559. tom. 3. pag. 176

Curiata, lata ex decreto Senatus, qua M Furius Camillus ab exilio revocatus est, Dictatorque absens

dictus

F

Flavia de pœna Tuſculanorum, lata a M. Flavio Tribuno pleb. Coſs. C. Sulpitio, & Q. Æmilio, anno 431 Sed antiquata. tom. 1. pag. 417

Furia (ut licet conjicere) lata ab eodem M. Furio Dictatore de Prætoribus, an. eodem 388. Ut Prætor unus, qui jus in Urbe diceret, quod antea Conſulum munus fuerat, Patritius crearetur. tom. 1. pag. 331.

G

Gabinia de re militari, lata ab A. Gabinio tribuno pleb. anno 682. Coſs. L. Cæcilio Metello, Q. Marcio Rege, ut bellum adverſus Piratas Cn. Pompejo mandaretur. Flor. in Epit. tom. 4. pag. 218.

Genutia de fœnore, lata a Genutio Tribuno plebis anno 413. Coſs. C. Marcio IV. Quinto Servilio Hala. Ne fœnerari liceret. tom. 1. pag. 375

Genutia de Magiſtratibus, lata ab eodem, eodem anno. Ne quis eumdem Magiſtratum intra decem annos caperet. Neu duos Magiſtratus uno anno gereret. ibid.

Genutia de Conſulibus lata ab eodem, eodem anno: ut liceret conſules ambos plebejos creari. ibid.

Genutia Æmilia de clavo pangendo, lata a Cn. Genutio, & L. Æmilio Mamerco II. Coſs. anno 392. Ut qui Prætor maximus eſſet, Idibus Septembris clavum pangeret. tom. 1. pag. 335

H

Horatia de magiſtratibus, lata à M. Horatio Barbato Cos. cum L. Valerio Poplicola anno 304. Ut qui Tribunis plebis, ædilibus, judicibus nocuiſſet, ejus caput Jovi ſacrum eſſet: familia ad Cereris, liberi, liberæque venum iret. tom. 1. p. 163

Horatia Valeria de Plebiſcitis, quam tulere iidem Coſs. M. Horatius Barbatus, & L. Valerius Poplicola eodem anno, ut quod tributim plebes juſſiſſet, populum teneret. tom. 1. pag. 163

I

Icilia de Aventino monte publicando, lata a L. Icilio tribuno plebis M. Valerio, & Sp. Virginio Coſs. anno 296. Ut Aventinus mons plebi ad ædificia concederetur. tom. 1. pag. 142

Icilia

Icilia de secessione, lata ab eodem Icilio tribuno plebis. Coss. L. Valerio, & M. Horatio anno 304. Ne cui fraudi esset secessio ab Decemviris facta in Aventinum. tom. 1. pag. 162

Julia agraria, lata a Julio Cæsare Cos. cum M. Calpurnio Bibulo anno 691. Ut ager Stellas, majoribus consecratus, item Campanus ad subsidia Reip. vectigalis relictus pleb. divideretur. Flor. in Epit. tom. 4. pag 219.

Junia de Tarquiniis, lata a L. Junio Bruto primo Cos. solo anno 245. Ut omnes Tarquiniæ gentis exules essent. tom. 1. pag. 60

Junia sacrata, quam tulit L.*Junius Brutus (ut ait Dionysius) Tribunus plebis primus creatus Spu. Cassio, Postumo Cominio Coss anno 261. ut plebi sui Magistratus essent sacrosancti, quibus auxilii latio adversus Coss. esset; neve cui Patrum capere eum Magistratum liceret. tom. 1. pag. Hujus rogationis carmen recitatur. tom. 1. p. 86. 172

L

Licinia de magistratibus, lata a C. Licinio Stolone, & L. Sextio Tribunis plebis anno 379. L. Æmilio, Serv. Sulpicio tribunis militaribus cons. pot. Ne eo anno Tribunorum militum comitia fierent, sed consulum. tom. 1. pag. 322

Licinia agraria, lata ab iisdem eodem anno: Ne quis plus quam quingenta jugera agri possideret. tom. 1. pag. 322.

Licinia item alia de ære alieno, lata ab iisdem eodem anno: Ut, deducto eo capite, quod usuris pernumeratum esset, id quod superesset, triennio æquis portionibus persolveretur. tom. 1. pag. 322

Licinia Cassia de re militari lata a P. Licinio Crasso, & C. Cassio Longino Coss. anno 579. Ne tribuni militum eo anno suffragiis populi crearentur, sed consulum, Prætorumque in iis faciendis judicium, arbitriumque esset. tom. 4. pag 54

Licinia de Religione, quam tulit P. Licinius Præt. urbanus. Coss. M. Claudio Marcello V. & T. Quinctio Crispino, an 542. Ut ludi Apollinares, qui die incerta fiebant, in perpetuum in statum diem voverentur. tom. 2. pag. 364

Livia de Judiciis, lata a M. Livio Druso Trib. plebis, anno 695. Coss. L. Marcio Philippo, Sex. Julio

lio Cæsare: Ut æqua ex parte Judicia penes Senatum, & equestrem ordinem essent: idest trecenti Equites, & trecenti Equites, & trecenti Senatores judicarent. Flor. in Epit. tom. 4. pag. 208

M

M*Anilia* de re militari, lata a C. Manilio Trib. plebis, Coss. M. Æmilio Lepido, L. Volcatio Tullo anno 684. Ut Pompejo bellum Mithridaticum mandaretur: Flor. in Epit. tom. 4. pag. 218

Manlia de manumissionibus, lata a Cn. Manlio Capitolino Cos. cum C. Martio Rutilio anno 398. Ut ii, qui manumitterentur, fortunarum suarum vicesimam ærario darent tom. 1. pag. 348

Martia de Deditis, quam tulerunt M. Martius sermo, & Q. Martius Scylla tribuni plebis, Coss. C. Popilio Lænate, P. Ælio Ligure anno 578. Ut qui ex Statellis deditis in libertatem ante Kal. Sextiles primas restitutus non esset, cujus dolo malo is in servitutem venisset, ut juratus Senatus decerneret, qui eam rem quæreret, animadverteretque. tom. 4. pag 46

Martia Atinia de pace cum Rege Philippo, promulgata a Q. Marcio, C. Atinio Tribunis pleb. qui tulerunt ad plebem: Vellent, juberentque cum cum Rege Philippo pacem esse, anno 554 Coss. L. Furio Purpureone, M. Claudio Marcello. tom. 3. pag. 88.

Metilia de Magistratibus lata a M. Metilio trib. pleb. anno 533. Coss. Cn. Servilio Gemino, C. Flaminio II. Ut Magistri Equitum, & Dictatoris vis æquaretur, quæ fuit in gratiam M. Minutii Magistri equitum contra Fabium Maximum Dictatorem. tom. 2. pag. 84.

O

O*Gulnia* de Religione, lata a Q. & Cn. Ogulniis tribunis pl. anno 452. Coss. M. Valerio Corvo, & Q. Apulejo Pansa: Ut cum quatuor augures, quatuor pontifices, ea tempestate essent, placeretque augeri sacerdotum numerum; quatuor pontifices, quinque augures, de plebe omnes adlegerentur. tom. 1. pag. 481

Oppia de sumtibus, lata a C. Oppio tribuno pleb. Coss. Q. Fabio Maximo. Ti. Sempronio Gracco II. anno

anno 537. in medio ardore secundi Punici belli, & de fingendo matronarum cultu. tom. 3. pag. 108

P

PÆtelia de Ambitu primum lata a C. Pætelio trib. plebis anno 397. Coss. C. Fabio, & C. Plautio, adversus eos qui nundinas, & conciliabula prensandi caussa obirent. tom. 1. pag. 396

Petilia de peculatu lata a duob. Q. Q. Petiliis Tribb. pleb. anno 563. Coss. M. Æmilio Lepido, C. Flaminio Nepote: Vellent, juberent, quæreretur de pecunia capta ex Antiocho, non relata in publicum a L. Scipione. tom. 3. pag. 345

Porcia de jure civium Rom. lata a M. Porcio Trib. pleb. ann. 452. Coss. M. Valerio Corvo V. Q. Apulejo Pansa: Ne quis Magistratus civem Ro. virgis cæderet, necaretque: Sed damnato exilium permitteret: cum antea nudorum cervix insereretur furcæ, corpus virgis ad necem cæderetur. tom. 1. pag. 484.

Publilia de legibus, lata a Q. Publilio Philone Dictatore anno 416. Ut legum, quæ comitiis centuriatis ferrentur, ante initum suffragium Patres auctores fierent. tom. 1. pag. 391

Publilia de plebiscitis, lata ab eodem anno eodem: Ut plebiscita omnes Quirites tenerent. tom. 1. pag. 391.

Publilia lætoria de Magistrat. lata a Publilio Volerone, & Lætorio Trib. pleb. anno 281. Coss. Appio Claudio Regillensi, & T. Quintio Barbato: Ut plebeji Magistratus, qui antea Curiatis comitiis fiebant, deinceps remotis patribus, Tributis crearentur. tom. 1. pag. 109

R

R*Oscia* theatralis, lata a L. Roscio Othone trib. plebis an. 682. Coss. L. Cæcilio Metello, Q. Marcio Rege: Ut in Theatro Equitibus Rom. qui HS. quadraginta possiderent, XIV. gradus spectandi caussa assignarentur; exceptis iis, qui sive suo, sive fortunæ vitio decoxissent, cui generi certum locum assignavit, pœna irrogata, si in XIV. sedissent. Flor. in Epit. tom. 4. pag. 218

S

Sacrata militaris: Ne cujus militis scripti nomen, nisi ipso volente, deleretur: ne quis, ubi tribunus militum fuisset, postea ductor ordinum esset. Quidam opinantur latam a M. Valerio Corvo Dictatore anno 412. tom. 1. pag. 375

Sempronia de fœnore, lata a M. Sempronio Trib. pleb. anno 457. Coss. L. Cornelio Merula, Q. Minucio Thermo: Ut, cum essent lucri cupidi, qui nomina in socios transcriberent, quod non tenerentur legibus de fœnore, cum sociis, ac nomine latino pecuniæ creditæ jus idem, quod cum civibus Rom. esset. tom. 3. pag. 163

Sempronia de re frumentaria, lata a Ti. Sempronio Graccho Trib. pleb., Coss. M Fulvio Flacco, M. Plautio Hypseo, anno 625. Ut semisse, & triente frumentum menstruum plebi ex publico viritim daretur. Flor. in Epit. tom. 4. pag. 204

Sempronia agraria multiplex, lata ab eodem, Coss. P. Mutio Scævola, C. Calpurnio Pisone Frugi, anno 617. Ne quis ex publico agro plus quam quingenta jugera possideret; quorum tamen dimidium filiis habere liceret: Ut si quis latius agrum patefaceret, iidem omnino triumviri judicarent, qua publicus ager, qua privatus. Vide reliqua in Flori Epit: tom. 4. pag 202

Servilia de Judiciis, lata a Q. Servilio Cæpione Cos. cum C. Atilio Serrano an. 644. Ut Judicia, quæ lege Sempronia ad solos equites translata erant, ordini Senatorio communicarentur. Hæc, inquam, Servilia lex, potius quam Sempronia, quam commemorat Florus in Epit. tom. 4. pag. 204. cum teste Appiano lib. 1. de Bello civ. Vellejo lib. 2. Tac. lib 11. C. Gracchus Senatui iniquior legem tulerit: Ut Judicia, quæ semper antea penes Senatorium ordinem fuerunt, ad solos equites transferrentur.

Sextia Licinia lata a C. Licinio Stolone, L. Sextio Tribb. pleb. an. 388. M. Furio Dictatore, & M. Cornelio iterum, M. Geganio &c. tribb. mill Cos. potes. ut Consulum alter de plebe crearetur. tom. 1. pag. 331.

Sextia Licinia de Sacerdotibus, lata ab eisdem anno 387. L. Quinctio, Serv. Cornelio Q. tribb. mil. consu. pot. Ut pro Duumviris sacris faciundis Decemviri

cemviri ita crearentur, ut pars ex plebe, pars ex patribus fieret. tom. 1. pag. 330

Sulpitia Sempronia lata a P. Sulpitio Saverrone Cos. cum P. Sempronio Sopho, anno 449. Ne quis templum, aramve injussu Senatus, aut Tribunorum plebis dedicaret. tom. 1. pag. 474

Sulpitia de re militari, lata a P. Sulpitio Galba Cos. cum C. Aurelio Cotta anno 550. de bello indicendo Philippo regi Macedonum. tom. 3. pag. 7

T

TErentia de imminuenda potestate consulari, lata a C. Terentio Arsa Trib. pleb. anno 290. Coss. T. Lucretio Tricipitino, & T. Veturio Gemino: Ut Quinqueviri crearentur legibus de consulari imperio scribendis, ne ipsi libidinem ac licentiam suam pro Lege haberent. tom. 1. pag. 123. Quæ lex perlata non fuit.

Trebonia de magistratibus, lata a L. Trebonio trib. plebis anno 306. Coss. Lat. Herminio, T. Virginio Cælimontano: Ut qui plebem Romanam Tribunos plebis rogaret, is usque eo rogaret, dum decem Tribunos plebis faceret; quæ Tribunorum cooptatio collegio ademta in Pop. Rom. translata est. tom. 1. pag. 172

V

VAleria lata primum de Provocatione & P. Valerio Poplicola Cos. solo, Bruto collega mortuo anno 245. Ut adversus omnes magistratus ad populum provocatio esset. tom. 1. pag. 64

Valeria de Provocatione tertio lata a M. Valerio Corvo v. Consule cum Q. Appulejo Pansa anno 452. Ne quis, qui provocasset, virgis cæderetur, securive necaretur: si quis adversus eam fecisset, improbe facturum. tom. 1. pag. 484

Valeria de Civitate danda cum suffragio, lata a C. Valerio Tappo Trib. plebis, anno 562. Coss. M. Valerio Messalla, C. Livio Salinatore: Ut Formianis, Fundanis, Arpinatibns suffragii latio esset, nam antea sine suffragio habuerant civitatem. tom. 3 pag. 327. 328.

Vatinia de Provinciis lata a C. Vatinio tribuno plebis anno 691. C. Julio Cæsare, Calpurnio Bibulo Coss. Ut C. Cæsari Gallia Cisalpina cum Illyrico

in quinquennium sine senatus decreto, & extra sortem mandaretur. Memoratur a Flor. in Epit. tom. 4. pag. 221.

Villia annalis, quam tulit L. Villius annalis, Trib. plebis anno 571. Coss. L. Manlio Acidino, Q. Fulvio Flacco: Quotannos nati quemque magistratum peterent caperentque. tom. 3. pag 437. Quæ autem ætas cuique magistratui capiendo definita esset, quamvis Livius non exprimat, tamen facile aliunde colligi potest. Quæsturæ enim fuit XXVII. Tribunatui plebis XXX. Ædilitati XXXVII. Præturæ XL. Consulatui XLIII.

Voconia de mulierum hæreditatibus lata a Q. Voconio Saxa Trib. pleb. anno 581. Coss. Q. Martio Philippo II. Cn. Servilio Cæpione: Ne qui census esset, virginem, neve mulierem supra quadrantem suorum bonorum hæredem instituerет, plusq; cuiquam legaret, quam ad hæredem, hæredesque perveniret. Ne feminæ ultra consanguineos ab intestato succederent. Meminit legis hujus. Flor. in Epit. tom. 4. pag. 1. ubi Volumnius, pro, Voconius legitur.

F I N I S.

TA-

TABULA

OMNIUM MAGISTRATUUM

P. Romani, eorumque Ministrorum, quorum passim mentio est apud T. Livium, & alios Scriptores; hic fuse, & lucide apposita ad majorem rei Romanæ notitiam.

Quæ sunt ex Livio habes singula suo loco in Indice generali.

Magistratus Majores Ordinarii.

REx Primus Romulus.
Præfectus, *vel Tribunus celerum.*
Consules duo: primum creati anno CCXIV.
Censores duo: primum creati anno CCCXI.
Prætor unus Urbanus creatus anno CCCLXXXIIX.
Prætor unus Urbanus, *&*) *Prætor Peregrinus*) creati anno DXII.
Prætor Siciliæ) *Prætor Sardiniæ & Corsicæ*) creati an. DXXVII.
Prætor Hispaniæ citerioris) *Prætor Hispaniæ ulterioris*) creati an. DLVII.

Post quæstionibus publicis inventis, earumque numero a Sulla Dictatore aucto, duo Prætores veteribus additi; eorumque numerus ad octo auctus; omnesque in urbe anno præturæ retenti, post annum vero præturæ, pro prætoribus in provincias missi. Fuerunt autem:

I. *Prætor urbanus.*
II. *Prætor peregrinus.*
III. *Prætor de Majestate.*
IV. *Prætor de vi.*
V. *Prætor de peculatu*, vel *de repetundis.*
VI. *Prætor de crimine inter sicarios.*
VII. *Prætor de ambitu.*
VIII. *Prætor de veneficio*, vel *de falso.*
IX. *Prætor cerealis*) a Cæsare Dictatore
X. *Prætor cerealis*) additi.
XI. *Prætor*) ab Augusto additi.
XII. *Prætor*)
XIII. *Prætor*) a Claudio Imperatore additi, qui de
XIV. *Prætor*) fideicommisso jus dicerent.

XV.

XV. *Prætor tutelaris*, a Marco Imp. factus.
Imperatores Cæsaris Augusti: quorum primus Cæsar Augustus.
Nobilissimi Cæsares: vel
Principes juventutis.
Præfectus urbis ab Augusto institutus.

Magistratus Majores extra ordinem.

Præfectus Urbis absente ordinario Magistratu a Romulo institutus.
Interrex: post mortem Romuli factus.
Dictator, &)
Magister Equitum) primum creati anno CCLIII.
Decemviri legibus scribendis consulari potestate. Creati anno CCCI.
Tribuni militum consulari potestate. Primum tres, post quatuor, deinde sex creati anno CCCX.
Triumviri Reipublicæ constituendæ: creati anno DCCX.

Magistratus Minores Ordinarii.

Quæstores urbani duo, alias
Quæstores ærarii. Creati sub regibus, vel a primo Cos. Poplicola anno CCXLV.
Tribuni plebis X. Hi primum duo fuerunt creati anno CCLXI. post. V. postremo X. facti.
Ædiles plebis. II. eodem anno quo primi tribuni plebis creati.
Ædiles curules II. creati anno CCCLXXXIIX.
Ædiles cereales: Creati a Cæsare Dictatore.
Curatores omnium Tribuum.
Triumviri capitales: Creati circa an. CDLXV.
Triumviri nocturni.
Triumviri valetudinis.
Triumviri monetales.
Triumviri viarum curandarum.
Quinqueviri cis, & ultra Tiberim.
Decemviri litibus judicandis.
Centumviri litibus judicandis.
Præfecti ærarii.
Curatores operum publicorum ab Augusto instituti.
Curatores alvei Tiberis, & cloacarum ab Augusto creati.
Curatores viarum singularum extra urbem.
Præfectus prætorio ab Augusto lectus.

Præ-

Præfectus frumenti populo dividendi, ab Augusto instituts.

Præfectus vigilum)
Curatores regionum) XIV. ab Augusto
Denunciatores regionum) instituti.
Magistri vicorum urbis regionum)
Advocatus Fisci)

Magistratus Minores extra Ordinem.

Duumviri perduellionis. A Julio Hostilio rege primum creati.
Quæstores parricidii, vel *rerum capitalium*.
Præfectus annonæ.
Quinqueviri mensarii. Primum creati anno CDIII.
Triumviri mensarii.
Duumviri navales.
Triumviri, qui conquirerent juvenes idoneos ad arma ferenda, militesque facerent.
Quinqueviri turribus, murisque reficiendis.
Decemviri, qui judicant supra sacramento, & libertate.
Decemviri distribuendorum donativorum.
Triumviri legendi senatus.
Triumviri cognoscendi turmas eq; Rom. a Cæsare Augusto excogitati.

Magistratus extra Urbem, vel Provinciales.

Proconsulibus
Proprætoribus.
Legati proconsulum.
Legati proprætorum.
Quæstores provinciales XIIX. Primum II. deinde sex. postremo XIIX. a Sulla facti.
Pro quæstoribus.
Præfectus Ægypti.
Præfecti præfecturarum.
Consulares quatuor, qui per Italiam jus dicerent ab Hadr. Imp. creati.
Juridici Italiæ a Marco creati.

Triumviri)
Quinqueviri)
Septemviri) Coloniæ deducendæ.
Decemviri)
Quinqueviri)

Se-

Septemviri) argis dandis, ac tribuendis.
Vigintiviri)
Quinqueviri) agrorum metiendorum, dividendo-
Quindecimviri) rumque.
Triumviri) ad inſpiciendos fines, liteſque diri-
Quinqueviri) mendas.

Nomina Miniſtrorum Magiſtratuum Roman.

Scribæ.
Accenſus, vel *Adcenſus.*
Præcones.
Lictores.
Viatores.
Carnifices.
Diribitores.
Rogatores.
ſtodes.
Nomenclatores.
Diviſores.
Magiſtri curiarum.

FINIS.

TA-

TABULA
OMNIUM SACERDOTIORUM

Populi Romani, eorumque Ministrorum, quorum Nomina tum ex Livio, tum aliunde collecta sunt.

LUperci Panos lycæi) ab Evandro ex Arcadia pro-
Inui sacerdotes) fecto instituti.

Cereris Græca Sacerdos: ab eodem Evandro creata.

Potitii, & *Pinarii*, Herculis Sacerdotes; ab eodem Evandro facti.

Reges.

Fratres Arvales XII. A Romulo facti.

Sexaginta Sacerdotes publici. Bini ex singulis curiis, quæ XXX. erant. A Romulo rege ordinati.

Augurum XV. *collegium.* Primum tres a Romulo facti singuli ex singulis tribubus, quæ tres erant. Deinde a Serv. Tullio quatuor facti: postea rogatione Ogulnia additis quinque ex plebe, ad novem numerum aucti. Postremo a Sulla Dictatore XV. effecti.

Octo Haruspices: a Romulo instituti.

Tribunus celerum. A Romulo institutus, a Numa sacerdos factus.

Curiones XXX.; qui totidem Curiis præerant, quorum primus dicebatur

Curio Maximus: cujus auctoritate cæteri curiones regebantur. Sacerdotium a Romulo institutum fuit.

Sodales Titii, alias *Titienses.*

Flamines quindecim a Numa instituti.

Qui sunt.

Flamen Dialis, Jovi) qui Majores, & patricii di-
Flamen Martialis, Marti) cebantur, quod semper ex
Flamen Quirinalis, Romulo) patriciis fuerint.
Flamen Volcanalis, Volcano)
Flamen Carmentalis, Carmentæ) Qui Minores, ple-
Flamen Floralis, Deæ Floræ) beji.
Flamen Palatualis, Deæ Palatuæ)
Flamen Falacer, Divo patri Falacri)
Flamen Furinalis, Deæ Furinæ)
Flamen Volturnalis, Deo Volturno)

Fla-

Flamen Virbi, alias *Deo Virbio*, idest)
Hippolyto)
Flamen Laurentialis, Accæ Laurentiæ)
Flamen Lavinalis.)
Flamen Liguralis, vel *Lucullaris*)
Flamen Pomonalis, *Deæ Pomonæ*,)
omnium postremus.)

Flamenicæ quindecim.

Virgines Vestales V *cum*

Virgine Vestali maxima. Quatuor a Numa rege factæ, duæ a Servilio Tullio rege additæ, & sex factæ.

Salii XII. *cum*

Magistro collegii Saliorum. Hi semper ex patriciis lecti sunt, a Numa ordinati, Martique sacrati.

Virgines Saliares.

Fecialium XX. *collegium*, *&* *Pater Patratus.* A Numa instituti, ut essent fœderum, pacis, belli, induciarum, oratorum judices.

Collegium Pontificum XV. A Numa quatuor primum Pontifices instituti sunt, omnes Patricii: post rogatione Ogulnia, quatuor de plebe additis, octo facti sunt, qui majores dicti. Deinde a Sulla alii præterea, qui minores vocabantur creati, eorumque numerus ad quindecim auctus.

Pontifex Maximus. A Numa institutus. Hic omnibus Pop. Rom. sacris præerat, ejusque suprema potestas in omnes sacerdotes.

Salii Agonenses, *alias Collini.* A Tullio Hostilio ordinati.

XV. *Viri Sacris faciundis cum magistr.* Hi fuerunt primo II. viri a Tarquinio instituti, qui librorum Sibyllinorum curam gerebant, post anno 388. facti quinque patricii, totidem e plebe: postremo XV. viri a Sulla dictatore aucti.

Rex Sacrorum: alias Sacrificulus, cujus uxor *Regina Sacrorum* dicebatur. Sacerdotium anno primo partæ libertatis a Populo Romano institutum, semper ex patriciis.

Sacerdotes feminæ bonæ deæ.

Galli, *sacerdotes deæ Cybelis cum Archigallo.*

Septemviri Epulonum. Hi primo III. viri creati fuerunt anno 558. Postea Sulla Dictatore VII. facti.

II. *Viri ædis locandæ.*

II. *Viri ædis faciundæ.*

III. *Viri ædis dedicandæ.*

III *Viri ædificandis ædibus ſacris incendio conſumtis.*
III. *Viri ſacris conquirendis, doniſque perſequendis.*
Sacerdotes deorum ſingulorum.
Antiſtites templorum ſingulorum.

Nomina Miniſtrorum Sacerdotum pop. Romani.

Camilli.
Camillæ. Pueri, puellæ, patrimi, & matrimi a Romulo inſtituti.
Flaminii.
Flaminiæ, Flaminum, Flaminicarumque miniſtri.
Æditimi, alias
Æditui.
Scribæ publici pontificum.
A Commentariis XV. *virorum ſacr. fac.*
Adjutores Haruſpicum.
Kalatores ſacerdotiorum.
Tibicines, qui ſacris publicis præſto ſunt.
Tibicines.
Pullarii.
Popæ.
Victimarii.
Lictor Flaminius.
Flaminis Dialis præcia, alias
Præclamitator.
Lictores VI. *Virginum Veſtalium.*
Præfica.
Deſignator.
Veſpa, alias.
Veſpillo.

F I N I S.